image
not
available

image
not
available

BIBLIOTECA
S.A.R.
DVCHESSA HÉLÈNE D'AOSTA
CAPODIMONTE

S.C
XIII
69

S.a.26 B7


JOH. FRED. GRONOVII

AD

T. LIVII PATAVINI LIBROS SVPERSTITES NOTÆ.

Acceſſit

ISMAELIS BULLIALDI Epiſtola de ſolis defectu, cujus Livius lib. XXXVII. meminit.



LVGD. BATAV.
Ex Officinâ Elzeviriorum.
cIϽ IϽ C XLV.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ILLVS

CLAUDI

COMIT

Vtriuſque Re

rarii Pr

Regia

per

Illuſtriſſime D

ſubſidia meru

benigniſſime

tam, deinde

gratiæ parte

ſio tam pie

diſſe cognoſ

tibam, cuju

ma capita g

preſſiſti; cui

res, exempl

tiſſima & g

ILLVSTISSIMO VIRO

CLAUDIO DE MESMES

COMITI DE AVAVX,

Vtriuſque Regii Ordinis Equiti, Supremo ærarii Præfecto, Chriſtianiſſimi Regis ad tractationem Pacis per Europam Legato.

Illuſtriſſime Domine,

LONGE fidentius ad penetrale tuum nunc accedo, poſtquam Titum Livium à contactu & allegatu meo non tantum non faſtidia meruiſſe, verum primo ipſum benigniſſime obvioque ſinu exceptum, deinde in me quoque largæ ſuæ gratiæ partem derivaſſe, Patronoque ſuo tam pie & fideliter me commendaſſe cognovi. Equidem haud dubitabam, cujus eloquentiam apud ſumma capita generis humani toties expreſſiſti; cui deſcriptas res, viros, virtutes, exempla noſcis eorum, quæ in fortiſſima & glorioſiſſima natione tua, in

clariſſima gente & majoribus, in tua ipſius perſona recordaris, vides, deprehendis, cujus celebratum à Marco Seneca & Fabio Quintiliano in æſtimandis ingeniis dotibuſque alienis candorem generoſiſſimæ indoli tuæ & emendatiſſimis moribus congruentem ſentis; eum velut ab ipſa natura, veteri deinde contubernio ſatis conciliatum, qualiſcumque veniſſet, faciles aditus habiturum. Sed & talem qui multis partibus juvandi, nonnunquam & ornandi, prolixam voluntatem attuliſſet; ejuſque ergo temporis, operæ, olei largiter inſumſiſſet, ac ſuæ curæ in præſidium & decus illuſtriſſimi Nominis tui Palladium præfigi optaviſſet; illum vel ipſo conatus lenocinio, etſi ſuſceptæ rei gravitate minor eſſet inventus, haud vilem tibi fore ſperabam. Superavit omnem exſpectationem meam eventus: non modo ipſum ſtudiis juvenilibus, quibus ad ſpes tantas illum quantovis operi ſuo parem animum inſtruebas, penitus hauſtum libenter recognoviſti; non meis modo exordiis faviſti & petitioni tamquam rogantis & inritantis ad officium MEMMIO dignum

clementer indulſiſti: ſed etiam (rem peregrinam, & ſicut in pauciſſimis celſarum dignitatum viris noſtro utique ævo viſam, ita magnifice ſemper celebratam) ut vere familiarem tuum, quod appellas, oſtenderes, in eo novam agnoviſſe manum, loca dudum controverſi juris requiſiviſſe, eaque reſtituta comperiſſe, nonnulla prorſus hoc modo, ut ipſi tibi mens divina tua facile olim cogitanti ſubjecerat, & verbis & rebus teſtificaris. Quid auſus ſum profiteri? ambiguam laudem tuam reddo, Illuſtriſſime Memmi: clamitabunt barbari, indignum eſſe Regio Legato, tantis præſertim negotiis præpoſito, indignum Comite, indignum tot aliis ſplendidiſſimis titulis præfulgente: ſed nempe barbari, qui quæ non capiunt, vituperant, & ſuam infelicitatem meliore genio natis pro lege irrogare atque injungere ſe poſtulant. Te nobilioribus aggregatum gaudes exemplis: ſic Magnus Alexander Homerum, quem ab Ariſtotele (abſit invidia comparationi) recenſitum acceperat, promiſcuis exemplaribus puriorem & noverat & probare ſciebat: ſic Hiſpaniæ Lybiæ-

que domitor Africanus ingenioſa Ennii Terentiique munera legendo faciebat meliora: ſic Alphonſus Arragonum rex inter Laurentium Vallam & Antonium Panormitam de hujus ipſius auctoris caſtigatione diſceptator ſedit; & quum ſecundum illũ litem dediſſet, ex ſententia ejus librum ſuum juſſit emendari. Et quid alienos advoco? Minus id mirum in Gallis illuſtribus, quos Reges ſui, Ludovici, Franciſci, Caroli, Henrici, Literarum Parentes dicti, non minus fortes, non minus laborioſi, non minus Reges, verique Hercules Muſagetæ, quod primi & facere potuerunt & fecerunt, ingenia literatorum ex eorundem lucubrationibus exigere, graviſſimaſque curas hoc elegantiſſimo utiliſſimoque luſu interſtinguere docuerunt. Quis eſt ergo omnium, cui juſtius pars hæc ultima & ſumma manus operæ meæ tradatur, quam tibi, Illuſtriſſime Comes, Regie Legate? ſive alicujus eam fidei tutelæque eſſe velim, tu es, qui hujuſmodi patrocinia in commendatiſſimis tueare: ſive judicem & cenſorem qua peritum qua incorruptum induſtriæ meæ quæram, tu es, qui ſummæ for-

fortunæ tuæ maximum ornamentum pariter & inſtrumentum eruditionem ducas, eaque fungi legendis & cenſendis ſtudioſorum ſcriptis inter Regiam Legationem decorum, immo acceſſionem honoris, arbitrere: ſive meum debitum reſpiciam, & obſervantiæ erga eum, cui maxime addictus, edere teſtimonium parem, tu es, cujus ſublimis favor & ante minimum meritum anteque exſpectatum beneficentia me eo redegit, ut quidquid à me proficiſci poteſt, tanquam acquiſitum ſibi ſuæque ditionis, non modo grati animi obligatione, ſed vel in jure manu conſertum juſtis ſacramentis & interdictis vindicare atque adſerere fas habeat. Non ſunt hæc quidem, qualia ab Turnebis, Lambinis, Paſſeratiis, totque longo ordine ſuſpiciendis ad omnem memoriam nominibus accipere Memmii conſueviſtis: neque enim ignoras, quod duorum, Iohannis Andreæ Alerienſis & Iohannis Antonii Campani Interamnienſis, Epiſcoporum, doctiſſimorum, ut illa tempora ferebant, virorum; quod deinde Rhenani, Gelenii, Glareani, Sigonii, Modii, Gru-

teri diligentes & curioſæ meſſes nobis ſpicilegium reliquerint :- non eſt hæc Phidiæ Minerva aut Iupiter, quos in Athenarum arce aut Olympiæ temploponi oporteat: apparet tamen è ſimili officina exiiſſe, & locis minus auguſtis eundem uſum præſtare poſſe. Nihil autem aberit, & ſequeſtrato metu incidi inſcribique patiar: *Introite, nam & hic dii ſunt:* ſi tua Victoriam & Pacem Chriſtianiſſimi Regis præferens dextra libenter accipiendo hoc, quicquid eſt, dedicaverit; ſi poſtibus ac tholis ſuis fixum mordere verebitur præſentibus inimica & parata bonis invidia, amabit ſuum cuique decus repenſura poſteritas. Vale Illuſtriſſime & Excellentiſſime Memmi, ut ſit, qui cum Pace & Literarum honorem reducendum, conſilio, exemplo, fama, magnatibus dictet. Daventriæ a. d. VIII Kal. Sept. cIↃ IↃ CXLV.

Illuſtriſſimo Nomini Ordinique tuo devotus

JOH. FRED. GRONOVIUS.

LECTORI BENEVOLO.

SI opus eſſet, amice Lector, non pigrarer tibi longam de T. Livio Patavino fabulam ſerere; ſuppetit enim materia: ſed tantum dictum eſt, ut quædam non eſſe dicta præſtaret, & illorum aliunde gnarus in hoc certe ſchedio alia lectione mavis avocari. Hoc igitur exſpectas potius, ut qua fiducia ſim aggreſſus rem minime vulgaris animi, quam auſurum me, ut ſic dicam, ante tubas & priuſquam poſcerer, ne ipſe quidem credidi, ut perpetuis notis hiſtoriæ Romanæ principem emendatiorem reddere conarer, hic in limine ediſſeram. Vbi primum illud relictum à prioribus occupabo, ut grata commemoratione & illorum, quos cura aliquid huic ſcriptori vitæ reſtituendo poſt literas renatas impertiſſe comperi præſertim antiquiores, pariter manes & futurorum ſtudia demerear. Eorum enim plerorumque intermortuam

laudem renovavero; ex his qui poſt nos eandem provinciam ſubituri ſunt, adminiculum habebunt, quod mihi ſi fuiſſet à principio, & ſollicitudine diu me vexante liber fuiſſem, & multis partibus meliorem tibi auctorem dediſſem. Neque enim tantum mihi tribuo, eaque malignitate & majores & minores proſequor fortuitis ſubjectus, & an audeam inſonare illud, δότε κρότον, ambiguus, ut iſtorum Hieronicarum palmas & coronas olim certas abolere & conterere deſiderem, aut neminem poſthac in eodem ſtadio exerceri velim. Qui mos eſt quorundam, ut velut deſponſos ſibi, uſu, farre, coëmtione in manum conveniſſe veteres, quos recenſendos ſuſceperunt haberi poſtulent; aut quaſi ab cenſoribus ea lege publicum conduxiſſent, ne id præterea cuiquam agitare fas ſit, alios ut inde omnes arceant, tentantibus novum opus nuntient, æmulamque induſtriam contumeliam ſuam interpretentur. Primum igitur Livium typis deſcripſerunt recognitum ab Iohanne Andrea Epiſcopo Alerienſi in ipſa urbe Roma Conradus Svenhemus & Arnoldus Panartius ante annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſe-

sun-

eundum. Ipſum non vidi, ſed idoneis argumentis hoc colligo. Exſtat Epiſtola, quintæ parti annotationum Nicolai Lyrani in Biblia ſacra Romanæ editionis eodem anno factæ præfixa, ad Xyſtum quartum Iohannis Andreæ, nomine dictorum typographorum: in qua cum alios ab ſe auctores publicatos, tum Titi Livii Patavini cum epitomate (*ſic enim loquuntur*) omnium Decadum volumina ducenta ſeptuaginta quinque *profitentur, & ſubſidium rei familiaris tantis ſumptibus acciſæ & labefactatæ petunt. Eam nobis notam fecit in nupera de Typographicæ artis inventione & inventoribus diſſertatione Marcus Zuerius Boxhornius, jure ſibi promittens non ingratum ſe feciſſe illis, qui in reſtituendis antiquis ſcriptoribus occupati non eos cum Mss. tantum, ſed & veterrimis primiſque editionibus, ex antiquiſſimis ſæpe optimiſque codicibus adornatis, utili cum primis opera conferre conſueverunt. Videtur Andreas omnino eoſdem intelligere Typographos in præfatione* Liviana *ad Paulum ſecundum Venetum Pontificem, ſimul Marco Barbo D. Marci Cardinali dicata, ſcribens:* tua enim opera ſubſidioque

dioque & liberalitate impreſſorum noſtrorum ars juvatur & creſcit. *Docet ibidem Victorinum Feltrenſem primum omnium Patavii, Venetiis, privatim, inde Mantuam Ioh. Franciſci Marchionis, cujus liberis ſtudiorum rector ſit datus, liberalitate traductum, Livii prælectionem publice audientibus ingenti hominum admiratione & fama præbuiſſe. Quin enim poſt multa de eo laudabilia conteſtatur magnanima & grata pietate, ſi quid in recognitione hujus auctoris profecerit, id acceptum Victorino præceptori ſuo referendum. Vtque profeciſſe agnoſcas (nam hoc non perceptum plurimum noſtro nocuit) eleganter de Livio ait,* in concionibus ante omnia verborum parcum, ſententiarum divitem, multo verbis quam ſenſu reſtrictionem atque conciſiorem: in qua parte non cæteros ſcriptores tantum, ſed ſeipſum quoque longe antecellere, ut aliquanto auguſtius diſſerens ſermone humano ad oraculorum pœne reſponſa accedere judicetur. *Hanc brevi poſt tempore ſubſecuta eſt Iohannis Antonii Campani poſtea Epiſcopi Interamnienſis editio: nam & ille ſub Pio ſecundo, Paulo ſecundo,*

cundo,

cundo, Xyſto quarto floruit: deceſſit autem anno ſupra milleſimum & quadringenteſimum ſeptuageſimo ſecundo. Exſtant opera ejus à Michaele Ferno collecta & Venetiis impreſſa: in his præfatio Liviana ad Iacobum Amanatum Lucenſem Cardinalem Papienſem, unde digna viſa ſunt hæc quæ exſignarem: Genus eſt in eo ſcribendi proprium & ſuum, & id ipſum ſplendidum atque magnificum, & tanquam ad ſpectaculum quoddam magnitudinis ſublime & elevatum, ac per omnes circumductum amplitudinis gyros: ita ut eruditorum oculos late extendere extollereque in altum poſſit, imperitis caliginem afferat. Inde librariorum coorti errores, dum quod ipſi non capiunt nimium eſſe, aut quod non cernunt, obſcurum, aut quod eſt inverſum ſtudio auctoris, depravatum putant; & de librariis emendatores facti, ubi plus adhibent judicii, ibi minus intelligunt. Horum igitur depravationes, quas tanta diuturnitate temporis tantaque barbarie neceſſe fuit eſſe quam plurimas, multis fretus exemplaribus corrigere aggreſſus feci, quod tu juſſiſti: etiam feci, quam

potui

potui diligenter, ut huic novæ miræque induſtriæ impreſſorum ipſe quoque pro virili auxiliarer. *Deinde*: Quod ad me attinuit, nuſquam curioſus interpres aut divinator, nihil præter meum laborem & diligentiam attuli. quæ utinam tanta fuerit, ut librariorum tollendis erroribus ſatisfecerit: Certe in hoc fuit maxima, ut Livii majeſtatem affectatione ingenii nuſquam minuerim. *Andreæ exemplar cum præfatione expreſſerunt Mediolanenſis artem & impenſas laudans Philippi Lavagniæ* M CCCC LXXVIII. *Tarviſina, quæ præfert has Titi Livii Decades à Luca Porro quam diligentiſſime recenſitas, impreſſas à Iohanne Vercellenſi anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſexto: Veneta, quæ per Bartholomæum de Zanis de Porteſio ſumma cura & ſtudio ſe impreſſam ait anno ab incarnatione Domini 1498. die 20. Iunii. Atque hæ omnes libro tertio & trigeſimo & magna parte quadrageſimi, finitæ ſcilicet in his verbis capitis* 37. per omnia fora conciliabulaque edixerunt: *deſtituuntur. Longo intervallo poſt nullas interpoſitas alias non adſeveraverim; ſed eæ oculos meos* fu-

fugerunt. Annus proximi ſeculi octavus decimus compotivit nos Moguntina apud Iohannem Schefferum Iohannis Fauſti nepotem: hæc prima prodidit ex membranis Bibliothecæ ædis ibidem maximæ ac metropolitanæ, D. Martini appellatæ, partem libri trigeſimi tertii à cap. 17. illis verbis: arctis faucibus cohærens Acarnaniæ : *etſi illic legatur,* iis partibus cohærens : *& quod deerat libri quadrageſimi ad finem uſque. Vlrichus Huttenus ad Albertum Brandeburgenſem Cardinalem & Archiepiſcopum Moguntinum, Eraſmus Roterodamus ad Miſobarbaros atque eoſdem Philomuſos præloquiis eam honeſtarunt: Nicolaus Carbachius & VVolfgandus Anguſtus, quos imprimendis illic locorum libris eandem operam præſtare, quam poſt Aldum Venetiis Egnatium, Romæ doctos quoſdam, Baſileæ Beatum & Amerbachios, Argentinæ Gerbellium ait Huttenus, præfuerunt: & quia in eodem volumine Langobardicis literis ſcripto ultimi quoque ſeptem libri de bello Macedonico & Aſiatico continebantur, hoc negotio ipſis à Scheffero dato, eos cum vulgato contulerunt, enotatæque diverſæ lectiones, paucis ipſi*

operi

operi inſertis, ad calcem ejus reperiuntur. Eodem tempore Aldina incudi cœpta eſt tradi: curam ejus habuit Franciſcus Aſulanus, & quamplurima optima & antiqua & Manuſcripta exemplaria ex Bibliothecarum latebris collegiſſe, atque ex omnibus hoc tandem lucidum & ab omni parte integrum conflaviſſe ſeſe in præfatione tertii tomi profitetur. Primus eſt abſolutus Menſe Decembri M D XVIII. *alter Menſe Februario* M D XIX, *tertius cum novo augmento Moguntinæ Menſe Novembri* M D XX: *in quo Aſulanus præpoſtera diligentia omnes fere diverſas lectiones, quas habuit prædictus Moguntinus codex, nullo delectu recepit: quem quod ſecutæ ſunt vulgares, quæ nunc habentur, in cauſſa eſt, cur tantopere ab Andreanis diſſentiant: id quod aliquando miratum me fuiſſe, cum cauſſam ignorarem, ex notis ad illos libros deprehendes. Succeſſit his anno* M D XXVIII. *in Germania cuſa ab Euchario Cervicorno: in præloquio ad Lectorem, quod ſolum habet, multa gloriatur & imputat fiduciæ plenæ, quæ tamen in contrarium vertiſſe valde ſuſpiceris, ſi verba conſideres. Ait enim* integrum ſanum-

numque hic haberi, qui multis verborum ſententiarumque vulneribus diſcerptus olim elanguerit; lenem & nitidum, qui nuper fœdis emplaſtris olidiſque malagmatis margini adſarcinatis horridus, deformis & obvolutus viſus ſit. Nam ubi lectio forte variaverit, & inter exemplaria non convenerit, ea delegiſſe ſe idque doctorum hominum judicio, quæ auctoris genuinæ phraſi viciniora fuerint viſa, & ſententiarum verborumque commiſſuræ magis adfinia: ne ſcilicet imbecilliora ingenia & variæ lectioni non adſueta inter tot ambages hallucinarentur, fraudarenturque dulci intelligentiæ fructu, & ne quis lectionem Livianam aggreſſus & mox inter tot opinionum ſcopulos & diverſæ lectionis ſyrtes adhærens, velut angue conſpecto παλίνορσος ἀφιςᾶ. *Si vera fabulatur, & non modo emtoris illiciendi gratia, ingentem præſtitiſſe animum turpiter auſis oportet procuratorem ejus: nam conferendæ ejus nobis otium non fuit, &, tantum quod his inde deſcriptis, oculis [illegible]ducta eſt. Quam autem intelligat fœdis emplaſtris olidiſque malagmatis oblitam, non ſcio: credibile*

bile eſt varias lectiones in margine adnotatas habuiſſe, ſecus atque omnes illæ, quarum inſpectarum memini: tanto mihi, ſi videre licuiſſet, pretioſior fuiſſet. Anno proximo Lutetiæ Pariſiorum prodiit Livius: profitetur frons veniiſſe in ædibus Franciſci Regnaldi: præfatio Andreæ Leveſcatii nihil habet præter verba humana: textus crebris aſteriſcis, ubi quid depravatum videbatur, eſt interſtinctus: in fine impreſſus dicitur à Nicolao Savetierio menſe Aprili 1529. At annus delapſi ſeculi primus & trigeſimus novo rurſum nos proventu beavit: tum enim in Helvetiis Simon Gryneus ultimos quinque libros, repertos in membranis apud Monaſterium Lauriſſenum, vulgo Lorſſenſe, publice exhibuit. Ne hanc quidem vidi, ſed hiſtoriam cognovi ex præfatione Eraſmi ad Carolum Montiojum Friburgi data Calendis Martiis anni memorati, & in quadam ſeriore Francofurtenſi repetita. Hæredes Aldi Manutii & Andreæ Aſulani biennio poſt ex hac tribus prioribus quartum tomum addiderunt: iſque à Matthæo G. F.[illegible]ſſio, quemadmodum & cætera Aldi, nobiſcum communicatus illius defectum ſupplevit: ut ſcilicet

locis illis, quæ cum editorum conjecturis tum erroribus perſæpe operarum per iteratas identidem editiones inſitis repetitiſque mutata erant, ad judicandum de illis, hos animadvertendos, ſciremus, quæ codicis unici lectio fuerit. Noſtro demum ſeculo Franciſcus Bartholinus Vrbinas in Bibliotheca Bambergenſi repertum initium libri trigeſimi primi, non inſcius, quanti theſauri potitus eſſet, deſcripſit & publicandum cum ſuis & Antonii Quarengi notis Caſparo Luſignano permiſit. Sic habemus, quod ad hocuſque Livii integrum legimus. Rhenani, Gelenii, Glareani, Sigonii, Modii primas editiones non magnopere quæſivi, utque de illis addere non ſit neceſſe, efficit, quod præcipuum illarum, nempe notæ & ſcholia in manibus omnium verſantur, diligenter à nobis adhibita, ut & Vallæ Gruterique, labor noſter ipſe ſatis docebit. Quid de trium priorum curis ſenſerit Petrus Victorius, prodit ad quartum Rhetoricorum ad Herennium, ſcribens: Germani autem nuper eum locum reſtituerunt, qui T. Livii libros, quos temporis vetuſtas & hominum incuria non abſumſit, ſumma cura & diligentia emendatos edi-

ediderunt. *Quod autem perſæpe opinionibus illorum non ſubſcribo, caveobtrectationis id factum ſtudio ſuſpiceris: ego vero, & præclaros fuiſſe viros omnes & præclare de Livio meritos lubens confiteor: ſuo etiam nomini hæc ſtudia curioſius tractanti tam præſentem ſemper animum eſſe, ut nuſpiam impingat: mihique nihilo majorem felicitatem ſpondeo, nec ſi quid in quemquam acrius dixiſſe videar non tam in illos dictum dolentibus, quam-ne in ſe idem majori jure dicatur verentibus, id quo minus ipſe ſimiliter deprehenſus patiar, intercedo. Nam qui levia nonnunquam conſectatum judicabunt, illud cogitent, non omnibus idem, quod ipſis, leve cenſeri; nec ullum tam leve erratum viris tantæ exiſtimationis excidere, quod non aliquem ſeducat, & imprimis, non ſe plus ſapere Patriarcha Aquilejenſi Hermolao Barbaro, qui negat in Plinio* damnandos eſſe (*ſic loquitur modeſte: vult autem dicere, eos demum juſta induſtria perfungi*) qui ne ſyllabam quidem pati poſſint male collocatam. *Sed ſcholaſticorum ſententiæ & pædagogici ſpiritus edictiones, faſtidia, cenſuræ quid ad me? iſtorum omnis in eo verſatur*

tur

tur ambitio, ut cirratis proximiſque ſuis ſe venditent, & admirabiles faciant. Quod quia declamando fere & aliquid de moribus addendo conſequuntur, ignoſcendum eſt oculos etiam propter obumbrans ſupercilium non longe admodum mittentibus, ſi non videant meditantibus aliquid ad poſteritatem aliud auditorium eſſe, & quaſi declamarent, ſcribant judicentque. In primis decem libris adſuerunt nobis trium codicum quondam Palatinorum & Campanicæ excerpta, facta manu Iani Gebhardi, quæ ante plures annos ab amico Amſterodami accepta meo ſumptu diligenter exſcribi curavi, & ad autographum poſtea relegi. Eorundem nonnullos integros Oxonii cum membranaceo Collegii Novi, & quia tempore deficiebar, cæteros ſaltuatim locis delectis, quemadmodum & cum Regio Lutetiæ & Mediceis pluſculis Florentiæ contuli. Thuanæum antiquæ manus à ſexto inſequentes reliquos continentem perpetuum adhibui: & Puteani fratres ſchedas parentis Claudii, in quibus ex Fulvii Vrſini & Cujacii membranis paucula erant correcta, libenter utendas dederunt. Ab iiſdem in libris de bello Punico ſecundo

Cyno-

Cynoſura nobis fuit liber omnium totâ Europa Livii ſcriptorum antiquiſſimus, majuſculis literis & plane, quibus clarus ille Pandectes Florentinus, exaratus. Hic ſolus largiorem bonarum rerum, quam quicquid reliquorum, nobis ſe exhibuit, & inde judicium faciendum, quantum non in Livio ſolum, ſed in aliis quoque bonis auctoribus reſtet reſtituendum, ſi ad illud ævum pretiumque libros nanciſcamur. Eſt genus hodie chartis illudentium, qui velut naufragio cupreſſum appingerent, circumlitione quadam notarum & commentariorum auctores obducunt, ipſorum nulla cura & veterum librorum uſus ignari, ſubinde tamen de lectione ſenſibuſque eorum quaſi digitis micantes, conjectantes & corrigentes per riſum & jocum, quaſi tranſeunter & propter viam his Muſis perinde ut Herculi fieret, & videri velint, nihil eſſe ſibi facilius, ſed judicio magis quam ignorantia minus id ſe uſurpare. At ubi defecit etiam vanis ariolationibus ingenium, & tædium pudorque tacitus irriti laboris ſpatia anguſtat, eo vertuntur, ut tenaciſſimi vulgatorum errorum fiant defenſores, veros Criticos, quia interdum humanum

ali-

aliquid patiuntur, tanquam corruptores librorum inceſſant, inque illorum corrigendi morbum dictis ſint feſtivi, codicum veterum fidem elevent, illisque rationem, quam nemo ſanus ab iis unquam ſeparavit, quam nec habent iſti nec quid ſit, ſciunt, opponant. Equidem non his ſcribimus: tamen cum nec in decurias allecti nec in album prætoris relati ſuo ſibi ſuffragio ſine cognitione toti quanti judices exoriantur, non dubito novum illis & intolerandum fore, quod unius potiſſimum ſcripti auctoritate non modo tam multa, quæ nemini unquam in ſuſpicionem venerunt, moveamus, ſed integras ſæpe lineas expunxerimus. Contra ipſos ego cauſam non agam: æquis arbitris, qui Puteanæi codicis præſtantiam capere poſſunt, ſuc curret, ex illo uno omnia fere, quæ ſunt in Europa, ſcripta exemplaria propagata eſſe: ideoque facile intelligent, quicquid in eo non exſtet, quatenus integer eſt, hoc recentiorum ſive librariorum ſive correctorum, quales ante libros typis mandatos fuerunt Franciſcus Petrarcha, Victorinus Feltrenſis, Antonius Panormita, Laurentius Vallenſis, ingeniis deberi. Non ſperno viros, ſed erat illa Cri-

tices

tices infantia: neque tantopere agebatur, ut Livius haberetur purus, quamvis indoctis obſcurior, quamvis verbis & ſenſibus non ubique obviis moleſtus, quamvis etiam alicubi lacer & diſtinctus aſteriſcis: non hæc cura erat, quam ut volumen ſub Livii nomine facile lectu & intellectu eſſet. Itaque elegantiores voces phraſeſque, quod minus auribus occurriſſent, mutare in uſitatiores, nec Livio aut Romano tamen ſed ſæpe ſemibarbaro ſuæ ætatis ſermoni; imprimis autem, ubi conjectura juvanda levi eſſet aliquis error aut oſcitantia librariorum, ibi ſuſpicari lacunas, ibi parare centones, adſuere, farcire, inculcare, omnia denique facere, ut exiret non Livius, ſed pannucea Baucis. Ob hæc non inſulto viris illis bonis & per alia merita egregiis, morem ævi reprehendo, & ne illum emendantibus invidiæ ſit, laboro: denique ne mihi vitio vertatur, cum toties hujuſmodi centones reſeco & vitalia petere Livii cenſear. Si levis ego auctor ſum, at non levis auctor eſt P. Victorius, cujus hæc verba ſunt ad Paradoxa Ciceronis: Quod etiam eo libentius feci, ut videant omnes id, de quo ſæpius queſti ſumus, verum eſſe,

eſſe, quomodo ſcilicet ſuperiores illi librorum correctores in hac provincia ſe gerere ſoliti ſint: quemadmodumque conſueverint totas quandoque ſententias & integra etiam loca, nedum ſingula verba, ſicubi res exigere videretur, de ſuo addere: cognoſcantque eorum temporum atque hominum errorem, qui rectum putarent, ſcripta antiquorum vetuſtate dilapſa & fracta à novis ingeniis ſuppleri & reſtitui: nec mirentur, me quandoque verba quædam parum illuſtria non reperta in priſcis exemplaribus ſuſpecta habuiſſe, & à junioribus his ſuppoſita eſſe exiſtimaſſe. *Cæterum quia tantum ad omnia momentum ille codex erat, etſi ſollicita cura omnes illius apices perſequutum eſſe me crederem; tamen mihi diffiſus à Claudio Salmaſio, quem admodum adoleſcentem tractaſſe eundem librum, qua ſolitus omnia ſubtilitate, ſcirem, ut is libri, in cujus margine pleraſque omnes varietates, & ſchedarum, in quibus inſigniores emendationes annotaverat, mihi copiam faceret, haud gravatim impetravi. Alexander P.F. Petavius Claudio Sarravio parario duos, unum pervetu-*

ſtum & fideliter fere Puteanæo adhærentem, alterum recentiorem, ſed membranaceum nec malæ notæ; Iſmaël Bullialdus ex Bibliotheca regia, Claudius Menardus in Andibus ſuum ſingulos, non quidem nimis annoſos, ſed nec ſpernendos, quia ex optimis translatos, præbuerunt: ex quibus tres integros, meliorem Petavianum, quia ſerius noſſe cœperam, aliquandiu perpetuum, deinde illuſtribus locis contuli. Idem in compluribus Florentinis (quorum unus admodum antiquæ manus, alter recentior, ſed bonitate par illi, cæteri quoque omnes membranacei) & Barberino, Luca Holſtenio apud Cardinalem Franciſcum id mihi officium præſtante, per temporis anguſtias Romæ licuit. Belli Macedonici & Aſiatici primi exemplaria ſcripta ex Barberina, Gabrielis Naudæi, Petaviana ſingula accepi, & integra cum vulgatis relegi: Oxonienſis, Florentini & Veneti cœnobii D. Antonii (cujus aditum Io. Philippus Thomaſſinus mihi fecerat) nonnullis locis conſulti ſervierunt: ſed in nullo plus habebatur, quàm quod in Andreanis exhibitum fuiſſe diximus. Hæc fuere cœptis meis præſidia: quæ dum conquiro, vides amice Lector, quot nomina,

quæ

ſed ſolum anni tempeſtati, quæ verna dicitur: & ipſa ſacrorum appellatio docet tempore verno naſci debere animalia quæ ſacrantur. Feſtus: *Ver ſacrum immolationis eſt genus. mos enim Italis fuit, ut magnis periculis adducti voverent quæcunque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia, immolaturos.* Non relinquitur igitur ambigendi locus quin Martius & Majus hoc anno fuerint menſes vernales, ita ut vel citimus Martius non prius advenerit, quam Favonio hibernum tempus reſolvente, de quo verni temporis initio Plin. lib. XVI. cap. 25 juxta editionem Dalecampii: *Ordo autem naturæ annuus ita ſe habet. Primus eſt conceptus flare incipiente vento Favonio circiter fere* VI *Id. Februarii.* & clarius lib. 2. cap. 47. *Ver ergo aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum. Sole Aquarii* XXV *obtinente partem. Is dies ſextus eſt ante Februarias Idus.* Hæc ſunt verba Plinii, ſed ille numerus partium Aquarii corrigendus eſt, & reponi debent XV pro XXV, nam ejus ſeculo Sol piſces medio motu ingrediebatur die 22 vel 23 Febr. & dies A. D. VI Febr. eſt dies menſis VIII. Supererant itaque ad 23 dies XV qui totidem ferme partes motus medii Solis exhibent.

IX. Libro 35. *C. Flaminius in citeriori Hiſpania oppidum Ilucium in Oretanis cepit, deinde in hiberna milites deduxit, & per hiemem prælia aliquot nulla memoria digna adverſus latronum magis quam hoſtium excurſiones* &c. & paulo poſt. *Dum hæc in Hiſpania gerebantur, comitiorum jam appetebat dies.* Hieme itaque comitia habita & dies ſolemnis ex more fuit Kal. Ian. quapropter Ianuarius menſis fuit hibernus.

X. Sub finem Lib. 36. ſcribit Livius claſſem Romanam Canas veniſſe, & cum *jam hiems ap-*

peteret, foſſa valloque circumdatis naves ſubdu-ctas: ſtatim ſubjungit, *exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati ſunt conſules L. Cornelius Scipio & C. Lælius.* Annus eſt A.V.C. 563. jam jam deſinens; juxta Livium, Scaligerum, Petavium Ianuarius debuit incidere in Septembrem Iulianum, ipſæque Kalendæ Ianuariæ ante æquinoctium autumnale quindecim ferme vel amplius diebus. Propterea comitia iſta haberi debuiſſent, antequam claſſis deducta Canas fuiſſet, & naves ſubducerentur; quod narrationi Livii per diametrum adverſatur, qui exitum anni inſuper diſtinguit à tempore appetentis hiemis: & recte, nam hiems laxa ſignificatione apud Romanos accipiebatur ab ortu Vergiliarum, ſicut ver à Favonio flatu. Plin. Nat. Hiſt. l. 2. c. 47. *Vergiliarum occaſus hiemem inchoat, quod tempus in* III *Idus Novembres incidere conſuevit, hic eſt Aquilo hibernus, multumque æſtivo illi diſſimilis, cujus ex adverſo eſt Africus.* Columella Lib. XI de re ruſtica c. 2. *Quinto Idus Novemb. hiemis initium, Auſter, aut Eurus, interdum rorat.* Appetebat ergo hiems circa initium Novembris Iuliani, à quo exitus anni toto bimeſtri tempore diſtabat. Quis itaque Livium non videt confundere tempora rerum geſtarum? luce meridiana clarius patet comitia iſta, quibus Scipio & Lælius conſules creati ſunt, hieme habita eſſe, & propterea Ianuarium in hibernum tempus incurriſſe. At ſcribit V Id. Quintil. Eclipſim ſolis factam, quam in anno Iuliano omnes Tabb. Aſtronomicæ exhibent die XIV Martii. Hanc à Livio confuſam perturbatamque narrationem factam arguunt ejuſdem verba, quibus res à conſule Scipione in Aſia geſtas narrat: media æſtate illius anni pugna navalis commiſſa eſt, victique ac fugati à Romanis

Rho-

Rhodiiſque Annibal & Apollonius, qui claſſi Antiochi regis præerant; poſt prœlium iſtud alio inſigni terreſtri inſtante hieme conſul L. Cornelius Antiochum vicit, in hiberna deinde copias deduxit: quæ omnia contigerunt, antequam inſequentis anni 565 comitia conſularia haberentur, quibus creati ſunt conſules M. Fulvius Nobilior, Cn. Manlius Volſo.

XI. Maxime omniū notanda veniunt quæ Lib. XXXVIII referuntur creatis conſulibus M. Valerio Meſſala & C. Livio Salinatore, *priuſquam in provincias novi Magiſtratus proficiſcerentur, ſupplicatio in triduum pro collegio Decemvirum imperata fuit in omnibus compitis, quod luce inter horam tertiam ferme & quartam tenebræ obortæ fuerant.* Iſtæ tenebræ non aliam cauſſam habuerunt quam Solare deliquium, quod factum eſt anno ante Chriſtum currente 188 Iulii die 17. H. 5. 50′ poſt mediam noctem, quando juxta Tabb. Rudolphinas Solis totalis eclipſis Romæ celebrata eſt. Profecti itaque ſunt in provincias novi Magiſtratus poſt diem XVII Iulii menſis in forma Iuliani. Expreſſe porro dicit Livius hos conſules iniviſſe Idibus Martiis. Sit itaque Ianuarius juxta Scaligerum & Petavium in Septembri: Martius concurret cum Novembri, quo menſe oportuit novos Magiſtratus iniviſſe: illi Romæ ſubſtiterunt totos hos menſes Decembrem, Ianuarium, Februarium, Martium, Aprilem, Maium, Iunium, & tandem poſt Iulii diem XVII in provinciam abierunt, id eſt, menſe Novembri in anno veteri Romano: cum ad habenda comitia Romam ipſis redeundum fuiſſet, in ſuam unuſquiſque provinciam diſcedunt; an in mentem cuiquam hoc venire poteſt? an otioſi Magiſtratus annum fere integrum Romæ deſediſſent?

alie-

alienum id à Romanis inſtitutis: Sero equidem hoc anno in provincias abierunt æſtate jam provecta, & hæc cauſa fuit, obquam M. Valerius tardius ad ſequentia comitia redierit, quæ habita ſunt A. D. XII Kal. Martias, & hoc pacto ſex menſes in provincia, quæ ei obtigerat, Valerius conſul egit. Alia inſuper circumſtantia Martium in vere fuiſſe demonſtramus. Antequam comitia, quibus Meſſalla & Salinator creati ſunt conſules, haberentur, Cn. Manlius conſul oratores de pace, quos Galli ad eum miſerant, *Epheſum venire juſſit, ipſe (jam enim medium autumni erat) locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans victorem exercitum in hiberna maritimæ oræ reduxit.* Si Ianuarius menſis anticipaviſſet in Octobrem vel Septembrem, comitia habita fuiſſent, antequam conſul medio autumno in hiberna reduxiſſet.

XII. Anno A. V. C. 574. creati conſules A. Poſthumius Albinus Luſcus & C. Calpurnius Piſo: ii Idibus Martiis inierunt. De illis Livius libro 40 ita ſcribit: *Veris principio hujus dum conſules novos delectus Romæ tenet, mors deinde alterius, & creandi comitia conſulis in locum ejus omnia tardiora fecerunt.* Scimus delectum confeſtim à Coss. haberi cœptum, ubi magiſtratum inierant. Idus itaque Martiæ anni veteris Romani convenierunt hoc anno cum Martio Iuliano, nec plus anticipaverunt, quam ut in Februarium inciderent. Quid quæſo? Si Idus Martiæ principio Decembris aut Novembri affecto numeratæ fuiſſent, delectus poſt tres aut quatuor menſes rejectus fuiſſet, & oſcitantes Magiſtratus Romæ reſediſſent. Conſulum hicce fuit mos, exacta æſtate, affecto autumno & imbribus furente in hiberna reducere copias, evocatos deinde ab hiber-

quæ nunquam expungam, me facere oportuerit. Vtinam vero plura facere licuiſſet, nec horum opportunitatem quorumdam, qui Bibliothecis præſunt, commendaret importuna barbaries: quæ me libellis ſupplicibus non unis adire principes ſubegit, & cum tamen nihil efficerem, non Diomedea, ſed Philippica πιθανάγκῃ immitia cuſtodum pectora aggredi, quodque etiam tum aliorum in aliis rebus, non meo exemplo in hac, fieri more ſciebam, pretio corrumpere docuit. Sed obduremus, & bonorum potius documentorum memores ſimus. Quos igitur obnoxium me tenere hoc beneficio viros honoribus, virtutibus, ſtudiis illuſtriſſimos libenter ſum confeſſus, illis & hujus & reliquæ omnis per peregrinationem meam præſtitæ incredibilis humanitatis ergo gratias hic publice ingentes ago: & ſiquid boni opera mea literis & tanto ſcriptori provenit, non tam labori meo, qui utcunque navus, haud tamen pari ingenio doctrinaque ſuſtentatus fuit, quam illorum humanitati & copiis adſcribendum profiteor. De ipſo Livio, etſi locis innumeris ille ſimilior eſt ſui, tamen memineris hoc omnium librorum fatum eſſe, ut navis operarum inſignes prodeant,

præſertim abſentibus editoribus, & non nitidiſſima diſtinctiſſimaque eorundem ubique ſcriptura: denique ex ultima Gruteri in duabus Elzevirianis aliquot mendas expreſſas, quod ſerius animadverti, dum dubiis intentus ſum magis, quam illis, quæ inprius vulgatis recte ſemper habuerunt. Hoc igitur nobis non imputabis, vel, ſi mavis, condonabis: & ubi contextum non conſentire cum notis invenies, id noſtrum cenſebis, quod erit in notis probatum. Vale, & ſtudiis noſtris dum frueris, fave.

JOHANNIS FREDERICI GRONOVII.

AD

T. LIVII

LIBRUM I.

NOTÆ.

CAp. 1. *Cui Aſcanium parentes dixere nomen.*] Duo Pall. pronomen ignorant. Et certe compendium loquendi ſcitum ac familiare Livio vitiarunt, à quibus illud immiſſum. Scribe: *Brevi ſtirps quoq; virilis ex novo matrimonio fuit: Aſcanium parentes dixere nomen.* Sic infra Cap. 23. *Ea res ab ſtativis excivit Metium. ducit qua proxime ad hoſtem poteſt.* Sic enim Rhenani liber & tres Pall. nec non membranæ Oxonienſes. Vulgo hic quoque: *is ducit.* Etiam ſequenti: *Fecialis erat M. Valerius. patrem patratum Sp. Fuſium fecit.* Rhenanus interpoſuit *is* contra omnium Pall. & Oxon. conſenſum. *lib. 5. ibi omen ſequentes loci condidere urbem, Mediolanum appellarunt.*

Cap. 3. *Manſit Silvium poſtea omnibus cognomen*]

men] Ita Lipſius, &, vix eſt, inquit, ut aliter Livius. Sane cum *nomen* familiam ſignificat aut gentem, amat ita ponere auctor. Vt infra: *te nomen Tarquinium creat vocatque regem.* Hoc eſt, jure gentis, ut alibi loquitur, regnum ad te pertinet. Sic lib. 2. *Inviſum erat Fabium nomen plebi propter noviſſimum conſulem.* Et ſtatim: *Fabium inde nomen ingens poſt tres continuos conſulatus.* At cum vocabulum viri ſignat, pace tanti viri dixerim, nunquam ſic Livius. Quæ vero Lipſius citat: *Aſcanium dixere nomen: L. Tarquinium Priſcum edidere nomen:* in iis appoſitio eſt, ſeu conjunctio quaſi ſubſtantivi cum ſubſtantivo, non adjectivi cum ſubſtantivo. Quod evidenter agnoſcas ex illis, lib. 7. *Quidam Cæſonem, alii Cajum nomen Quintio adjiciunt*, lib. 35. *Filiis duobus Philippum atque Alexandrum & filiæ Apamiam nomina impoſuerat.* Vulgo legebatur antea, *Silvius.* Quod propius accedit ad veram ſcripturam nobis hauſtam ex memb. Oxon. *Manſit Silviis poſtea omnibus cognomen.* Atque hac forma perpetuo noſter. Lib. 1. *pagoque inde Trojano nomen: puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit: cui Superbo cognomen facta indiderunt: Superbo ei inditum Romæ cognomen.* lib. 2. *Cui Scævolæ à clade dextræ manus cognomen inditum.* Ita enim o. Mss. Et iterum: *Atta Clauſus, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ nomen.* Sic locis prope innumerabilibus. Nec dubito ſic reſtituendum lib. 25, 2. *Scipio, cui poſtea Africano fuit cognomen.* Eodemque libro c. 28. *Epicidem, cui Sidoni cognomen erat.* lib. 26, 27. *ſervus (Manno ei nomen erat)* lib. 35, 24. *utrique eorum Salinatori erat cognomen.* Vbi vulgo legitur *Africanus* (Putean. antiquiſſimus *Africanos*) *Sidon, Mannus, Salinator.* Scribatur ergo & hic, *Silviis.* Nec numerus offen-

offendat tirones: nam ita lib. 37. *duo Quinti Fabii Labeo & Pictor.* Alteram figuram ex Piſone obſervat A. Gellius lib. 15. 29. Seneca epiſt. 12. *Heracletus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obſcuritas.* Niſi tamen mavis, *Scotino.*

Cap. 5. *per luxum atque laſciviam currerent.*] Edidimus: *luſum atque laſciviam:* adſeruimuſque olim in Obſervationibus. Et voluit ante Gruterus Lib. 37. *pars in juveniles luſus laſciviamque verſi.*

Cap. 6. *ut dii, in quorum tutela ea loca eſſent*] Lipſianus, duo Pall. Oxon. *ut dii, quorum tutelæ ea loca eſſent.* Rectius elegantiuſque multo, quamvis reprobante Grutero. Lib. 24. *& corpus ſuum cæteraque omnia, quæ ſuæ fidei tutelæque eſſent.* Eodem: *ad eum mitterent legatos, cujus juris arbitriiq; eſſet.* Lib. 42 *petere, ut eum non ſub hoſpitum modo privatorum cuſtodia, ſed publicæ velut curæ atque tutelæ eſſe vellent.*

Cap. 7. *ſacrum adhibitis ad miniſterium*] Tres Pall. *ſacrum Herculi adhibitis ad miniſterium.* Nec videtur otioſum: nam ex præcedentibus vix poſſis diſcernere, Evander an Hercules id ſacrum fecerint. Inferius ſcribo cum duob. Pall. *ne extis ſolennium veſcerentur.* Intellige, ſacrorum aut ſacrificiorum. Lib. 5. *Sacrificiis ſolennibus non dies magis ſtati quam loca ſunt.* Vulgo, *ſolennibus.*

Cap. 9. *quibus ſors corpora dediſſet*] Frequens corruptio. Refice cum duob. Pall. *quibus fors corpora dediſſet.* Fortuitus nempe raptus. Sic lib. 22, 5. *Fors conglobat, & animus cuiq; ſuus ante aut poſt pugnandi ordinem dat.* Nam ſic reſtituimus ex antiquiſſimo libro Puteanorum FRR. Vulgo: *ſors conglobabat.* Sed vide, quæ ibi dicemus. Sic etiam libro 31, 41. *non probante Amynandro nec effuſas populationes Ætolorum, nec caſtra,*

quo ſors tuliſſet loco, ſine ullo diſcrimine ac cura muniendi poſita. Scribe: *quo fors tuliſſet loco.* Poſt paullo: *quum ſua vice functus officio ſit.* Pall. tres, Oxon. & Regius: *ſuam vicem.* Quia non erat plebejum, mutari oportuit. Quaſi non auctor lib. 3. *quum ita priores decemviri ſervaſſent, ut unus haberet faſces, & hoc inſigne regium in orbem ſuam cujuſque vicem iret.* lib. 28. *ab ſollicitis vicem imperatoris militibus.* Cicero 1. famil. *noſtram vicem ultus eſt ipſe ſeſe.*

Cap. 13. *dirimere infeſtas acies, dirimere iras:*] Haud aliter ſcripti. Perſuaſus tamen prope ſum ab Livio exiiſſe: *delinire iras.* Vt ſupra: *mollirent modo iras.* Lib. 2. *diem tempuſque forſitan ipſum leniturum iras.* Terentius: *atque hæ iræ leniunt.* Noſter iterum lib. 7. *extemplo omnibus memoria patriæ iras permulſit.* Nec ignoro apud comicum citatum in Hecyra: *rem cognoſces, iram expedies.*

Cap. 14. *locis circa denſa obſita virgulta obſcuris*] Scribe: *locis circa denſo obſito virgulto obſcuris.* id eſt, propter illud obſitum virgultum. Lib. 21. *& circa obſitus paluſtribus herbis, & quibus inculta fere veſtiuntur, virgultis vepribuſque.* Lib. 28. *confragoſa loca & obſita virgultis tenebant colles.* Non hinc longe: *minaci genere pugnæ obequitando ipſis prope portis.* Scriptura omnis vetus *adequitando.* Sic lib. 24, 31. *tanto clamore ad arma diſcurſum eſt, ut prætores inter tumultum pavidi adequitaverint Syracuſas, impetuſque in Syracuſanos fiebant.* Sic Put. omneſque fere Gallic. & Pall. Vulgo: *obequitaverint* & *fiebat.* Lib. 35. *nunc in dextrum cornu ad ſuos adequitandi.* Ibidem inferius putem rectius ſcribi: *multoque effuſius (quippe vera fuga) quam ſimulantes paullo ante ſecuti erant, oppidum repetebant.* Non *qui.*

Cap.

Cap. 17. *Hodieque in legibus magiſtratibusq; rogandis uſurpatur idem jus vi ademta.*] Et ſanitas & ſenſus hujus loci in dubium venit. Glareanus, *vi ademtum* probat, ut obliq; Iulius Cęſar denotetur, quem propter Auguſtum nominare fuerit veritus: niſi quis maluerit ad ejus ſeculi ſeditiones referre, quod Cæſarem præceſſit. Sigonius ex vett. libb. *vi ademta*, recte reſtituit, meo judicio, interpretatur perperam. Nempe hodie uſurpatur idem jus, niſi fortaſſe vis aliqua fiat à tribuno plebis, qui ſine auctoritate ſenatus cum populo agat. Non hæc mens Livii, etiamſi Latinum eſſet, ut vix eſſe putamus: *adimo vim*, pro excipio, vel exceptam volo vim. Henr. Stephanus, *vi adeptum.* Pighius, *uſurpatur, inde iis vi adeptum;* teſte Grutero. Quid ſit *uſurpare jus*, diſcendum prius ex lib. 5. *non tamen ultra proceſſum quam ut unus ex plebe, uſurpandi juris cauſſa, P. Licinius Calvus tribunus militum conſulari poteſtate crearetur.* Et lib. 41. *palam res odioſas fieri, juris etiam uſurpandi cauſſa; ne pro dubio habeant, nihil inter ſe & argento parata mancipia intereſſe.* Patres ſolenni quadam obſervatione juris illius, interponendæ comitiis legum & Magiſtratuum auctoritatis ſuæ, poſſeſſionem & uſum tenuerunt; quamvis vim & effectum ejus dudum perdidiſſent, nec ratum non habendo, quod populus in legibus magiſtratibusque rogandis juſſiſſet, irritum facere poſſent. Cum enim plebiſcita etiam Horatia Hortenſiaque legibus obligarent vel invitos Patres, quanto magis quod centuriatis comitiis eſſet latum? Eaque de cauſſa plebiſcitorum, quamvis nolentibus ipſis latorum, fiebant auctores, & ea ſenatuſconſultis confirmabant. Vis illius juris hæc erat, uti quod juſſiſſet populus, id non aliter valeret, quam ſi Patres approbaſſent: hi ſi auctoritatem ſuam ac-

tices infantia: neque tantopere agebatur, ut Livius haberetur purus, quamvis indoctis obſcurior, quamvis verbis & ſenſibus non ubique obviis moleſtus, quamvis etiam alicubi lacer & diſtinctus aſteriſcis: non hæc cura erat, quam ut volumen ſub Livii nomine facile lectu & intellectu eſſet. Itaque elegantiores voces phraſeſque, quod minus auribus occurriſſent, mutare in uſitatiores, nec Livio aut Romano tamen ſed ſæpe ſemibarbaro ſuæ ætatis ſermoni; imprimis autem, ubi conjectura juvanda levi eſſet aliquis error aut oſcitantia librariorum, ibi ſuſpicari lacunas, ibi parare centones, adſuere, farcire, inculcare, omnia denique facere, ut exiret non Livius, ſed pannucea Baucis. Ob hæc non inſulto viris illis bonis & per alia merita egregiis, morem ævi reprehendo, & ne illum emendantibus invidiæ ſit, laboro: denique ne mihi vitio vertatur, cum toties hujuſmodi centones reſeco & vitalia petere Livii cenſear. Si levis ego auctor ſum, at non levis auctor eſt P. Victorius, cujus hæc verba ſunt ad Paradoxa Ciceronis: Quod etiam eo libentius feci, ut videant omnes id, de quo ſæpius queſti ſumus, verum eſſe,

eſſe, quomodo ſcilicet ſuperiores illi librorum correctores in hac provincia ſe gerere ſoliti ſint: quemadmodumque conſueverint totas quandoque ſententias & integra etiam loca, nedum ſingula verba, ſicubi res exigere videretur, de ſuo addere: cognoſcantque eorum temporum atque hominum errorem, qui rectum putarent, ſcripta antiquorum vetuſtate dilapſa & fracta à novis ingeniis ſuppleri & reſtitui: nec mirentur, me quandoque verba quædam parum illuſtria non reperta in priſcis exemplaribus ſuſpecta habuiſſe, & à junioribus his ſuppoſita eſſe exiſtimaſſe. *Cæterum quia tantum ad omnia momentum ille codex erat, etſi ſollicita cura omnes illius apices perſequutum eſſe me crederem; tamen mihi diffiſus à Claudio Salmaſio, quem admodum adoleſcentem tractaſſe eundem librum, qua ſolitus omnia ſubtilitate, ſcirem, ut is libri, in cujus margine pleraſque omnes varietates, & ſchedarum, in quibus inſigniores emendationes annotaverat, mihi copiam faceret, haud gravatim impetravi. Alexander P. F. Petavius Claudio Sarravio parario duos, unum pervetu-*

ſtum & fideliter fere Puteanæo adhærentem, alterum recentiorem, ſed membranaceum nec malæ notæ; Iſmaël Bullialdus ex Bibliotheca regia, Claudius Menardus in Andibus ſuum ſingulos, non quidem nimis annoſos, ſed nec ſpernendos, quia ex optimis translatos, præbuerunt: ex quibus tres integros, meliorem Petavianum, quia ſerius noſſe cœperam, aliquandiu perpetuum, deinde illuſtribus locis contuli. Idem in compluribus Florentinis (quorum unus admodum antiquæ manus, alter recentior, ſed bonitate par illi, cæteri quoque omnes membranacei) & Barberino, Luca Holſtenio apud Cardinalem Franciſcum id mihi officium præſtante, per temporis anguſtias Romæ licuit. Belli Macedonici & Aſiatici primi exemplaria ſcripta ex Barberina, Gabrielis Naudæi, Petaviana ſingula accepi, & integra cum vulgatis relegi: Oxonienſis, Florentini & Veneti cœnobii D. Antonii (cujus aditum Io. Philippus Thomaſſinus mihi fecerat) nonnullis locis conſulti ſervierunt: ſed in nullo plus habebatur, quam quod in Andreanis exhibitum fuiſſe diximus. Hæc fuere cœptis meis præſidia: quæ dum conquiro, vides amice Lector, quot nomina,

quæ

ſed ſolum anni tempeſtati, quæ verna dicitur: & ipſa ſacrorum appellatio docet tempore verno naſci debere animalia quæ ſacrantur. Feſtus: *Ver ſacrum immolationis eſt genus. mos enim Italis fuit, ut magnis periculis adducti voverent quæcunque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia, immolaturos.* Non relinquitur igitur ambigendi locus quin Martius & Majus hoc anno fuerint menſes vernales, ita ut vel citimus Martius non prius advenerit, quam Favonio hibernum tempus reſolvente, de quo verni temporis initio Plin. lib. XVI. cap. 25 juxta editionem Dalecampii: *Ordo autem naturæ annuus ita ſe habet. Primus eſt conceptus flare incipiente vento Favonio circiter fere* VI *Id. Februarii.* & clarius lib. 2. cap. 47. *Ver ergo aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum. Sole Aquarii* XXV *obtinente partem. Is dies ſextus eſt ante Februarias Idus.* Hæc ſunt verba Plinii, ſed ille numerus partium Aquarii corrigendus eſt, & reponi debent XV pro XXV, nam ejus ſeculo Sol piſces medio motu ingrediebatur die 22 vel 23 Febr. & dies A. D. VI Febr. eſt dies menſis VIII. Supererant itaque ad 23 dies XV qui totidem ferme partes motus medii Solis exhibent.

IX. Libro 35. *C. Flaminius in citeriori Hiſpania oppidum Iluciam in Oretanis cepit, deinde in hiberna milites deduxit, & per hiemem prœlia aliquot nulla memoria digna adverſus latronum magis quam hoſtium excurſiones* &c. & paulo poſt. *Dum hæc in Hiſpania gerebantur, comitiorum jam appetebat dies.* Hieme itaque comitia habita & dies ſolemnis ex more fuit Kal. Ian. quapropter Ianuarius menſis fuit hibernus.

X. Sub finem Lib. 36. ſcribit Livius claſſem Romanam Canas veniſſe, & cum *jam hiems ap-*

peteret, foſſa valloque circumdatis naves ſubductas: ſtatim ſubjungit, *exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati ſunt conſules L. Cornelius Scipio & C. Lælius.* Annus eſt A.V.C. 563. jam jam deſinens; juxta Livium, Scaligerum, Petavium Ianuarius debuit incidere in Septembrem Iulianum, ipſæque Kalendæ Ianuariæ ante æquinoctium autumnale quindecim ferme vel amplius diebus. Propterea comitia iſta haberi debuiſſent, antequam claſſis deducta Canas fuiſſet, & naves ſubducerentur; quod narrationi Livii per diametrum adverſatur, qui exitum anni inſuper diſtinguit à tempore appetentis hiemis: & recte, nam hiems laxa ſignificatione apud Romanos accipiebatur ab ortu Vergiliarum, ſicut ver à Favonio flatu. Plin. Nat. Hiſt. l. 2. c. 47. *Vergiliarum occaſus hiemem inchoat, quod tempus in* III *Idus Novembres incidere conſuevit, hic eſt Aquilo hibernus, multumque æſtivo illi diſſimilis, cujus ex adverſo eſt Africus.* Columella Lib. XI de re ruſtica c. 2. *Quinto Idus Novemb. hiemis initium, Auſter, aut Eurus, interdum rorat.* Appetebat ergo hiems circa initium Novembris Iuliani, à quo exitus anni toto bimeſtri tempore diſtabat. Quis itaque Livium non videt confundere tempora rerum geſtarum? luce meridiana clarius patet comitia iſta, quibus Scipio & Lælius conſules creati ſunt, hieme habita eſſe, & propterea Ianuarium in hibernum tempus incurriſſe. At ſcribit v Id. Quintil. Eclipſim ſolis factam, quam in anno Iuliano omnes Tabb. Aſtronomicæ exhibent die XIV Martii. Hanc à Livio *confuſam perturbatamque* narrationem factam arguunt ejuſdem verba, quibus res à conſule Scipione in Aſia geſtas narrat: media æſtate illius anni pugna navalis commiſſa eſt, victique ac fugati à Romanis

Rho-

Rhodiiſque Annibal & Apollonius, qui claſſi Antiochi regis præerant; poſt prœlium iſtud alio inſigni terreſtri inſtante hieme conſul L. Cornelius Antiochum vicit, in hiberna deinde copias deduxit: quæ omnia contigerunt, antequam inſequentis anni 565 comitia conſularia haberentur, quibus creati ſunt conſules M. Fulvius Nobilior, Cn. Manlius Volſo.

XI. Maxime omniũ notanda veniunt quæ Lib. XXXVII referuntur creatis conſulibus M. Valerio Meſſala & C. Livio Salinatore, *priuſquam in provincias novi Magiſtratus proficiſcerentur, ſupplicatio in triduum pro collegio Decemvirum imperata fuit in omnibus compitis, quod luce inter horam tertiam ferme & quartam tenebræ obortæ fuerant.* Iſtæ tenebræ non aliam cauſſam habuerunt quam Solare deliquium, quod factum eſt anno ante Chriſtum currente 188 Iulii die 17. H. 5. 50′ poſt mediam noctem, quando juxta Tabb. Rudolphinas Solis totalis eclipſis Romæ celebrata eſt. Profecti itaque ſunt in provincias novi Magiſtratus poſt diem XVII Iulii menſis in forma Iuliani. Expreſſe porro dicit Livius hos conſules iniviſſe Idibus Martiis. Sit itaque Ianuarius juxta Scaligerum & Petavium in Septembri: Martius concurret cum Novembri, quo menſe oportuit novos Magiſtratus iniviſſe: illi Romæ ſubſtiterunt totos hos menſes Decembrem, Ianuarium, Februarium, Martium, Aprilem, Maium, Iunium, & tandem poſt Iulii diem XVII in provinciam abierunt, id eſt, menſe Novembri in anno veteri Romano: cum ad habenda comitia Romam ipſis redeundum fuiſſet, in ſuam unuſquiſque provinciam diſcedunt; an in mentem cuiquam hoc venire poteſt? an otioſi Magiſtratus annum fere integrum Romæ deſediſſent?

alie-

alienum id à Romanis inſtitutis: Sero equidem hoc anno in provincias abierunt æſtate jam provecta, & hæc cauſa fuit, obquam M. Valerius tardius ad ſequentia comitia redierit, quæ habita ſunt A. D. XII Kal. Martias, & hoc pacto ſex menſes in provincia, quæ ei obtigerat, Valerius conſul egit. Alia inſuper circumſtantia Martium in vere fuiſſe demonſtramus. Antequam comitia, quibus Meſſalla & Salinator creati ſunt conſules, haberentur, Cn. Manlius conſul oratores de pace, quos Galli ad eum miſerant, *Epheſum venire juſsit, ipſe (jam enim medium autumni erat) locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans victorem exercitum in hiberna maritimæ oræ reduxit.* Si Ianuarius menſis anticipaviſſet in Octobrem vel Septembrem, comitia habita fuiſſent, antequam conſul medio autumno in hiberna reduxiſſet.

XII. Anno A. V. C. 574. creati conſules A. Poſthumius Albinus Luſcus & C. Calpurnius Piſo: ii Idibus Martiis inierunt. De illis Livius libro 40 ita ſcribit: *Veris principio hujus dum conſules novos delectus Romæ tenet, mors deinde alterius, & creandi comitia conſulis in locum ejus omnia tardiora fecerunt.* Scimus delectum confeſtim à Coſs. haberi cœptum, ubi magiſtratum inierant. Idus itaque Martiæ anni veteris Romani convenierunt hoc anno cum Martio Iuliano, nec plus anticipaverunt, quam ut in Februarium inciderent. Quid quæſo? Si Idus Martiæ principio Decembris aut Novembri affecto numeratæ fuiſſent, delectus poſt tres aut quatuor menſes rejectus (fuiſſet, & oſcitantes Magiſtratus Romæ reſediſſent. Conſulum hicce fuit mos, exacta æſtate, affecto autumno & imbribus furente in hiberna reducere copias, evocatos deinde ab hiber-

quæ nunquam expungam, me facere oportuerit. Vtinam vero plura facere licuiſſet, nec horum opportunitatem quorumdam, qui Bibliothecis præſunt, commendaret importuna barbaries: quæ me libellis ſupplicibus non unis adire principes ſubegit, & cum tamen nihil efficerem, non Diomedea, ſed Philippica πειθανάγκη immitia cuſtodum pectora aggredi, quodque etiam tum aliorum in aliis rebus, non meo exemplo in hac, fieri more ſciebam, pretio corrumpere docuit. Sed obduremus, & bonorum potius documentorum memores ſimus. Quos igitur obnoxium me tenere hoc beneficio viros honoribus, virtutibus, ſtudiis illuſtriſſimos libenter ſum confeſſus, illis & hujus & reliquæ omnis per peregrinationem meam præſtitæ incredibilis humanitatis ergo gratias hic publice ingentes ago: & ſiquid boni opera mea literis & tanto ſcriptori provenit, non tam labori meo, qui utcunque navus, haud tamen pari ingenio doctrinaque ſuſtentatus fuit, quam illorum humanitati & copiis adſcribendum profiteor. De ipſo Livio, etſi locis innumeris ille ſimilior eſt ſui, tamen memineris hoc omnium librorum fatum eſſe, ut navis operarum inſignes prodeant,

 præ-

præſertim abſentibus editoribus, & non nitidiſſima diſtinctiſſimaque eorundem ubique ſcriptura: denique ex ultima Gruteri in duabus Elzevirianis aliquot mendas expreſſas, quod ſerius animadverti, dum dubiis intentus ſum magis, quam illis, quæ inprius vulgatis recte ſemper habuerunt. Hoc igitur nobis non imputabis, vel, ſi mavis, condonabis: & ubi contextum non conſentire cum notis invenies, id noſtrum cenſebis, quod erit in notis probatum. Vale, & ſtudiis noſtris dum frueris, fave.

JOHANNIS FREDERICI GRONOVII.

AD

T. LIVII

LIBRUM I.

NOTÆ.

CAP. I. *Cui Aſcanium parentes dixere nomen.*] Duo Pall. pronomen ignorant. Et certe compendium loquendi ſcitum ac familiare Livio vitiarunt, à quibus illud immiſſum. Scribe: *Brevi ſtirps quoq; virilis ex novo matrimonio fuit: Aſcanium parentes dixere nomen.* Sic infra Cap. 23. *Ea res ab ſtativis excivit Metium. ducit qua proxime ad hoſtem poteſt.* Sic enim Rhenani liber & tres Pall. nec non membranæ Oxonienſes. Vulgo hic quoque: *is ducit.* Etiam ſequenti: *Fecialis erat M. Valerius. patrem patratum Sp. Fuſium fecit.* Rhenanus interpoſuit *is* contra omnium Pall. & Oxon. conſenſum. *lib. 5. ibi omen ſequentes loci condidere urbem, Mediolanum appellarunt.*

Cap. 3. *Manſit Silvium poſtea omnibus cognomen*]

men] Ita Lipſius, &, vix eſt, inquit, ut aliter Livius. Sane cum *nomen* familiam ſignificat aut gentem, amat ita ponere auctor. Vt infra: *te nomen Tarquinium creat vocatque regem.* Hoc eſt, jure gentis, ut alibi loquitur, regnum ad te pertinet. Sic lib. 2. *Inviſum erat Fabium nomen plebi propter noviſſimum conſulem.* Et ſtatim: *Fabium inde nomen ingens poſt tres continuos conſulatus.* At cum vocabulum viri ſignat, pace tanti viri dixerim, nunquam ſic Livius. Quæ vero Lipſius citat: *Aſcanium dixere nomen: L. Tarquinium Priſcum edidere nomen:* in iis appoſitio eſt, ſeu conjunctio quaſi ſubſtantivi cum ſubſtantivo, non adjectivi cum ſubſtantivo. Quod evidenter agnoſcas ex illis, lib. 7. *Quidam Cæſonem, alii Cajum nomen Quintio adjiciunt*, lib. 35. *Filiis duobus Philippum atque Alexandrum & filiæ Apamiam nomina impoſuerat.* Vulgo legebatur antea, *Silvius.* Quod propius accedit ad veram ſcripturam nobis hauſtam ex memb. Oxon. *Manſit Silviis poſtea omnibus cognomen.* Atque hac forma perpetuo noſter. Lib. 1. *pagoque inde Trojano nomen: puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit: cui Superbo cognomen facta indiderunt: Superbo ei inditum Romæ cognomen.* lib. 2. *Cui Scævolæ à clade dextræ manus cognomen inditum.* Ita enim o. Mss. Et iterum: *Atta Clauſus, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ nomen.* Sic locis prope innumerabilibus. Nec dubito ſic reſtituendum lib. 25, 2. *Scipio, cui poſtea Africano fuit cognomen.* Eodemque libro c. 28. *Epicidem, cui Sidoni cognomen erat.* lib. 26, 27. *ſervus (Manno ei nomen erat)* lib. 35, 24. *utrique eorum Salinatori erat cognomen.* Vbi vulgo legitur *Africanus* (Putean. antiquiſſimus *Africanos*) *Sidon, Mannus, Salinator.* Scribatur ergo & hic, *Silviis.* Nec numerus offen-

offendat tirones: nam ita lib. 37. *duo Quinti Fabii Labeo & Pictor.* Alteram figuram ex Piſone obſervat A. Gellius lib. 15.29. Seneca epiſt. 12. *Heracletus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obſcuritas.* Niſi tamen mavis, *Scotino.*

Cap. 5. *per luxum atque laſciviam currerent.*] Edidimus: *luſum atque laſciviam:* adſeruimuſque olim in Obſervationibus. Et voluit ante Gruterus Lib. 37. *pars in juveniles luſus laſciviamque verſi.*

Cap. 6. *ut dii, in quorum tutela ea loca eſſent*] Lipſianus, duo Pall. Oxon. *ut dii, quorum tutelæ ea loca eſſent.* Rectius elegantiuſque multo, quamvis reprobante Grutero. Lib. 24. *& corpus ſuum cæteraque omnia, quæ ſuæ fidei tutelæque eſſent.* Eodem: *ad eum mitterent legatos, cujus juris arbitriiq; eſſet.* Lib. 42 *petere, ut eum non ſub hoſpitum modo privatorum cuſtodia, ſed publica velut curæ atque tutelæ eſſe vellent.*

Cap. 7. *ſacrum adhibitis ad miniſterium*] Tres Pall. *ſacrum Herculi adhibitis ad miniſterium.* Nec videtur otioſum: nam ex præcedentibus vix poſſis diſcernere, Evander an Hercules id ſacrum fecerint. Inferius ſcribo cum duob. Pall. *ne extis ſolennium veſcerentur.* Intellige, ſacrorum aut ſacrificiorum. Lib. 5. *Sacrificiis ſolennibus non dies magis ſtati quam loca ſunt.* Vulgo, *ſolennibus.*

Cap. 9. *quibus ſors corpora dediſſet*] Frequens corruptio. Refice cum duob. Pall. *quibus fors corpora dediſſet.* Fortuitus nempe raptus. Sic lib. 21, 5. *Fors conglobat, & animus cuiq; ſuus ante aut poſt pugnandi ordinem dat.* Nam ſic reſtituimus ex antiquiſſimo libro Puteanorum FRR. Vulgo: *ſors conglobabat.* Sed vide, quæ ibi dicemus. Sic etiam libro 31, 41. *non probante Amynandro nec effuſas populationes Ætolorum, nec caſtra,*

quo ſors tuliſſet loco, ſine ullo diſcrimine ac cura muniendi poſita. Scribe: *quo fors tuliſſet loco.* Poſt paullo: *quum ſua vice functus officio ſit.* Pall. tres, Oxon. & Regius: *ſuam vicem.* Quia non erat plebejum, mutari oportuit. Quaſi non auctor lib. 3. *quum ita priores decemviri ſervaſſent, ut unus haberet faſces, & hoc inſigne regium in orbem ſuam cujuſque vicem iret.* lib. 28. *ab ſollicitis vicem imperatoris militibus.* Cicero 1. famil. *noſtram vicem ultus eſt ipſe ſeſe.*

Cap. 13. *dirimere infeſtas acies, dirimere iras:*] Haud aliter ſcripti. Perſuaſus tamen prope ſum ab Livio exiiſſe: *delinire iras.* Vt ſupra: *mollirent modo iras.* Lib. 2. *diem tempuſque forſitan ipſum leniturum iras.* Terentius: *atque hæ iræ leniunt.* Noſter iterum lib. 7. *extemplo omnibus memoria patriæ iras permulſit.* Nec ignoro apud comicum citatum in Hecyra: *rem cognoſces, iram expedies.*

Cap. 14. *locis circa denſa obſita virgulta obſcuris*] Scribe: *locis circa denſo obſito virgulto obſcuris.* id eſt, propter illud obſitum virgultum. Lib. 21. *& circa obſitus paluſtribus herbis, & quibus inculta fere veſtiuntur, virgultis vepribuſque.* Lib. 28. *confragoſa loca & obſita virgultis tenebant colles.* Non hinc longe: *minaci genere pugnæ obequitando ipſis prope portis.* Scriptura omnis vetus *adequitando.* Sic lib. 24, 31. *tanto clamore ad arma diſcurſum eſt, ut prætores inter tumultum pavidi adequitaverint Syracuſas, impetuſque in Syracuſanos fiebant.* Sic Put. omneſque fere Gallic. & Pall. Vulgo: *obequitaverint* & *fiebat.* Lib. 35. *nunc in dextrum cornu ad ſuos adequitandi.* Ibidem inferius putem rectius ſcribi: *multoque effuſius (quippe vera fuga) quam ſimulantes paullo ante ſecuti erant, oppidum repetebant.* Non *qui.*

Cap. 17. *Hodieque in legibus magiſtratibusq; rogandis uſurpatur idem jus vi ademta.*] Et ſanitas & ſenſus hujus loci in dubium venit. Glareanus, *vi ademtum* probat, ut obliq; Iulius Cęſar denotetur, quem propter Auguſtum nominare fuerit veritus: niſi quis maluerit ad ejus ſeculi ſeditiones referre, quod Cæſarem præceſſit. Sigonius ex vett. libb. *vi ademta*, recte reſtituit, meo judicio, interpretatur perperam. Nempe hodie uſurpatur idem *jus*, niſi fortaſſe vis aliqua fiat à tribuno plebis, qui ſine auctoritate ſenatus cum populo agat. Non hæc mens Livii, etiamſi Latinum eſſet, ut vix eſſe putamus: *adimo vim*, pro excipio, vel exceptam volo vim. Henr. Stephanus, *vi adeptum.* Pighius, *uſurpatur, inde ius vi adeptum;* teſte Grutero. Quid ſit *uſurpare jus*, diſcendum prius ex lib. 5. *non tamen ultra proceſſum quam ut unus ex plebe, uſurpandi juris cauſſa, P. Licinius Calvus tribunus militum conſulari poteſtate crearetur.* Et lib. 41. *palam res odioſas fieri, juris etiam uſurpandi cauſſa; ne pro dubio habeant, nihil inter ſe & argento parata mancipia intereſſe.* Patres ſolenni quadam obſervatione juris illius, interponendæ comitiis legum & Magiſtratuum auctoritatis ſuæ, poſſeſſionem & uſum tenuerunt; quamvis vim & effectum ejus dudum perdidiſſent, nec ratum non habendo, quod populus in legibus magiſtratibusque rogandis juſſiſſet, irritum facere poſſent. Cum enim plebiſcita etiam Horatia Hortenſiaque legibus obligarent vel invitos Patres, quanto magis quod centuriatis comitiis eſſet latum? Eaque de cauſſa plebiſcitorum, quamvis nolentibus ipſis latorum, fiebant auctores, & ea ſenatuſconſultis confirmabant. Vis illius juris hæc erat, uti quod juſſiſſet populus, id non aliter valeret, quam ſi Patres approbaſſent: hi ſi auctoritatem ſuam ac-

commodare nollent, ad irritum recideret. Prægravante autem Senatum plebis potentia vim illam amiſerunt: jus ne amitterent, dicis cauſa in incertum comitiorum eventum auctores fiebant eorum, quæ populus conſtituiſſet: cenſebant, quod juſſurus erat populus, ſeu præveniebant adprobando, quod impedire non poterant. Aliud eſt utique juris cujuſdam animo aut verbis conceptis ſolennive quadam cerimonia cuſtodiam præ ſe ferre; aliud vim & poteſtatem habere juris illius experiundi & exſequendi. Ita *vim & imaginem* opponit Tacitus lib 15. annal. *Vaſaces imaginem retinendi donandive penes nos, vim penes Parthos memorat.* Imaginem retinendi uſurpabat ſenatus, vi carebat. lib. 3. annal. *Tiberius vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis ſenatui præbebat.* Eodemque: *ætate provecta ſpeciem magis in amicitia principis quam vim tenuerat.* Et Livius lib. 28. opponit inter ſe *vim imperii abſtuliſſe* & *ſpeciem dicto parentium ſervare.* Sed inprimis illuſtrat Livium Cicero in oratione pro Plancio: *Nam ſi ita eſſet, quod Patres apud majores noſtros tenere non potuerunt, ut reprehenſores eſſent comitiorum, id haberent judices. quod multo minus eſt ferendum: tum enim magiſtratum non gerebat is, qui ceperat, ſi Patres auctores non erant facti.* Exemplum eſt lib. 6. ſub finem. Perlatis rogationibus tribunitiis de modo agrorum, de fœnore, de conſule altero ex plebe creando, *quia patritii ſe auctores futuros negabant, prope ad ſeceſſionem plebis res terribileſque alias minas civilium certaminum venit.* At poſtquam concordia redijt, factum S.C. *ut Patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent.* Fortaſſis autem & ſtatim ante pro *patritii* ſcribendum

dum *Patres*: horum enim id juris, non illorum omnium. Immo poſt annum ab V. c. 414, ſi Livio ipſi fides, non Patres hoc uſurpandi juris cauſſa, ſed jam lege coacti fecerunt: tum enim Q. Publilius Philo Dictator pertulit, *ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium Patres auctores fierent*, lib. 8. Quam confirmatam poſtea fuiſſe lege Mænia ſuſpicari licet ex Ciceronis Bruto, ubi ait de Curio: *quod is tribunus plebis, interrege Appio Cæco comitia contra leges habente, cum de plebe conſules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit: quod fuerit permagnum, nondum lege Mænia lata.*

Cap. 18. *circa Metapontum Heracleamque & Crotonem*] Cum & ſcripti & editi veteres conſenſu habeant *Crotonam*, facile adſentimur Glareano Græcam terminationem, *Crotona*, placuiſſe Livio. Sic apud Valerium Maximum lib. 2, 6. *Areioſpagus*, lib. 5, 3. *Ariumpagum*, lib. 4, 7. *loquatur nunc Græcia Theſea*, lib. 5, 3. *Themiſtoclea victorem*, lib. 9, 14. *Hybreanta Myſalenum*, etſi aliter alii declinent, in Mss. reperitur. Item *Timagoran, Mantinean, Senonas*. Livius 24, 31. *tantus extemplo primum à Cretenſibus clamor eſt ortus*. Putean. *à Crentibus*. Scribe: *à Cretibus*. Lib. 37. *Mnaſymachum Acarnana*. Mox in eadem narratione de Pythagora: *quâ fama in Sabinos aut quo linguæ commercio quemquam ad cupiditatem diſcendi exciviſſet?* Non habet, unde pendeat, *in Sabinos*, niſi intelligas, *nomen ejus perveniſſet*, quod quidem durum mihi videtur. Potius dele præpoſitionem, aut ſcribe: *quâ fama tum Sabinos*. Vix erat ea ætate ullum commercium mediæ Italiæ incolis cum maritimis; quomodo igitur, inquit, aut Sabinos aut quemquam alterius oræ exciviſſet. Eodem cap. extremo vix

me abſtinui, quin reciperem Modii conjecturam: *uti tu ſigna nobis certa acclaraſſis.* Certe *uti tu* habent Pall. omnes, non *tua.* Ipſe quoque in ſuis *ac claras ſis* pro *ac clara ſint*, reperit. Amant vero etiam politiſſimi ſcriptores antiquitatē in talibus.

Cap. 21. *ut fides ac jusjurandum proximo legum ac pœnarum metu*] Sic Rhenanus ex mss. quibuſcum faciunt noſtri. Intruſerant antea: *propulſo legum.* Sed nec illa caret omni labe lectio. P. Nannius conjectat: *pro ipſo legum.* Lipſius quid ſuſpicetur, dicturum ſe promittit: præſtiterit necne, haud ſcio. Repone: *ut fides & jusjurandum pro ſummo legum ac pœnarum metu civitatem regerent.* Senſus, fidem & jusjurandum valuiſſe tantum in continendis civibus, quantum maximus legum & pœnarum metus. *Pro* comparationis eſt nonnunquam. *Pro nihilo putare, pro ſepulcris, pro alienigenis ſperni.* Ovidius epiſt. Briſeidos: *At mea pro nullo pondere verba cadunt.* Quod nec Latinum eſſe neque explere ſenſum cauſſatus Gruterus ſupponit: *proh nullo.* Quaſi non Ovidius lib. 3. Metam. *gravius Saturnia juſto, Nec pro materia fertur doluiſſe.* lib. 10. *ut leviter pro materiaque doleret.*

Cap. 23. *excivit Metium. is ducit quam proxime*] Tò *is* delendum eſſe diximus. Sed & ſcribendum: *qua proxime.* Lib. 9. *qua duci proxime poteſt, expeditas legiones ad collegam; & ipſum adverſus alios ſedentem, ducit.* Lib. 10, 34. *Conſul. ad eam partem urbis, qua adierant equites, circumducit agmen.* Et cap. 35. *ſed via una, & ea ipſa præter hoſtes, erat, qua ingreſſi præbuere ſpeciem.* Sic utrobique Thuanæus & Pall. Vulgo, *quam.* Lib. 40. *quum in conſpectu locorum conſultaret, qua proxime itinera ad mare ducerent.*

Cap. 24. *ut cujus populi cives eo certamine viciſſent*]

ciſſent] Lipſianus, Oxon. Regius Pariſinus, duo Pall. *ut cujuſque populi*. Redolet hoc quoque vetuſtum ſermonem in formulis ſervatum. Cicero in 2 de legib. *Quaque quoique divo decora grataque ſint hoſtiæ, providento.* Et rurſum: *Quaque augur infauſta nefaſta, vitioſa, dirave deixerit, irrita infectaque ſunto. Quique non paruerit, capital eſto.* Livius inferius cap. 32. *cujuſq; gentu ſunt, nominat.* Sic iterum MSS. non *cujuſquumque*. lib. 19, 10. *Quandoque hice homines injuſſu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt.* Sic enim ibi ex mss. reſtituimus, cum vulgo ab eadem imperitia eſſet, *Quandoquidem*. Pariter lib. 29, 10. *Quandoque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet.* Hæc ſcriptura vetus: novitia editionum, *quandocumque*. Seneca ad Helviam: *animus levis, & exſertus, & quandoque emiſſus fuerit, ad ſuprema emicaturus.* Horatius: *Indignos, quandoque bonus dormitat Homerus.*

Cap. 25. *tertium, cauſſam belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo.*] Quomodo tertius ille cauſſa belli? Sabinæ vociferantur ſuperius: *nos cauſſa belli, nos vulnerum ac cædium viris ac parentibus ſumus.* Quid tale dicere poterat tertius ille Curiatius? At quid hoc eſt, *tertium belli cauſſam dabo?* Corrige omnino: *tertium cauſſæ belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo.* Priores, inquit, ſingulorum fratrum manibus inferias mactavi, tertium impendam in cauſſam belli, quæ eſt uter populus imperet: tertius cæſus cauſſam faciet obtinere Romanos. Metius ſupra ad Tullum: *cupido imperii duos cognatos vicinoſque populos ad arma ſtimulat.* Non erant autem victi Albani, quamdiu unus ille ſuperſtes. Eodem cap. *eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat.* Ab uno Sigonii eſt ne

optimæ notæ libro. Lipſianus, tres Pall. Oxon. cum priſcis edd. *quo prope metum*. Quod verum eſt, utque intelligas, divide *majore* in *magis magno*, ut ſubaudire *magis* ad *prope* poſſis. Vt apud Senecam de conſtantia ſapientis cap. 11. *Vt quiſque contemtiſſimus & ludibrio eſt, ita ſolutiſſima lingua eſt.* Vbi ſimiliter ejecimus duas voces, *ut maxime*, quæ in nullis mss. bonæ notæ comparent, & exquiſitum loquendi compendium vitiant. Vis præcedentis tertiæ collationis prorogatur ad proximum *ludibrio*, ut perinde ſit, atque ſi dixiſſet: *ut quisque maxime contemtus & ludibrio eſt.* Tacitus annali ſexto: *tanto acceptius in vulgus, quanto modicus privatis ædificationibus.* id eſt, tanto magis acceptus, quanto modicus. Idem in vita Agricolæ: *ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ vehementius quam caute appetebat.* Plinius lib. 19, 6. *Grandeſcunt quo ſæpius ſarriuntur.* Sed & illa, *quam, quo, quanto*, ſæpe occurrunt pleniori ſignificatione pro *magis quam, quo magis quanto magis.*

Cap. 26. *quæcumque Romana lugebit hoſtem.*] Ab Rhenano inolevit. Scripti & editiones veteres teſte etiam Sigonio: *Romanum.* Idque genuinum probat ipſe Livius lib. 23. *qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi habeant.* Sic *ſocii Romani* eodem libro: *ſocii Romani propugnacula adverſus vineas ſtatuere.* Lib. 22. *in agrum pacatum Romanorum ſociorum ad populandum venerunt.* Ibidem ſic diſtingue: *Hac lege Duumviri creati, qui ſe abſolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem poſſe, quum condemnaſſent; tum alter ex his, &c.* Robortellum non moramur.

Cap. 32. *longeque antiquiſſimum ratus*] Conſidera locum attente, nec negabis vel invitis libris delendam eſſe particulam copulativam, ſcribendum.

dumque: *longe antiquiſſimum ratus.* Cicero 12 ad Atticum: *Officium ſit nobis antiquiſſimum.* Columella lib. 6, 36. *Antiquiſſimum eſt diligenter exquirere & explorare parentem futuræ prolis.* lib. 8. *Antiquiſſima eſt autem cum in omnibus pecoribus tum in hoc fides paſtoris.* Et ſæpius. Sic *antiquitas* pro ſtudio, ſollicitudine, apud Salluſtium in fragmentis: *tantum antiquitatis curæque majoribus pro Italica gente fuiſſe.* Douza lectionem pronuntiat ab hoc loco alienam, quæque nihil ad genium Salluſtianæ antiquitatis faciat: veram autem ſe conjectare hoc modo reſtituendam: *tantum anxietatis curæque.* Sed non meminerat vir inſignis fragmentum hoc deberi Servio ad 2 Georg. ibi: *Antiquaſque domos avium.* Quod explicat, *aut revera antiquas aut charas;* & in poſterioris interpretationis fidem allegat verba Criſpi. Cicero in orat. pro Plancio: *Neque vero tam durus in plebem noſter ordo fuit, ut eam coli noſtra modica liberalitate noluerit: neque hoc liberis noſtris interdicendum eſt, ne obſervent tribules ſuos, ne diligant, ne reficere neceſſariis ſuis tribum poſſint, ne par ab iis munus in ſua petitione exſpectent: hæc enim plena ſunt officii, plena obſervantiæ, plena etiam antiquitatis.* Inferius eodem cap. MSS. & primæ editiones: *filo lana velamen eſt.* non *filum.* Nec video cur mutare debeam. Livius lib. 24. *pilleati aut lana alba velatis capitibus volones epulati ſunt.* Feſtus: *Flamen Dialis dictus, quod aſſidue veletur filo.* Iuvenalis: *Tyrio ſtlataria purpura filo.* Rurſus hoc capite: *tum patria compotem me nunquam ſinas eſſe.* Vera lectio vetus: *nunquam ſiris eſſe,* quam fruſtra tentat Rhenanus. Plautus Epid. *Cave ſiris cum filia mea copulari hanc.* Mercat. *Ne dii ſirint.* Noſter lib. 28, 28. *Ne iſtuc Iupiter optimus maximus ſirit.* Sic

Sic plane Putean. nam recentiores vitiati. Neque aliter ſcribendum lib. 34, 24. *Ne iſtuc, inquit, Iupiter optimus maximus ſirit, Iunoque regina.* MSS. enim fere omnes: *ſiria*, non *ſiverit*, ut edebatur.

Cap. 33. *quum circa Palatium ſedem veteres Romani, Sabini Capitolium*] Immo non circa Palatium, ſed in ipſo maxime Palatio ſedem ceperant veteres Romani. Scripti, quod jam Rhenanus indicavit, *veterem Romanorum.* Quod explicat ille, ut intelligas Sabinos Capitolium atque arcem impleſſe circa Palatium, quæ erat ſedes veterum Romanorum. Scribe me auctore: *& quum, citra Palatium ſedem veterum Romanorum, Sabini Capitolium atque arcem, Cælium montem Albani impleſſent; Aventinum novæ multitudini datum. Citra* hic, ut interdum ſolet alibi, idem quod præter.

Cap. 34. *humiliora ſineret. Ea quum innupſiſſet*] Laus debetur Rhenano, qui *innupſiſſet* repoſuit pro *illi nupſiſſet*. Cum ne ſic quidem eſſent omnia ſana, Nannius loco *ſineret* reſcribebat, *ſentiret*. Præſtamus conjecturam extra aleam: *ab inopia Egerio inditum nomen. Lucumoni contra omnium heredi bonorum quum divitiæ jam animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil, ſummo loco nata, & quæ haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora ſineret ea, quæ innupſiſſet. Spernentibus Etruſcis Lucumonem* &c. Ubi *iis* & *ea* intellige, ea domo & gente, atque eam domum & gentem. Partem ſententiæ illuſtrat illud Taciti in vita Agricolæ: *idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit.* Partem illud Statii lib. 1. Thebaid. *neſcis, pater optime, neſcis, Quantus amor cauſſæ miſero nupſiſſe marito.* Statim ne dubita refingere: *Roma eſt ad id potiſſima viſa*, id eſt,

eſt, commodiſſima ad eam ſpem perſequendam. Male *potiſſimum*. lib. 21. *locum qui prope flumen ſtativis tutiſſimus eſt viſus*. Et obvia talia.

Cap. 36. *exercitus vocati, ſumma rerum, ubi aves*] Locus adhuc corruptus. Quid eſt enim *ſummam rerum dirimi*? aut quis concilium conſultantium ipſamve conſultationé dixit *ſummam rerum*? Scribimus: *concilia populi exercitus vocati de ſumma rerum, ubi aves non admiſiſſent, dirimerentur. Populum exercitum* cape per appoſitionem, & *populum exercitum vocatum*, pro eo quod dicebant *Quirites in licium vocatos*, aut *exercitum imperatum*. Locus ſingularis, qui lucem dat & viciſſim illuſtratur iis, quæ diximus 1. obſerv. 1. nec mutamus, alia non pauca ejuſdem libelli, ſi Deus dabit, in melius quandoque mutaturi. Comitia centuriata circumſcribit.

Cap. 39. *ſedatoque jam tumultu moveri vetuiſſe puerum*] Quem vetuiſſe? Scribe: *ſedatoque eam tumultu*. Nempe, reginam.

Cap. 40. *advenam, non modo vicinæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis*] Lege cum MSS. & Aldina: *non modo civicæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis*. Hoc ipſum dicit lib. 4. *deinde Tarquinium, non Romanæ modo, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis*.

Cap. 41. *Tum demum palam facta ex comploratione in regia orta*] Freinshemius: *palam facta, ex comploratione in regia, morte*. Gruterus: *palam factum*. Sed optimorum & Pall. & Gall. Florentinorumque lectio eſt: *Tum demum palam facto, & comploratione in regia orta*. quam propoſuimus defendimuſque cap. 48. Diatribes ad Statii Silvas. Lib. 22. *quod ſatis in uſum erat, ſublato, cæterum omne incenſum*. Lib. 25. *& ne id quidem nuntiato, quo pergerent, tantum convocatos milites monuit*. Lib. 30. *velut debellato jam, quod*

ad

ad Syphacem Carthaginienſeſque attineret. Cæſar lib. 7 de bello Gall. *temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quod ſibi ipſi judicaviſſent, quo procedendum, aut quid agendum videretur, neque ſigno recipiendi dato conſtitiſſent, neque à tribunis militum legatiſque retineri potuiſſent: expoſito quid iniquitas loci poſſet, quid ipſe ad Avaricum ſenſiſſet.* Ita membranaceus Andinus bonæ fidei, Vulgatur *expoſuit.* In eadem phraſi eandem ſyntaxin repoſuimus ex Put. Petav. & optimis quibuſque lib. 22, 55. *& nondum palam facto vivi mortuique per omnes pæne domos promiſcue complorarentur.*

Cap. 46. *qui habere quam ſperare regnum mallet.*] Freinshemius: *expectare.* Quod ut non incommodum eſt, ita cur ingratiis veterum codd. oggeratur, cauſſam non video. Tuetur ſuum Livius lib. 44. *Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc ſperare regnum, nec ambigere unquam de eo forſitan debeam, quia minor ſum, quia tu me majori cedere vis.* Sic Demetrius indicans eam ſpem eſſe proximi ſucceſſoris deſtinati Perſei. Lib. 45. Stratius medicus Eumenis fratrem Attalum monens: *ſibi ipſi ſpem propinquam regni erepturum.* Ne dicam, quam bene *res* opponitur *ſpei*, id quod frequenter faciunt tam bene opponi *habere* & *ſperare.*

Cap. 48. *Flectente carpentum dextra in Virbium clivū*] Clivus iſte ſive *Virbius*, ut habent Liviani codices, an *Vrbicus*, ut vulgo apud Solinum legitur & retulit in regiones urbis Onuphrius, an denique *Vrbius* dictus, ut ſuggerunt ſcripti codices Solini & Aldina editio Livii, adhuc ſub judice lis eſt. *Virbius* eſſe nequit, nam hic fuit alibi, & quidem non in urbe, quid nimis ſecure ex hoc dubio loco adfirmat Cluverius. *Orbium* videtur

velle

velle Feſtus: *Orbius clivus videtur appellatus eſſe ab orbibus, per cujus flexuoſos orbes filia Servii Tullii regis & L. Tarquinius Superbus gener interfecto rege properaverunt tendentes una in regia domus poſſeſsionem. Cœptus eſt autem is clivus appellari Orbius, quod pronus cum eſſet, per orbes in Eſquiliarum collem duceret; unde Orbius ab ipſis orbibus ſic appellatus eſt.* Varro etiam Cyprio vico proximum facit locum, ubi jacuit corpus regis lib. 4 de L.L. *Vicus Ciprius à Cipro* &c. *Prope hunc vicus Sceleratus dictus à Tullia Tarquinii Superbi uxore: quod ibi cũ jaceret pater occiſus, ſupra eum ut mitteret carpentum mulio, juſſit.* Ab interpolatrice manu codices Sigonii: *flectere carpentum in dextram juſſit aurigam, ut in collem.* Inquinatiſſime. Noſtri meliores ſervant vulgatum. Et tamen ibi, *reſtitit pavidus*, nequaquam cohæret cum *flectente*. Scribe tantiſper: *flectens carpentum dextra in Orbium clivum, ut in collem Eſquiliarum eveheretur, reſtitit pavidus.* Hoc eſt, dum flectit. Servius ad Virgilii ſexto Æned. *Præcipitans traxi mecum*] *Dum præcipitarer.* Ne requiras analogiam in *Orbius* ab *orbis*: hæc enim in propriis nominibus conſtat, ut *Vectius* à *vectis*, *Sentius* à *ſentis* abrogato principio τοῦ *ſentes*.

Cap. 50. *Credere & Latinos: quamquam ne ſic quidem alienigenæ deberent*] Meo periculo diſtingue & lege: *Quod ſi ſui bene crediderint cives, aut ſi creditum illud & non raptum parricidio ſit, credere & Latinos (quamquam ne ſic quidem alienigenæ) debere.* Infinitis locis infinitam hujuſmodi orationem additamentis ſuis fulcire ſunt aggreſſi. Lib. 2, 58. *Odiſſe plebem plus quam paterno odio, quod ſe victum videbat ab ea, & ſe unico conſule electo adverſus tribunitiam poteſtatem perlatam legem eſſe.* Verbum *videbat*, particulaque

que & in nullo Pall. comparent. Quare me au-ctore & conjunctio *quod* ejiciatur. Nam ſince-rum eſt: *Odiſſe plebem plus quam paterno odio: ſe victum ab ea, ſe unico conſule &c.* Itaque videtur habuiſſe codex Rhenani. Ad ſupplendam ſenten-tiam intelligendum *dolere* aut *indignari* aut *cogi-tare*. Lib. 3. 71. *Scaptione hic concionali ſeni ad-ſignaturos finitimos populos?* Inſeruerunt *putarent*: quod ego ſacramento quinquagenario conten-dam Livii non eſſe. Lib. 10, 13. *Quid ergo at-tinere leges ferri, rogitans, quibus per eoſdem, qui tuliſſent, fraus fieret?* Fecerunt, *attineret*. lib. 6. *quid attinere cum mortali corpore uno civitatis, quam immortalem eſſe deceat, conſeneſcere vires?* Lib. 23, 44. *Multos annos jam inter Romanum Nolanumque populum amicitiam eſſe, cujus neu-tros ad eam diem pœniteret.* Scribe: *pœnitere*. Vi-de ſequentia. Hæc ut conjiceremus, in aliis locis fidi codices audaciam nobis dederunt. Lib. 21, 30. *Neque ante Hiſpania exceſſiſſe, quam omnes genteſque & terræ ea, quas duo diverſa maria am-plectantur, Carthaginienſium eſſent.* Put. & om-nes ſcripti: *terras eas.* indicio fuiſſe olim: *quam omnes genteſque & terras eas, quas duo diverſa ma-ria amplectantur, Carthaginienſium eſſe.* Vt pla-ne reperit in ſuis Laurentius Valla, qui vulgatæ eſt architectus. Lib. 22, 34. *fraude id bellum tra-hi. cum quatuor militum legionibus univerſis pu-gnari poſſe apparuiſſe eo, quod M. Minutius abſen-te Fabio proſpere pugnaſſet.* Sic Puteanæus & Me-nardi. Vulgo: *quum apparuiſſet ac eo.* Et ſtatim in eadem concione: *nam plebejos nobiles jam eiſ-dem initiatos eſſe ſacris, & contemnere plebem, ex quo contemni deſierint à Patribus, cœpiſſe: Cui id non apparere?* Sic idem Put. & omnes boni codices. Lib. 23, 44. *quos collaudatos Marcel-lus*

lus in ſubſidiis ſtare, & ſaucios ex acie efferre juſſit; pugna abſtinerent, niſi ab ſe ſignum accepiſſent. Put. & melior Pet. *τὸ niſi* non habent. Scribe: *pugna abſtinere, ni ab ſe ſignum accepiſſent.* Quemadmodum eodem libro ſuperius cap. 21. *juſſique ipſi claſſibus atque exercitibus ſuis conſulere. T. Otacilius ad unicum* &c. Vbi vulgo: *conſulerent. Otacilius ad unicum.* Rurſus cap. 45. *Annibal multo gravioribus probris increpabat: arma ſignaque eadem ſe, ajebat, noſcere, quæ ad Trebiam Thraſymenumq;.* Dele, *ajebat*, cum Put. Pet Men. quod eodem modo infulſerunt. Lib. 24, 3. *Fama eſt aram eſſe in veſtibulo templi, cujus cinerem nullus unquam moveat ventus.* Put. omnium veterum princeps: *nullo unquam move ventos.* Vera lectio eſt: *cujus cinerem nullo unquam moveri vento.* Pendet enim hoc quoque ab illo *fama eſt.* Cui prorſus ſimile invenias lib. 3, 10. *Inter alia prodigia & carne pluiſſe, quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuiſſe fertur.* Sic Rhenani ſcriptus liber, ſic ex viſis mihi complures, ſic Campani & Aldina editio. Io. Andreas ſuppoſuit, *carne pluit*, idque retulit in vulgatas Rhenanus: quaſi non *τὸ pluiſſe* æque ac *rapuiſſe* penderet à *τῷ fertur.* Denuo lib. 24, 14. *libertatis auctorem eis non ſe fore ſolum, ſed conſulem M. Marcellum, ſed univerſos Patres, quos conſultos ab ſe de libertate eorum ſibi permiſiſſe.* Ita Put. Pet. Pal. Men. Edebant: *& univerſos Patres qui conſulti* &c. *permiſiſſent.* Cap. 26. *tum omiſſis pro ſe precibus, puellis ut ſaltem parcerent, orare inſtitit, a qua ætate etiam iratos hoſtes abſtinere.* Iidem conſenſu. Hactenus habuimus: *irati abſtinerent.* Cap. 32. ejuſdem 24. libri. *Huic non apud vulgum modo fides fuit, ſed Senatum quoque in curiam introductus movit, ut vani quidam homines palam*

palam ferrent, perbene detectam in Leontinis eſſe avaritiam & crudelitatem Romanorum. Hic Put. Petav. *monuit.* Pal. Men. *admonuit.* Deinde Put. *haud vani.* Pro *quidam* Men. *quiddam.* Denique iidem omnes conſenſu *ferre*: Repone: *in curiam introductus monuit, haud vane quoſdam homines palam ferre, perbene detectam.* Lib. 25, 16. *Rem ſe, ait magnam inchoaſſe, ad quam perficiendam ipſius Gracchi opera opus eſſe, omnium populorum &c.* Sic Put. Pet. melior & optimi Florentini. Vulgo, *opus eſſet.* Apparet autem ex aliquot exemplis jam allatis non opus eſſe ſcribi quoque: *ad eam perficiendam*: ut voluit Glareanus, qui tamen & infinitivam orationem de conjectura probat. Vt & inferius eodem cap. *reliquum autem quid eſſe paucis à multitudine in valle ſilva ac montibus ſepta circumventis, præter mortem?* Lib. 29. 22. *juberentque quod dii bene verterent, trajiceret, & ſpei cõceptæ primo quoq; tempore compotem populum Romanum faceret.* Put. & Gall. omnes *trajicere*, nec non veteres edd. ante Rhenanum; qui cum ex hoc debuiſſet corrigere ſequens verbum *faceret*, plane contrarium fecit, & ex corrupto tentavit integrum. Scribe, *trajicere & facere.* Lib. 30, 1. *M. Cornelius novo conſuli tradere exercitum juſſus, ipſe prorogato imperio Galliam provinciam obtinere cum legionibus.* Sic iterum lectum eſt ante Rhenanum, & ſic omnes mss. Iſte ſuffecit, *obtineret.* Eodem lib. c. 21. *ſegnius homines bona quam mala ſentire. tranſitus Annibalis in Italiam quantum terroris pavoriſque injeciſſet, ſeſe meminiſſe, quas deinde clades, quos luctus incidiſſe?* Put. Pet. Men. Reg. Pal. unus volunt: *tranſitu in Italiam Annibalis.* parva inter ſe differentia. Deinde, *injeciſſet*, nuſpiam comparet. Put. *pavoriſque eſſe meminiſſe*, nec aliter

ter duo Pall. & vetuſta editio. Per *pavoriſque eſſet mem.* Reg. *pavoriſque ſeſe mem.* Scribe: *tranſitu in Italiam Annibalis, quantum terroris pavoriſque, ſeſe meminiſſe, quas deinde clades, quos luctus incidiſſe?* Senſu expedito: ſe recordari ajunt, adventu Pœni, quantum terroris & pavoris, quæ deinceps clades, qui luctus inciderint. Lib. 35, 49. *Quod ſi quis antea ignoraſſet, quæ res Antiochum & Ætolos conjunxiſſet, ex legatorum ſermone apparere potuiſſet.* Repone, *potuiſſe*, ut habuit & v. l. Sigonii, in nugis ſæpe auditus ab editoribus, at ubi aliquid boni erat, repudiatus. Maluimus hęc congerere ſub unum conſpectum, quam disjicere locis, ut mutuo ſe firmarent. Qui vero de hiſce dubitat aut tardius nobis credit, ei conſilium do, ut paullo diligentius, quam antehac, Livium legat. Valerius Maximus lib. 7, 2. *Quam porro ſubtiliter Anacharſis leges aranearum telis comparabat? nam ut illæ infirmiora animalia retinere, valentiora tranſmittere; ita his humiles & pauperes conſtringi, divites & præpotentes non alligari.* Ita ſcripti editioneſque veteres. Ad intellectum refertur *ſentiebat* vel *dicebat*, quod incluſum tacite eſt verbo *comparabat*. Id enim valet idem quod *ſimiles dicebat*. Nihil politius. Apage magiſtri indocti additamentum, *videmus*, quod ex mangonizato codice Pighius adlinit.

Cap. 51. *Ea quum una nocte perfecta eſſent*] Scribe: *prima nocte*. Nec enim plures vacabant ad ſcelus Tarquinio. Lib. 5. *prima noctis ſilentio ad portas cum Camillo præſto fuere.*

Cap. 56. *Aperiretur tempore ſuo*] MSS. fere: *operiretur*. Valde ſalivam movet conjectura Rhenani: *ut ſub ejus obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens opperiretur tempora ſua.* Sic noſter lib. 4. *Si Ardea res ſua tempora*

ex-

exſpectata foret. lib. 35. *Spectatoreſque belli fortunarum alienarum eventum ſine ullo diſcrimine rerum ſuarum opperirentur.*

Cap. 59. *Ferro, igni, quacumque dehinc vi poſſim, exacturum*] Rhenani eſt fatentis & editiones & ſcriptum codicem ſuum habuiſſe: *quacunque dehinc vi poſſim, exſequuntur.* Vnde reficiebam primo intuitu, *exſequuturum.* Quod plane habent Palatini, aliique bonæ notæ libri, nec non Andreæ Aldinaque editiones. Eſt autem *exſequi* idem quod perſequi, ulciſci, Livio, Senecæ, Suetonio. Vtque *ulciſci inimicum* & *ulciſci injurias* dicimus, ita & *exſequi.* Noſter lib. 3. *cum deorum hominumque ſimul violata jura exſequemur.* lib. 4. *in publici privatique doloris exſequendi jus poteſtatemque ex duobus noxiis capitibus datam.* Veſpaſianus Suetonio *offenſarum inimicitiarumque minime exſecutor.* Tertullianus lib. 1. adverſus nationes, 9. *nam non iraſcerentur nobis in animadverſione cunctantibus, ſi ipſi exſequi poſſent.* Ita maneat: nec conjectemus: *ſi ipſi ex ſe quid poſſent.* Vtitur ſæpe alibi. Et quis ignorat in reſcripto Divi Antonini: *ſciat me hoc admiſſum adverſus ſe ſeverius exſequuturum.*

AD
LIB. II.

CAP. 1. *Necubi regum deſiderium eſſet*] Rhenanus in Borbetomag. reperit: *necubi ubi regum*. Vnde fecit, *necubi ibi*, improbante Sigonio. Sed iſta eadem ſcriptura viſebatur in optimo Palatinorum. Scribimus: *ne ubiubi regum deſiderium eſſet*. id eſt, quacunque in re, quocunque loco. Sic loquitur lib. 42. *Sperantes fore, ut Romani equites abeuntium noviſſimum agmen aggrederentur: inde certamine orto, quum longius à caſtris eos elicuiſſent, facile, ubiubi eſſent, ſe, qui equitatu & levi armatura plus poſſent, converſuros aciem*. Plautus Curcul. *ubiubi eſt, prope me eſt*. Caſina: *quoquo adveniunt, ubiubi ſunt, duplici damno dominos multant*. Noſter lib. 27, 30. ut habent Put. Reg. Pal. *ſilentio inſequentis noctis profectus, quoſquos proximos nanctus eſt montes, in iis loco alto & tuto undique caſtra poſuit*. lib. 41. *liberos ſuos quibusquibus Romanis in conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant*. Eodem cap. *ne additus nomini honos* Nomini additur honos, cum res, cujus eſt id nomen, majorem dignationem nanciſcitur, aut perſona, cujus id nomen eſt eritque, augetur inſignibus, potentia, ordine ſeu gradu, gloria. Sic tribunorum militarium vocabulo acceſſit honor, quum illud, qui conſulari poteſtate eſſent, induerunt: nomini Cæſarum additus honos, ex quo cœpit principibus tribui: regis nomini acceſſit honos Romæ, poſtquam L. Tarquinius Priſcus inſignia regia ex Etru-

Etruria Romam tranſtulit. Hic nihil tale: non enim antea reges ſacrorum fuerant, quorum nomen vel ſacerdotium ullo dignitatis augmento ornabatur. Contumelia potius regii nominis fuit, ſic appellari nihil niſi ſacrificulum. Scribe: *ne additus nomine honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* Etenim nomine regis additus eſt honos ſacerdotio illi, impoſito tam ſplendido vocabulo.

Cap. 5. *De bonis regiis, quæ reddenda ante cenſuerant.*] Omnes ſcripti alicujus numeri: *quæ reddi ante cenſuerant.* Mutarunt, quia non publici erat ſaporis. Columella 8, 17. *Hos autem meatus fieri cenſemus per imam conſepti partem.* Idem ſæpe hoc modo: *quod etiam nos facere cenſemus: locus, ubi vivarium conſtituere cenſemus.* A. Gellius 20, 1. *Propterea prætores poſtea hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt.* Cicero 5. in Verr. 26. *Appellitur navis Syracuſas, ſpectatur ab omnibus, ſupplicium ſumi putatur.* Secat Lambinus ob loquutionem ultimi membri, ut ait, duriuſculam & propemodum inſolentem. Etiam Gruterus, utcumque toleret, ambigit tamen, & verum ſenſum non expedire ſe fatetur. Quaſi *ſumi putatur* aliud ſit, quam ſumtum iri creditur. Atque eo accuratius dixit *ſumi*, quia præjudicatum erat, & à momento captivitatis uſque præſens & jamjam fore credebatur. Sic ICti. dicunt ſatisdationem *judicatum ſolvi.* pro, ſolutum iri. Plautus Milite a. 2. ſ. 2. *Et ego impetrare me dico id, quod petis,* id eſt, impetraturum, & quidem tam certo, quaſi jam habeamus. *Me* autem ait, quoniam & ipſius intererat propter ſtudium erga amantes. Mira hic pertinacia editorum, qui cum fateantur, ſic eſſe in MSS. tamen exhibuerunt *impetraturum.* Saltem *impetraſſere* feciſſent: eſſet id tolerabi-

tabilius. Cicero 4. ad Att. 16. *Cato tamen adfirmat, ſe vivo illum non triumphare.* Iterum hoc capite: *poſtea credo additas moles, manuque adjutum.* Corrige: *adjutam.* Refertur enim ſive ad *inſulam* ſive ad *aream.* Palladius lib. 1. tit. 34. *Sed huic quamvis contra neceſſitatem miſta ſtercore qualibet terra conveniat.* Barthius ex optimo, ut cenſet, libro: *veſtita ſtercore.* Sed optimo meliores: *juta ſtercore.* Phraſis Palladii propria lib. 3. tit. 9. *De pingui ad macrum tranſire non poſſunt, niſi ſtercus adjuverit.* tit. 18. *admiſtione ſtercoris adjuvare.* Ita reſtituendum lib. 1. tit. 35. *aquam pſilotri auſteritatibus jutam*, ex mss. ubi editur, *junctam.* lib. 4. tit. 10. *obruti & ſtercorati & humoribus juti.* Verbum *adjutus* pro *auditus* Tacito in Obſervationibus reſtituimus.

Cap. 6. *Neſe ortum, ejuſdem ſanguinis, extorrem, egentem.*] Hærent Rhenanus & Sigonius: ille *ortu* hic *ortum ab iis* legunt. Atqui nihil eſt difficultatis, modo diſtinguas, ut citavimus, & pronomen *ſe* non accuſandi, ut ad ejectos Tarquinios referatur, ſed auferendi, ut Vejentes Tarquinienſeſque Etruſcos ſignificet, caſu accipias: ſecus atque infra cap. 9.

Cap. 10. *Id munimentum illo die fortuna urbis Romanæ habuit*] MSS. *munimen.* Mutuatus ab noſtro Silius: *vallique tenet munimine turmas.* Statius: *munimina portæ Expoſcunt.* Ibidem: *reprehenſans ſingulos, obſiſtens obteſtanſque deum & hominum fidem, teſtabatur, nequidquam deſerto præſidio eos fugere.* Pal. *obteſtanſque deum & hominum fidem: nequidquam deſerto eos præſidio fugere.* verbo *teſtabatur* deleto & voce tranſpoſita una. Equidem lubens do manum, & hoc quoque adjungo iis, quæ libro præcedenti ad cap. 50. notavimus. Mox *tranſitum pontem* omnes libri, non

non *tranſitui*, ut vellet Nannius, etſi hoc quoque elegans eſſe non diffiteat. lib. 21. *ab tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac vigentibus tranſita.* Ibidem malo: *inter conſpecta cedentium pugna terga*: quam *pugnæ*. Hoc libro: *Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis memoria ceſſiſſet.* lib. 21. *Annibal ſaucius pugna exceſſit.* Cicero Philipp. 10. *Eundem vidi poſtea Veliæ cedentem Italia.*

Cap. 14. *Veniſſe bona, quæ Porſenæ appellata*] Refinge, ut voluit Glareanus & viſum in optimo Pall. *veniſſe, bonaque Porſenæ appellata.* Mox Cujacianus, duo Pall. Regius, Oxon. *quæ ne in poteſtatem quidem po. Romani eſſet.* Quis non de hac anomalia aliquid notavit? aut eam alicubi jure injuria applicare ſtuduit? Non iſta libenter iteramus, quæ pœne in Homericum τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος abierunt: conſenſu tamen ſcriptorum permotus non inſuper habere volui, dictum ut apud Ciceronem: *ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi Romani ditionemque eſſent: cum veſtros portus in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis*: apud juriſconſultos: *veſpertinis temporibus in publicum eſſe, in poſſeſſionem eſſe*, & id genus infinita. Livius lib. 45. *Inde Octavius regem in caſtra ad conſulem miſit, præmiſſis literis, ut in poteſtatem eum eſſe & adduci ſciret.* Valerius Maximus lib. 1, 6. *Vejos in poteſtatem populi Romani futuros.* Sic libri veteres. Nunc eſt *venturos*. Livii lib. 22, 25. Put. & Pet. *M. Minutium magiſtrum equitum, ne hoſtem videret, ne quid rei bellicæ gereret, prope in cuſtodiam habitum.* Cæſar 1 de bello civ. *quo facilius omne Adriaticum mare, extremis Italiæ partibus regionibuſque Græciæ, in poteſtatem haberet.*

Cap. 18. *Parvaque ex re ad rebellionem ſpectare res videbatur*] Suſpecta mihi repetitio τοῦ *res*:

eo

eo magis, quod Palatini: *parvaque ex re res ad rebellionem ſpectare vid.* Poſſes ſcribere: *parvaque ex re ad rebellionem ſpectare videbantur*, nempe Sabini. Vbi lib. 40. *Apuanos ad rebellionem ſpectare.* Neque hic ſolum ea vox nolente Livio inſerta eſt. lib. 5, 12. *quum tot exercitibus ſtipendio opus eſſet, reſque militiæ ita proſpere gererentur, ut nullo bello veniretur ad exitum rei.* Cujus non aures radat illud *rei*? Mihi quidem dudum ſuſpectum, poſtea plane adulterinum deprehenſum eſt: nam vett. edd. ſcriptique habent: *veniretur ad exitum ſpei.* quod reponendum. Illud erratum librarii in codice Borbetomagenſi amplexus eſt imprudens Rhenanus, & paſſi ſumus imprudentes editores. Lib. 25, 23. *ad Marcellum rem defert. Haud ſpernenda res viſa.* Put. antiquiſſimus cum meliore Pet. poſteriori loco τὸ *res* ignorat, quibuſcum fidenter dele. Lib. 30, 34. *Adhoc ductu parva, ſed magni eadem in re gerenda momenti res.* Hic quoque eadem vox ultimo loco poſita ὑπονοθεύει, ut ibi dicemus. Sunt tamen & in quibus minor ſit mendi ſuſpicio. Vt lib. 6, 42. *Quum præter Velitrarum obſidionem, tardi magis rem exitus quam dubii, quietæ externæ res Romanis eſſent.* Quamvis & hic liceat: *quietæ externæ Romanis eſſent.* At non ita pronum lib. 29, 6. *Spes autem adfectandæ ejus rei ex minima re adfulſit, quod latrociniis magis quam juſto bello in Bruttiis gerebantur res.* Omnino autem non vellicandum lib. 39. *quia multis actiones & res peribant, cogerentur prætores per ſenatum res in diem trigeſimum differre.* Ad eodem libro c. 18. *nec earum rerum ullam rem, in quas jurejurando obligati erant, in ſe aut in alios admiſerant:* τὸ *rem* in tribus membranaceis deerat. Cap. 19. *tanaque vis infeſtis venientium haſtis fuit,*] Loco

non moveo. Tamen quia duo Pall. *invenientium.* fortaſſis fuerit: *invehentium.* Subaudi, *ſe*, qualibus de nonnullis 2. Obſerv. 7. Sed & *vehens* qui vehitur. Noſter lib. 22. *quum præterve-hens equo ſedentem in ſaxo cruore oppletum conſulem vidiſſet.*

Cap. 22. *Pacis auctores in ingenti gloria eſſe*] Scripti quidam & vet. ed. præpoſitione defecti: *pacis auctores ingenti gloria eſſe.* Quod ſane conſiderandum. Cicero 4. epiſt. 15. *ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe.* lib. 6. ep. 4. *Quanto fuerim dolore, meminiſti.* lib. 5. ad Attic. 14. *Spero meos omnes ſervire laudi meæ, tamen magno timore ſum.* Cæſar 3 de civ. *excuſat Bibulum, quod is iracundia ſumma erat.* Noſter lib. 5, 47. *interim arx Romæ Capitoliumque ingenti periculo fuit.* Sic duo meliores Pall.

Cap. 23. *Tributum iniquo ſuo tempore imperatum, æs alienum*] Legendum ex melioribus ſcriptis: *tributo iniquo ſuo tempore imperato æs alienum feciſſe*: palam facient Obſervationes, in quibus pridem hunc locum tractavimus.

Cap. 27. *Vt referret ad Senatum, aut ut auxilio*] Emenda ex ſcriptis: *Poſtulabant, ut aut referret ad ſenatum, aut auxilio eſſet conſul civibus.*

Cap. 28. *Conſules in tribunal aſcendunt*] Duo meliores Pall. *deſcendunt*, alter cum nota ſignificante primam literam expungendam eſſe. Scribe igitur: *in tribunal eſcendunt.* Verbum hoc quoque à multis jactatum, & nonnunquam intempeſtive. Tamen quia ubique fere deleverunt ſcioli, opus fuit memorari ſæpe. Analogia optima eſt, ut in *elevare, emicare, eminere*, & pluribus ejuſcemodi. Ne nobis ergo ſit indictus Hylas, congeremus aliquot loca, ubi optimis in codici-

bus

buſid deprehendimus, & reſtituendum putamus. Lib. 7, 30. *Vſque ad nos contemtus Samnitium pervenit, ſupra non eſcendit.* Sic pervetus Thuanæus, qui à libro ſexto orditur. lib. 8, 10. *ubi illud ſignum defoſſum erit, eo magiſtratum Romanum eſcendere fas non eſſe.* Sic idem haud ambigue & Fulvii liber. Pall. duo: *excedere.* Vulgo: *deſcendere.* lib. 21, 61. *bovem in tertiam contignationem ſua ſponte eſcendiſſe.* lib. 23, 14. *latoque, ut ſolet, ad populum, ut equum eſcendere liceret.* Eodemque cap. 23. *Is ubi cum lictoribus in Roſtra eſcendit.* lib. 24, 22. *ibi in aram concordiæ, ex qua pridie Polynæus concionatus erat, eſcendit.* Sic quatuor proximis locis antiquiſſimus omnium Puteanæus. lib. 26, 48. *ſe ſatis compertum habere, Q. Trebellium & Sext. Digitium pariter in murum eſcendiſſe:* Idem Lib. 28, 19. *ſcipſum ſi cæteri cunctentur, eſcenſurum minatur.* Idem Pal. unus *oſtenſurum*: alii omnes, *& ſcenſurum* Eodem lib. c. 26. *Simul & imperator in tribunal eſcendit*: idem: alii *aſcendit.* Vulgo, *conſcendit.* lib. 29, 37. *Quum in leges juraſſet Claudius & in ærarium eſcendiſſet*: idem. Men. *exceſſiſſet.* lib. 30, 15. *in tribunal eſcendit, & concionem advocari juſſit*: idem. Eodem libr. c. 17. *cum C. Lælio in roſtra eſcendit*: idem, quod in Andino codice Menardi remanſit. Cap. ſequenti: *juſſoſque eſcendere in equos repente in hoſtem emittit.* Cap. 25. *juſſus è nautis unus eſcendere in malum*: utrobique idem, & in poſteriore loco unus è Pall. quamvis quid attinet alios poſt illum nominare? Lucretius lib. 5. v. 1303. *Et bijugos prius eſt, quam bis conjungere binos, Et quam falciferos inventum eſcendere currus.* Sic Voſſianus. Cæſar lib. 7. de Gall. *iis, qui primi murum eſcendiſſent, præmia propoſuit.* Eodemque libro infe-

rias: *Oppidi murus ab planitie atque initio eſcenſus, recta regione* &c. Sic utrobique membranæ Andinæ. Nihil his omnibus in locis conjecturæ indulſimus.

Cap. 29. *Conſulum interceſſu rixa ſedata eſt*] Lege cum vett. o. *intercurſu*. Quæ libido novandi? Lib. 21. *periculum intercurſu tum primum pubeſcentis filii propulſatum*. lib. 34. *nonne intercurſu matronarum inter acies duas prælium ſedatum eſt*? lib. 37. *impeditus intercurſu ſuorum uſus prælongarum haſtarum*. Lib. 5. *ipſe interim Vejos ad confirmandos militum animos intercurrit*. Cicero in Philipp. *Pugnatur acerrime: qui intercurrerent, miſimus tres principes civitatis: hos contemſit, rejecit, repudiavit Antonius*.

Cap. 30. *Rurſus Virginii Lartiique exemplo haud ſalubres: utique Lartii putabant ſententiam*.] Mentem horum nudavimus. 1. Obſ. 2. Sed verba non ſatis conſtant. Quid laboramus in iis, quæ Livii non ſunt? Dele, *putabant ſententiam*: ſunt enim ſcioli additamentum. Hoc etiam Gebhardo aliquando viſum, & Grutero adprobatum.

Cap. 33. *Quibus auxilii latio adverſus conſules eſſet*] ita quoque legendum, non *auxiliatio*, monuimus 1. Obſ. 18. ex mss. & editione veteri, qua uſi videntur docti viri, qui non aliter hæc verba in teſtimonium citant, cum vulgares corruptæ habeantur editiones.

Cap. 34. *Quum & foris quieta omnia bella eſſent.*] Mendum nuperarum pro *bello*, quod habent anteriores. Sed ſanior lectio duum Pall. *quieta omnia à bello eſſent*. lib. 39. *& quia à bello quieta ut eſſet provincia, effecerat.* Statim nihil intereſt, *ex Etruſcu* legas an *ex Tuſcis*: tamen cum hoc Rhenani codex & Pall. ſimul cum veteri editione ſervent, illud huic concedere juſſimus.

ſimus. In ſententia Marcii Coriolani: *Rapiant frumenta ex agris noſtris, quemadmodum tertio anno rapuere. Fruantur, utantur annona, quam furore ſuo fecere.* Cancellandum *fruantur*, quod nec ſcripti nec Alerienſis Epiſcopi Aldinave editio agnoſcunt. *Furor* autem quis niſi ſeditionis? Vel ex Virgilii illo: *furor arma miniſtrat.* Livius ſupra: *nihilo plus ſanitatis in curia quam in foro eſſe.* Infra cap. 42. *Patres ſatis ſuperque gratuiti furoris in multitudine credentes eſſe, largitiones temeritatiſque invitamenta horrebant.* Hoc eſt, ultro etiam ac ſine propoſita mercede ſatis promte inſanire & commoveri plebem. Perperam Rhenanus: *gratuiti favoris in multitudinem.* Seditio autem erat cauſſa neglectæ agriculturæ, atque inde exortæ famis. Paullo ante: *caritas primum annonæ ex incultis per ſeceſſionem plebis agris, fames deinde.* Quare non dubitem ego falli virum doctum, qui non dubitat reſcribendum: *quam furto ſuam fecere.* Nec rapinam & direptionem vi palam factam eſſe *furtum* concedent Iuriſconſulti, neque ex eo, quod patritiorum ex agris ante triennium rapta frumenta, fames plebi.

Cap. 36. *Inſtaurandi hæc cauſſa fuerat. Ludis mane ſervum*] Pulchra hæc & vere Latina ipſiuſque adeo Livii ſcriptura Rhenano debetur, niſi quod præter neceſſitatem *hoc cauſſa* voluit. Secuti editores non intellexerunt. *Inſtaurandi* ſervavit unus ex Pall. Vtitur vero & alibi noſter abſolute. Vt lib. 27. *& plebejis ludis biduum inſtauratum ab Q. Mamilio & M. Cæcilio Metello ædilibus plebis.* Sic etiam ſcribendum. lib. 31, 4. *Ludi Romani ſcenici eo anno magnifice apparateque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco & L. Quintio Flaminino. biduum inſtauratū eſt.* ex

Oxon. Petav. Barber. Naud. membranis. Non, ut vulgo, *inſtaurati ſunt*.

Cap. 38. *Orationem exorſus, veteres populi Romani*] Conſidera paullo attentius, nec denique te fugiet ſcabities in oratione male connexa: *veteres injurias, cladeſque, ut omnia obliviſcamini.* Non poteſt hoc probare docta auris. Cæterum unica litera abundat, & ſciendum verba Tulli non incipere à vocabulo *Veteres*, ſed, *Ut omnia*: quæ præcedunt, ex hiſtorici perſona dicuntur. Scribe: *Ibi in concionis modum oratione exorſus veteres populi Romani injurias cladeſque gentis Volſcorum; Ut omnia*, inquit, *obliviſcamini alia, hodiernam &c.*

Cap. 39. *Quam ſpem nequaquam fefellit*] Sigonius: Vetus liber: *Quæ ſpes nequaquam fefellit.* quod probo. Ego vero non probo, & à mala manu eſſe ajo. Meliores libri omnes tenent vulgatum. Iuſtinus ex Trogo lib. 2. de Cimone: *Nec in bello judicium deligentium fefellit.* Ita non fefellit ſpem Volſcorum Coriolanus.

Cap. 40. *Sine, priuſquam complexum accipio*] Lectio Pal. multo ἐμφατικώτερα: *mulier in iram ex precibus verſa, ſine; ſine, priuſquam complexum accipio, ſciam.* Appulejus lib. 1. Metam. *At ille, ut erat capite velato, ſine, ſine, inquit, fruatur diutius tropæo fortuna, quod fixit ipſa.*

Cap. 45. *Conſules pati. ac imperitæ*] Flagitante ſenſu & libris vett. ſcripſimus: *at imperita.* Mox etiam pro *concurſant portis*, repone ex mſs. & vet. ed. *occurſant portis.* Ibidem duo Pall. *ad creſcentem tumultu jam metum ſeditionis collega concedente.* Quod conſiderandum.

Cap. 47. *Victoria egregie parta*] Lege cum o. vett. *egregia.* Ibidem: *pro eximia eo bello opera facile paſſurum.* Duo Pal. Alerienſis: *pro exi-*

mia belli opera. Tertius: *pro eximia ejus belli opera.* Lib. 3. *ſecundæ belli res extemplo urbanos motus excitaverunt.*

Cap. 49. *Soſpites brevi in patriam ad parentes reſtituant*] Supra dixit, *propriam turbam cognatorum ſodaliumque* proſequutam exeuntes. Infra, quod & alii tradunt, Fabios omnes exſtinctos, *unum prope puberem ætate relictum, ſtirpem Fabiæ genti.* Vnde igitur hos *parentes?* Scribe omnino: *in patriam ad penates reſtituant.* Lib. 3. *triumphantes domum ad penates redibatis.* lib. 35. *qui cunctatus fuerit, & ſuum conſilium interpoſuerit, ſciat ſibi reditum ad penates non eſſe.* Nam *parentes* pro quibuſvis cognatis ponere, non eſt ex uſu auctorum ejus ſeculi.

Cap. 51. *Interventu collegæ ipſe exercituſque eſt ſervatus*] Duo Pall. *exercituſque ejus eſt ſervatus.* Non eſt ſuperfluum.

Cap. 55. *Sub hac peſſimi exempli victoria delectus edicitur.*) Annon Latinius: *ſub hanc peſſimi exempli victoriam.* lib. 4. *ſub judicii tempus plebem offenſurum.* Alibi: *Sub hanc vocem fremitus variantis multitudinis fuit: legati ſub idem tempus in ſenatum introducti.* Hoc ſimplicius puto. Poſſis alias interpretari Vulgatum, quaſi ſubnixi hac victoria Patres, delectum decreverint edixerintque, quod dicerent Galli: à la faveur de cette victoire.

Cap. 56. *Magnis certaminibus in annum extrahitur*] Tò *magnis*, quod inſeruit Sigonius, nos auctoribus ſcriptis & vett. edd. ejecimus. Eſt enim uſus ablativi pro adverbio à Græcis deſumtus. Sic lib. 3. *mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt.* Eodem: *armati per urbem ſilentio in Aventinum perveniunt.* Sed & hinc non longe: *lex ſilentio perfertur.* Vt Græci τέττῳ σιω-

πῆ ἦσο. & ἴσαν μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ Σιγῇ δεδιότες. Prorſus autem, ut hic voluimus, lib. 4. *Quum pars major inſequentis anni per novos tribunos plebis & aliquot interreges certaminibus extracta eſſet.* Lib. 5, 45. *caſtra Gallorum intuta neglectaque ab omni parte nacti, clamore invadunt.* Ita MSS. Male inſertum vulgo: *cum ingenti.* lib. 7, 7. *relictis equis clamore provolant ante ſigna.* Sic lectum ante Sigonium, qui hic iterum inferſit ex pravo libro, *ingenti.* Inferius hoc cap. de Appio: *Facile & contemtim de jure differendo perturbare Lætorium poterat.* Si quid video, nullus hic idoneus ſenſus τοῦ *poterat*, ſed ſcriptum ab auctore fuit: *perturbare Lætorium parat.* Vt lib. 22. *Italiam ab Annibale reciperare parat.* lib. 38. *legem parabat ferre.*

Cap. 58. *Volſci tum Æquique inter ſeditionem Romanam & bellum coortum vaſtaverant agros*] Audiamus Sigonium. Hic locus, inquit, fœde legebatur ante ita: *Volſcum Æquicumque inter ſeditionem.* Quam lectionem etſi valde non probo, moveor tamen (puta ad litem intendendam vulgatæ) cum in vetuſtis libris omnibus ita lego: *Ex S. C. bellum indictum contra Volſcum Æquumque, qui inter ſeditionem & bellum coortum vaſtaverant agros.* Hæc vero meo judicio efferciſſima adjectamentis & pinguiſſima vulgataque pejor longe non poteſt non eſſe niſi libri omnium inquinatiſſimi Nam, *in omnibus*, ferunt hoc doctiſſimi viri merita, ne quid dicam ſequius, ſed non addidiſſe mallem. Editæ tamen vulgaris facile eſt ineptias diſcutere. Quæ enim illa temporis deſignatio: *inter ſeditionem Romanam & bellum coortum*? ſi duo tempora ſunt, quibus intermedia venerit vaſtatio, falſum eſt; nihil enim interceſſit ſpatii: ſin unum, ut ſit, dum durat ſeditio & bellum

bellum exoritur, hac à poſteriori parte non poteſt ſeparari agrorum vaſtatio; nam hos populando bellum ſunt exorſi. Vera eſt utique, quam dedit olim epiſcopus Alerienſis: *Volſcum Æquicumque inter ſeditionem Romanam eſt bellum coortum. Vaſtaverant agros, ut ſi qua ſeceſſio plebis fieret, ad ſe receptum haberet.* Niſi quod ibi operarum vitio *equicunque* & *cohortum*. Et huc ſcripti meliores aurigantur. Offendit naſutos illud *Æquicum*, quod etiam deleverunt lib. 10. in principio: *M. Livio Dentre M. Æmilio Coſs. redintegratum eſt Æquicum bellum.* Illi ſuffecerunt *Æquorum*. Sed iſtud habent Thuanæus, duo regii & aliquot Florentini. Tranſiluerunt tamen lib. 3. *iſque miles per bellum Æquicum vel acerrimus fuit.* Sic *Nervico prælio* à Nerviis, *Albicos* Albii Intemelii & Ingauni incolas dixit Cæſar. *Heduicus* ab Heduus Auſonius in Parentalibus: *Tarbellæ matris, patris & Heduici.* Sic *colonicos* Suetonius & *leges colonicas*; Varro. *cohorteſque colonicas* Cæſar, ſic *nauticos*, *genticos*. Quod poſtremum quum apud Avienum inveniſſet Barthius, dubitabat an apud antiquiorem exſtaret unum. Habet tamen bis Tacitus. Habet quoque Tertullianus de anima: *Quis non deinde aut totum filii caput reatui devovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat pro gentica, pro avita, pro publica, pro privata devotione.*

AD
LIB. III.

CAP. 1. *Triumviros agro dando creat*] Sic Rhenanus de conſule Fabio accipiens. Sed videamus, ut alibi in eadem re loquatur Livius. Lib. 6. *ad quam militiam quo paratior plebes eſſet, quinqueviros Pomtino agro dividendo & triumviros. Nepete coloniæ deducendæ creaverunt.* lib. 34. *Ex SC. tulit ad plebem, plebeſque ſcivit, ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum deducerentur. His deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium eſſet, in Bruttios, Q. Nævius, M. Minutius Rufus, M. Furius Craſſipes; in Thurinum agrum A. Manlius, P. Ælius, L. Apuſtius. Ea bina comitia Cn. Domitius prætor urbanus in Capitolio habuit.* Nihil eſt igitur abſurdi & in τῷ *creant.* Sed lib. 10. *Tribunis plebis negotium datum eſt, ut plebiſcito juberetur P. Sempronius prætor triumviros in ea loca colonis deducendis creare.* Lib. 32. *earum rerum cauſſa triumviros creare L. Cornelius conſul juſſus.* Recte igitur & codex Rhenani, modo plures & meliores conſentiant.

Cap. 2. *Quod & Romanus miles ira odioque pugnabat*] Expunxi τὸ *miles* volentibus tribus Pall. & antiquioribus impreſſis, nec inſolens eſt loquendi ratio. Lib. 4. *Romanus odio incenſus, impium Fidenatem, prædonem Vejentem &c. compellans factu ſimul dictiſque odium explet.* lib. 6. dictator ad milites: *Veniat in mentem unicuique deos eſſe, qui Romanum adjuvent.* lib. 34, 14. *Mi-*

rantes barbari à tergo apparuiſſe Romanum. Ita Mss. & editio Mediolanenſis. Vulgo, *Romanos.* Tacitus 12 annal. *Romanum Troja demiſſum, & Iuliæ ſtirpis auctorem Æneam aliaque haud procul fabulis facunde exſequutus.* id eſt, Romanos Troja demiſſos. Neque ibi quidquam addendum cenſeo.

Cap. 3. *funeſtam ei populationem fecit*] Delet pronomen Rhenanus: quod non magis hic abeſſe videtur poſſe, quam in illis lib. 1. *armatus mihi ſibique, ſi vos viri eſtis, peſtiferum hinc abſtulit gaudium.*

Cap. 5. *Dum ſe temere magis quam caute in mediam dimicationem*] Tres Pall. *temere magis quam ſatis caute.* rotundiore, ut videtur dictione & prægnantiore ſententia. Mox quoque ſcribendum ex uno Pal. *nulla deinde vi ſuſtineri potuere, quin compulſi in caſtra Romani rurſus obſiderentur.* Nam *quum*, quod vulgo eſt, ſcopas reddit diſſolutas.

Cap. 8. *Inde dimiſſum in campos vaſtavere*] Muta diſtinctionem & ſcribe: *Lucretium, dum in Hernicis ſedet, prædonum agmen fefellit, ſupra montes Prœneſtinos ductum, inde demiſſum in campos. Vaſtavere agros.* Hoc ſæpius fecimus in contextu jubente ſententia, quam hic monere neceſſarium duximus.

Cap. 10. *Dum integra res ſit*] Non quaſi ferri non poſſit, ſed quia plures melioreſque ſcripti aliter concipiunt, muta, tumque illis lege: *dum in integro res ſit.* Quod cur mutarint alii, cauſſam dicant illi. Sic ſupra c. 8. *quum exitus haud in facili eſſent.* Vbi à mala manu Sigonii liber: *exitus inde haud faciles,* Hoc libro infra: *adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle ſimulando ita ſe quiſque extollit, ut deprimat alium, in diffi-*

cili

cili eſt. Sic alibi : *in tuto eſſe.* Curtius: *cuncta in expedito fore.* Seneca ex Pomponio : *Quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido eſſe, quidquid in luce eſt.* Plinius lib. 18, 28. *contentus ita probaſſe, opes ſibi, cum vellet, in facili fore.*

Cap. 11. *Multum & Conſules ſe abſtinebant*] Cicero lib. 4. famil. ep. 7. *neque tu multum interfuiſti rebus gerendis.* Erunt tamen, quibus magis ad guſtum Claudii Puteani conjectura: *Tumultu & conſules ſe abſtinebant.*

Cap. 13. *Nocte proxima, inſciis conſulibus, in Tuſcos*] Relegavimus ſcholion, *inſciis conſulibus,* ad malum Sigonii codicem, unde pedem attulerat. Sed præſtat adſcribere Claudii Puteani annotationem, quæ originem erroris detegit. In antiquiſſimo ſic eſt: *nocte proxima intus conſules in exilium abiit.* non ſine mendo, cujus origo non obſcura eſt. Nam cum Livius ſcripſiſſet, *in Tuſcos,* ex eo librarii primum diviſis male dictionibus fecerunt, *intus cos.* deinde, qui explicare omnibus literis voluerunt, *intus conſules*: alii poſtremo, ut error errorem parit, *in Tuſculum*, vel, *inſciis conſulibus.* nam hæc ultima verba ex gloſſemate Liviano contextui inſerta eſſe ex eodem codice deprehendi, cujus ad oram è regione τοῦ *intus conſules* adſcriptum erat: *al. inſciis conſulibus.* quæ etiam abſunt à veteri editione Mediolanenſi. Sic εὐςόχως Puteanus. Ex noſtris unus: *nocte proxima juſſu conſulum in exilium.* Alter: *nocte proxima in Tuſculum in exiliũ.* Tertius continuis tredecim verbis caret, ſed ad interiorem marginem ſervat : *nocte proxima inter conſules.* Nihil verius conjectura Puteani, quam firmant membranæ Colonienſes Modio inſpectæ. Par mẽdum lib. 25. ſuſtulit Sigonius cap. 3. *M. Iunio inter conſules legiones urbanæ prioris anni data.* Recte autem ille: *M. Iunio in Tuſcos,* Cap.

Cap. 15. *Et ſervitutis grave jugum demeret*] Quis neget verum eſſe, quod ex ſcriptis repoſuimus: *& ſervitiis grave jugum demeret?* Niſi qui neſciat, quod pueri ſciunt, *ſervitia* eſſe ſervos. Mox infra: *qui ſervitia veſtra non commovit auctor.* Libro ſequenti: *vulgarique contactu in homines morbi, & primo in agreſtes ingruerant ſervitiaque.*

Cap. 16. *Non ad populabundos, ut ante, fines*] Scribe cum Alerienſi: *populandos.* In eodem verbo vitium & præcedenti libro ſuſtulimus cap. 48. *in ipſorum Æquorum agrum depopulabundum tranſit.* Scribendum namque *depopulabundus.* Iſto eodem capite cum o. ſcriptis lege: *inter cæteros eminebat terror ſervilis.* Item: *ſuperantibus aliis atque emergentibus malis.* non *ab emerg.* Rurſus: *Ad id prope unum.* Et, *alio ſe majore à tribunis metu.* Menda parva dictu, quæ tamen hic velut in cumulum conjecta mirifice lectorem exercebant.

Cap. 17. *Conſules, tribunos, deos homineſque*]. Dii, illi male ſunt hic advocati. Primum quum τὸ *armatos* & *currere*, ad omnia, quæ nominavit, genera ordinum incolarumque urbis pertineant, & proprie accipiantur, inepte referentur ad deos. Deinde loquitur de officio illorum, qui pro parte, quam in civitate obtinent, hoc reipublicæ debent, quibuſque id poteſt imperari. Horum autem è numero dii profecto non ſunt. Quare mox patellare & novitium numen Romuli adorat ac precatur: tantum abeſt, ut deos in genere admonere tanquam officii, utque armati & ſuccincti currerent oportuiſſe, dicere velit. Certum eſt igitur corruptam hanc eſſe lectionem: probabile vero ſic inſtaurandam: *Non quidquid Patrum plebisque eſt, conſules, tribunos, cives,*

homi-

hominesque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, liberare ac pacare auguſtiſſimam illam domum Iovis optimi maximi decuit? Ita luculenta eſt gradatio à ſummo ad minimum. Multa hominum genera, ut adſolet, erant in urbe, quæ civium numero non erant. Lib. 4. *nec quod nos ex connubio veſtro petamus, quidquam eſt, præterquam ut hominum, ut civium numero ſimus.* Eodem: *nihil eſſe in ſe his auxilii dicerent, quibus non civium, non deniq; hominum numero eſſent.* lib. 5. *ſi quidquam in vobis, non dico civilis, ſed humani eſſet.* Eodem capite lolio victirarunt editores, cum tolerarunt: *ſacrarumque legum oblitum.* nam & ſcripti & omnis ratio; vel abſque ſcriptis eſſet, jubent, *ſacratarumque.* Meminit perſæpe Livius, Cicero, & de iis, niſi jam dictum eſt nimis, nos alibi.

Cap. 18. *Si ſe doceri ſiviſſent*] Scripti ſatis alludunt ad illud Rhenani: *ſi edoceri ſe ſiſſent.* Meminerit lector ita reſtituere, neque enim Livius aliter ſcripſit. Hoc libro infra: *cum edocuiſſent populum, quid fraudis occultæ ferretur.*

Cap. 20. *In peragendis conſiliis conſularis officii partem*] Conjectura Sigonii eſt ex ſcriptura libri ſcholiis ſuffarcinatiſſimi, quæ fuerat: *in peragendis conſularis conſularem officii partem.* Vtrum ſanius ſit, digitis micare nihil attinet, cum utrumq; morboſum eſſe ſatis certo ſciamus. Quintium vult Sigonius principem fuiſſe conſiliorum, collegam in exſequendis iis non defuiſſe. Atque majoris eſt animi laudiſque, generoſum & audax conſilium in actum deducere, quam idem concipere & promere. Livius omnino vult Quintium ſolum hanc actionem & ſuſcepiſſe & peregiſſe, collegam quidem faviſſe & ſuſcipienti & peragenti, neque impediſſe, ſed juviſſe parum aut nihil;

nihil; in aliis vero, quæ ſolenni more atque ordine conſules adminiſtrabant, nomen ſui magiſtratus probaſſe. Scripti, ut prodidit Rhenanus: *in peragendis conſularis officii (vel officiis) partem ad ſe vindicabat*. Poſſumus explicare, *ut peragenda conſularis officii*, intellectu frequentiſſimo τοῦ negotia, ſint, quæ vulgo à Conſulibus geruntur, quæ ordinarie ſunt officii atque adminiſtrationis conſularis. Ita ſolet uti Livius participiis pro orationibus finitis. lib. 4. *ante omnia refellit falſum imaginis titulum paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret. Cautum*, id eſt, quod cautum erat. Hoc lib. 3. *ut demtum de vi magiſtratus populi libertati adjiceret*. pro, quod demſiſſet. lib. 27. *liberatas religione mentes turbavit rurſus nuntiatum, Fruſinone infantem natum eſſe quadrimo parem*. lib. 28. *Poſt Aſdrubalis exercitum cum duce deletum, cedendoque in angulum Bruttium cætera Italia conceſſum, cui non videatur mirabile, nullum motum in caſtris fuiſſe?* lib. 29. *libris Sibyllinis propter crebrius eo anno de cælo lapidatum inſpectis*. Lucanus: *Æſtimat in numero ſcelerum ponenda*. id eſt, judicat vel præbet judicandum aut æſtimandum, quæ qualiave in numero ſcelerum debeant poni. Et ſic *exſequenda belli* noſter lib. 27. *Aſdrubal & Mago venere, ſerum poſt male geſtam rem auxilium, conſilio in cætera exſequenda belli haud parum opportuni*. Sententia eſt ergo: non contendens cum collega de actione contra tribunos ſuſcipienda, ſed facile hanc eximiam ei concedens, in peragendis iis, quæ præter actiones hujuſmodi extraordinarias graves & invidioſas conſularis ſunt officii, partem ejuſdem officii ad ſe vindicabat, inque iis conſulem ſe demonſtrabat. Poſtrema hac phraſi utitur & lib. 9. *ſummum flagitium fore, ſi alte-*

alterum exercitum utriuſque victoriæ compotem ſinerent fieri, nec ad ſe ſui belli vindicarent decus. Eodem capite: *Igitur tribuni ut impedienda rei nulla ſpes erat, de proferendo exercitu agere.* Lipſius deleta voce: *de proferenda agere.* Sed ipſum impedire nihil eſt aliud quam *proferre.* Neque enim volebant, ne unquam delectus fieret, ſed ne tum fieret, nec prius, quam ipſi, quæ cuperent, à Patribus impetraſſent. Cogita an ſcribi poſſit: *de perterrendo exercitu agere.* Quum impedire non poſſent, quin juniores reverentia priſtini ſacramenti nomina darent, & exercitus conſcriberetur, id egerunt, ut eundem exercitum, quaſi ea de cauſſa educerent conſules, ut præſidia libertatis ipſum abrogare ſibi cogerent, vano metu perterrerent. Statim: *ſi eo adveniant in alia turba Quiritium:* maluimus ex ſcriptis pluribus, quam cum Rhenano *veniant.*

Cap. 21. *turbam inconſultam: qui exemplo aliis*] Ex ſcriptis inſeruimus copulativam: *Imitamini, P. C. turbam inconſultam; & qui exemplo.* non ſine lumine orationis. Sequenti cum iiſdem maluimus: *ni fugientes.* quod non ſemel alibi quoque mutatum in *niſi* deprehendimus. Habet utrumque & Mediolanenſis editio Io. Andreæ & Aldina.

Cap. 23. *Vi nunquam eo ſubire potuit.*] Scribe: *Vi nunquam eo ſubiri potuit: fames poſtremo inde detraxit hoſtem. Qua poſtquam ventum ad extremum eſt.* non *Quo.* Reſpondet enim τῷ *fames.*

Cap. 25. *Quum Virginius maxime è tribunis*] Repone cum Mss. Pall. & Aldina: *Quum Virginius maxime & tribuni de lege agerent.* Quia tribunus erat ipſe Virginius putaverunt ſcioli non bene dici: *Virginius & tribuni.* At notum

eſt

eſt illud: Ζεῦ καὶ θεοὶ. Plautus Captiv. *Iovi deiſque ago gratias.* Petronius: *Pindarus novemque Lyrici.* Sic libro 9, 15. *an conſulum Papiriique præcipuum id decus ſit.* Ita omnes calamo exarati, quod quibus inſolens videbatur, ita mutarunt: *Conſulis Papirii.* Idem genus non intellectum lib. 30, 12. *miſſo Syphace & captivis, cæteras urbes Numidiæ, quæ præſidiis regiis tenebantur, adjuvante Maſaniſſa recepit.* Hæc vetus lectio eſt. Quoniam vero captivus & ipſe Syphax erat, boni correctores fecerunt nobis: *miſſo Syphace & cæteris captivis.* Eodem capite nomen imperatoris Æquici fecimus *Gracchum Clœlium*, non Dionyſio modo ac Sigonio, ſed & ſcriptis impreſſiſque antiquitus volentibus.

Cap. 26. *Per expeditiones parvas plerumque nocturnis incurſionibus*] O. Pall *incurſibus.* Ibidem: *Nihil tam nec-opinatum, nec tam inſperatum accidere potuit.* Ab Rhenano eſt, qui immemor erat pleonaſmi, quo gaudet Livius in geminanda negatione. Vt lib. 2. *Nolle ſucceſſum non Patribus, non conſulibus.* Hoc libro ſupra: *nemo, non lingua, non manu, promptior.* lib. 4. *non ante unquam Volſcos nec ducibus legendis nec exercitui ſcribendo intentiores fuiſſe.* Et perſæpe alibi. Sit igitur cum duobus Pall. Aldina Andreæque editione: *Nihil tam nec inopinatum nec inſperatum.* Nihil planius. Tamen & Sigonius hic cupreſſum appingit, inſertque: *Nihil nec tam inopinatum nec tam inſperatum.* Quid opus? At inferius ex eodem Sigonii noſtriſque ſcriptis nec non edd. anti[illegible]s auge: *dictatorem eum legati gratulantes conſalutant.*

Cap. 27. *Omnes ad edicta dictatoris præſto fuere*] Corrige *edictum* ex omnibus noſtris. Par mendum ſuperius cap. 21. *ſenatuſconſulta fiunt:* cum

cum debeat ſcribi, ut monuit Sigonius: *Senatusconſultum ſit.*

Cap. 31. *Hi ſequente anno T. Romilio & C. Veturio*] Pronomen *hi* cum particula copulativa deficiunt in MSS. Mox in iiſdem *celebrabant.* Prænomen autem Veturii non *Cajum*, ſed *Spurium* eſſe docuit Sigonius. Sic igitur omnia refinge: *Tribuni plebis iidem refecti ſequente anno, T. Romilio Sp. Veturio conſulibus; legem omnibus concionibus ſuis celebrabant. pudere ſe numeri* &c. Eodem cap. lege: *Invidiæ tamen res ad exercitum fuit, & denique tribunis materiam criminandi ad plebem conſules præbuit.* Non, *ea denique.* Peccatum in contrarium lib. 23, 14. *& ſex millia hominum Gallicis ſpoliis.* cum ſcribendum fuerit: *ea ſex millia.* Sic & Sigonius & nos reperimus; itaque nec dubitavimus reſcribere. Quod & hic factum vellem.

Cap. 33. *Diſceſſitque jure ſuo*] Et Latinitas poſcebat, *deceſſitque*, & ſervaverant calamo exarati. Brutus & Caſſius ad Antonium lib. 10. fam. *per edictum de ſuo jure decedere.* Neque aliter Aldina. Sed & ſtatim principio capitis ſequentis mallem: *Quum promtum hoc jus velut ex oraculo incorruptum pariter ab his ſummi infimique ferebant, tum legibus condendis opera dabatur:* quam quod vulgo eſt, *ferrent.* Denique: *Quum ad rumores hominum de unoquoque legum capite editos ſatis correctæ viderentur.* non *edito.*

Cap. 36. *Perpetuoque decemviratu poſſeſſum ſemel retinerent imperium*] Prius refinge ex o. noſtris ſcriptis vett. editiſque: *poſſeſſum ſemel obtinerent imperium.* Eſt enim hic *obtinere* idem quod perſeverare in tenendo, obſtinate tenere. Vt in illo: *antiquum obtines.* Livius lib. 4. *idque potiſſimum exemplum à patritio homine introductum,*

ctum, nec deinde in plebem conceſſum ſemel obtinuiſſe. Lib. 7. *ſi quod duorum hominum virtute L. Sextii ac C. Licinii partum ſit, id obtinêre univerſi non poſſint.* Sic in Milite Plautus: *paret artem & diſciplinam, obtineat colorem.* Quam vim vocis non adſequentes erudituli ſuppoſuere, *retinerent.* Perinde ut Pighius apud Gellium lib. 13, 14. in verbis Meſſallæ auguris: At Cenſores inter ſe, rurſus prætores conſuleſque inter ſe & vitiant & obtinent: ſcribere mavult, retinent lib. 4. annalium.

Cap. 37. *plebiſque res; quum fortuna, qua quidquid*] Mutando præpoſitionem in conjunctionem maleque diſtinguendo omnem ſenſum his verbis abſtulerunt. Scribe: *Hi ferre agere plebem plebiſque res, cum fortuna, qua, quidquid cupitum foret, potentioris eſſet* id eſt, ea fortuna eoque eventu, ut non jus valeret, ſed vis, & quidquid ab utro peteretur, obtineret potentior, nempe patritius. Subſequitur mox: *virgis cædi alii, alii ſecuri ſubjici.* Iam monuerat Rhenanus, prius *alii* non reperiri in Borbetomagenſi. Nec in noſtris eſt. Reſtitue igitur: *Et jam tergo ne quidem abſtinebatur: virgis cædi, alii ſecuri ſubjici.* Scita ellipſis. Sic lib. 5. *pauci reipublicæ, huic atque illi, ut quoſque ſtudium privatim aut gratia occupaverunt, adſunt.* Vbi Claudius Puteanus notaverat eſſe in Cujaciano: *multi huic atque illi.* Quod ex gloſſemate inſertum non dubitamus. Eodem libro cap. 20. *Duæ ſenatum diſtinebant ſententiæ: ſenis P. Licinii, quem primum dixiſſe à filio interrogatum ferunt.* &c. *altera Appii Claudii.* Quis eſt, exclamat Sigonius, qui non ſentiat huic ſententiæ explicandæ vocem *una* maxime neceſſariam deeſſe? Ego ſum, & poſthac mecum, qui compendium hoc elegans ad animum revocarint.

rint. Ejiciatur igitur vox *una*, quam immiſit Sigonius ex codice, qualem ſæpe deſcripſimus & deſcribemus. Rurſus hoc lib. 5. *hæc omnia in profano deſeri placet, ſacra, æqualia urbi, quædam vetuſtiora origine urbis.* Lib. 10, 29. *collecta humi pila, quæ ſtrata inter duas acies jacebant, atque in teſtudinem hoſtium conjecta: quibus pleriſque in ſcuta, verutis in corpora ipſa fixis, ſternitur cuneus.* Sic ſcripſerat Livius. Partem magnam pilorum ſcuta ipſa vulneraſſe, oneraſſe, laceraſſe ait, ſed ea quæ veruta erant & ſcuta & corpora penetraſſe. Qui non capiebant, fecerunt, ut vulgatus: *pleriſque in ſcuta, pleriſque verutis in corpora ipſa.* Sed eam vocem tres Pall. & optimus Thuanæus cum Aldina merito exulem eſſe jubent. Lib. 22, 33. *Legati & ad Philippum regem miſſi, & alii in Ligures.* Sic Mſs. lib. 35, 17. *& quum Hypatam tuendam Heracleamque depopoſciſſent, neutram tutati refugerunt in juga montium, pars Heracleæ incluſerunt ſeſe.* Ita membranacei tres. Addiderant hic quoque: *pars refugerunt.* quod illorum juſſu expunximus. Cæſar. lib. 1 de bello Gall. *Helvetii ea ſpe dejecti, navibus junctis ratibuſque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, ſæpius noctu, ſi perrumpere poſſent conati.* Ita Mſs. & vett. edd. Fr. Hotmannus judicavit primum deeſſe τὸ *alii*, ſcripſitque: *ratibuſque compluribus factis alii, alii vadis.* Quod ſequuti ſunt magni viri, qui poſtremum Cæſari manum admovere. Perperam. Salluſtius de republica ordin. *& ea cauſſa exercitus ſtipendiis confectis, optimos & veterrimos omnium, adverſum fratres parenteſque, alii liberos, armis contendere.* Idem de bello Iugurth. *incedunt per ora veſtra magnifice ſacer-*

ſacerdotia & conſulatus, pars triumphos ſuos oſtentantes. Ibidem cap. 83. *Rurſus imperator contra poſtulata Bocchi nuntios mittit. Ille probare, partim abnuere.* Ita prima editio, & fideliores mss. teſte Grutero. Vulgo additum, *alia.*

Cap. 38. *Privatiſque jus abeſſet*] Memini quod præcedit: *quia privatis jus non eſſet vocandi ſenatum.* Nihilo minus non quiſquiliæ, ut ille ait, eſſe judico illud *jus abeſſe.* Claudius Puteanus notat in Fulvii Vrſini codice lectum *ſuis* ἀντὶ τοῦ *jus.* Vnde felici conjectura eruit: *quod iis, qui jam magiſtratu abiſſent, privatiſque, ſi vis abeſſet, tanquam jure cogentibus, ſenatus paruiſſet.* Ita tuto, per me licet, emendes.

Cap. 40. *Cæterum neminem majore cura*] Vide hic Rhenanum & Sigonium. Vt miſere moliuntur doctiſſimi viri! Ille quidem refingit: *Cæterum nemini non, majore cura occupatis animis, verum eſſe, præjudicium tantæ rei auferri.* Alter autem: *verum eſſe: præjudicium rei tantæ differri poſſe.* Glareanus quoque magis placere ſibi, *verum poſſe præjudicium*, teſtatur. Quæ tamen omnia præter ipſos nemo facile intelligit, cum expeditiſſimi ſenſus ſit vulgata: juſtum & æquum non eſſe, dum præſentior alia ſit magna cura (nempe de bello Sabinorum Æquorumque propulſando) quemquam controverſiam ſtatus movere decemviris; à nemine, jurene ſint magiſtratus an non, præjudicari. Neque enim aliter concepta ſunt verba quam lib. 2, 48. *Captivum agrum plebi quam maxime æqualiter darent: verum eſſe, habere eos, quorum ſanguine ac ſudore partus ſit.* Vt reſtituendum ex MSS. jam olim monuimus. Lib. 4. *non eſſe æquum, mandatum ſibi à populo eripi honorem.* lib. 7. *an æquum eſſe deditities ſuos illa fertilitate atque amœnitate perfrui?*

lib.

lib. 23. 11. *Pro his tantis totque victoriis verum ſacrum diis immortalibus agi haberique.* Sic edebatur. exercuitque Sigonium ac Modium. Ille enim, quia in malo codice invenerat, *rerum*, ſuſpicatur ſubſtituendum *petere*: hic vulgatum tuetur. Nec nobis luxiſſet magis, abſque vetuſtiſſimo Puteanorum codice fuiſſet. Is habet: *victoriis atrum eſſe grates deis.* Vnde liquebat ſcribendum, prout edidimus: *Pro his tantis totque victoriis, verum eſſe, grates deis immortalibus agi haberique.* lib. 32. *cæterum & ſociorum audiri poſtulata verum eſſe.* lib. 39. *multo verius eſſe, quæ ſub Antiocho fuerint præmia belli Eumenem quam Philippum habere.* lib. 40. *verius fuiſſe, conſules, quorum provincia eſſet, quam ſe, quid è republica eſſet, decernere.* Vidit quoque ſententiam hujus loci, ne quemquam ſua laude ſcientes fraudemus Robortellus, fruſtra obnitente Sigonio.

Cap. 42. *Nunquam ſe æquo certamine committentes*] Rectius: *nuſquam ſe æquo certamini committentes.* Et ſic habet Mediolanenſis. Infra: *Quod ſi exemplo rem fortunæ commiſiſſet.*

Cap. 44. *Liberi quoque inſtituebantur*] Parva res eſt, ſed ſuavius auribus meis, quod mutavit Sigonius ſervatum in ſcriptis melioribus editionibuſque antiquis: *Perinde uxor inſtituta fuerat, liberique inſtituebantur.* Ibidem aut particula excidit, ſcribendumque: *Vt ad tribunal Appii perventum eſt, notam judici fabulam* &c. aut certe aliter diſtinguendum: *Vocat puellam in jus. Auctoribus, qui aderant, ut ſequeretur, ad tribunal Appii perventum eſt. Notam judici fabulam petitor.*

Cap. 45. *Magis fremerent quam quiſquam unus recuſare auderet*] Non eſt Latinum, *recuſare adverſus injuriam.* Nihil igitur moratus ſum recipere, quod offerebant tres Pall. & edit. Campani:

pani: *reclamare*. Supra: *tribuni reclamantibus conſulibus refecti*. lib. 10. *reclamantibus univerſis ipſe primus* &c. Mox: *Quum placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendiſſet. Ferro hinc tibi*. Auctoritate meliorum ſcriptorum & olim impreſſorum τὸ *quum* amovimus. Quid enim? Itane placidum & mite ingenium Icilii, ſi nihil aliud, tribunitii hominis, prædicet Livius? Hoc vero ſi ego credam, quæ libro ſecundo & hoc tertio ab ortu tribunorum plebis ad hoc loci perſcripſit, non legerim. Nimirum offendit & librarium & Sigonium oratio ſententia quam verbis plenior. Ait enim, tranquillum quoque & ſedatum ingenium primum iniquitate & celeritate decreti, deîn faſtu lictoris ſubmoventis potuiſſe permoveri & irritari. Intelligit prætere: nedum Icilii, adſueti tempeſtate tribunitia Patres, plebem, ſe agitare. Quod omittit artificioſe, ne ipſe longiorem moram rei narrandæ faceret, quam Icilius gerendæ, ſtatimque verba illius ſubjicit. Scribe igitur & diſtingue: *vociferantemque Icilium ſummovet. Placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendiſſet. Ferro hinc tibi ſummovendus ſum, Appi, inquit.*

Cap. 47. *Virginius ſordidatus filiam ſuam*] Mss. & edd. vett. *filiam ſecum obſoleta veſte*. Ibidem malim cum Mediolanenſi & Aldina: *forſan aliquem verum auctores antiqui tradiderint*. ideſt, potuerint tradere, ſi voluiſſent nempe, utpote propiores memoriæ temporum illorum. *Tradiderunt*, non diceret Livius, quippe qui id ignorare non poterat, ſi tradidiſſent.

Cap. 48. *Multitudine etiam proſequentium ruente*] Mss. & Aldina: *tuente*. ſcilicet Virginium à vi lictorum Appii. lib. 33. *à paucis procurrentibus laceſſita pugna eſt, deinde ſubſidiis*

tuen-

tuentium pulſos aucta. Notavit idem Modius ex Colonienſi, ſed quod addit *juvenum*, id non reperimus, præterquam in editione Mediolanenſi Io. Andreæ.

Cap. 49. *Adſentiendo multis auctoribus, trepidus ſenatum vocari*] Tres Pall. Campani editio: *trepidaverat*. Scribe: *multis auctoribus, ut trepidare, ſenatum vocari*. Infra: *plebemque obedientem in re tam trepida Patribus præberent*. Sic paſſim Livius.

Cap. 50. *Sibi vitam filiæ ſuæ cariorem fuiſſe, ſi libere ac pudice*] Rhenanus, *pudicam*. Malo: *ſi liberæ ac pudicæ vivere licitum fuiſſet*. Quod mutavit Sigonius, allegatis libris ſuis ſcriptis. Atqui fuerunt illi omnes aut mali, aut ſi qui optimi malorum, adeo recentis manus, ut diphthongos non haberent. Plautus Caſina: *Malo hercle voſtro tam vorſuti vivitis*. Bacchid. *benivolens vivit tibi*. Catullus: *Sed tu inſulſa male & moleſta vivis*. Mox pro, *Illis etiam filias, ſorores*, &c. repoſui: *illis quoque enim filias, ſorores*: ſcriptis & editis antiquis exigentibus, à quibus, quamvis leve eſt, cur receſſerunt? Eodem cap. *ſimul iis quæ videbant iiſq; quæ acta Romæ audierant*. Ex duobus melioris notæ ſcriptis alter: *ſique hicq; acta Romæ*: alter vero: *ſimulque hiiſque acta*. Veritas eſt: *Decemviri ſimul iis quæ videbant, ſimul iis, quæ acta Romæ audierant, perturbati*. Vt lib. 5. *Romæ ſimul delectu ſimul tributo conferendo laboratum eſt*. lib 1. *ſimul quæ curando vulneri opus ſunt, comparat, ſimul ſi deſtituat ſpes, alia præſidia molitur*. lib. 8. *fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem inſignem*. Et frequenter alibi.

Cap. 51. *Siccii cædis memoria revocata*] Sic ante Rhenanum legebatur, ſic Mss. fidi, nec debuiſſet

buiſſet ille ſupponere *renovata*. Petronius: *in memoriam revocatus injuriæ.* Livius lib. 35. *nec præſens omnium modo effuſa lætitia eſt, ſed per multos dies gratis & cogitationibus & ſermonibus revocata.* Adde, ſi tanti eſt, lib. 2. obſerv. 19. Seneca lib. 3. de benefic. 4. *adſidue queritur, quod adverſus præterita ſimus ingrati, quod quæcumque percepimus bona, non reducamus.* Ita Eraſmi codices, ita tres Gruteri. Et placet efficax brevitas ſermonis, quemadmodum & illis viſum. Addiderunt ſcholiaſtæ, *in memoriam*, non ſponte auctoris.

Cap. 52. *Sciturus, quod ſine reſtituta poteſtate redigi*] Videtur excidiſſe vox, & ſcribendum: *ſine reſtituta tribunitia poteſtate.* Sed tamen lib. 4. dicitur ad tribunos: *præclarum ipſis poteſtatique eſſe; non ad vexandum ſenatum, diſcordiamque ordinum movendam plus in tribunatu virium eſſe.* Ibidem: *ne nunc dulcedine ſimel capti ferant deſiderium.* Illud *ne*, inquit Fulvius Vrſinus, non videtur ſatis uſitata formula prolatum. Itaque Pantagathus legebat: *ea nunc*, vel *annunc*, vel potius, *nunc dulcedine*, interrogandi formula. Nihil horum. Plautus: *vix incedo inanis; ne ire poſſe cum onere exiſtimes.* Salluſtius: *ſecundæ res ſapientium animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriæ temperarent. Ne* valet idem quod nedum. Vide Rivium in doctis caſtigationibus ad Salluſtium.

Cap. 54. *Haud ignavo, inquit, imminet fortuna*] Sic quidem nuperæ editiones. Sed veteres omnes cum ſcriptis: *Haud ignaro.* Et hoc verum eſt. Formula obvertentium fortunæ frontem. Petronius: *Scio te, inquam, Aſcylte, ad occidendum me veniſſe.*

Cap. 56. *Vnius tantum criminis, niſi judicem*

vindices te, ab libertate] Rhenano debetur hæc lectio, quam ab ſe nobis expenſam fert quoque Sigonius cum hac interpretatione: niſi te à judicio unius criminis liberes: id eſt, ab libertate in ſervitutem contra leges vindicias non dediſſe te, niſi probes. Mira profecto Latinitas, *vindicare judicem unius criminis*, pro unius criminis judicio ſe liberare. An non præſtat tacere quam ſic loqui? Priores fere edd. carebant τῷ *judicem* excepta Campani, in qua: *criminis reum in judicem dices*. Tres quoque Pall. & duo regii: *criminis in* (vel *ni*) *judicem dices*. Idem ex Cujacii & Fulvii Mss. notaverat Claudius Puteanus, probaveratque, ut *judicem dicere* reſpondeat τῷ *judicem ferre*, atque hoc ſit provocantis, illud provocati. Hactenus ille, cui de lectione ſubſcribimus, & ad interpretationem intendentis digitum ſequimur. Lege: *unius tantum criminis ni judicem dices, te ab libertate.* Lite inter duos orta, qui diſceptandæ ejus cauſſà ad judicem provocabat, is *judicem ferre* alteri dicebatur. Formula ferendi judicem una erat: *Dic judicem, ni hoc ita ſiet.* De quo ſi conveniſſet, *addixiſſe* eum ſibi judicem partes & is judex *addictus* dicebatur. Valerius Maximus lib. 8, 2. *A quibus Calpurnius demoliri domum coactus M. Porcium Catonem incliti Catonis patrem arbitrum cum Claudio addixit & formulam, quidquid ſibi dare facere oporteret, ex fide bona.* Quamquam Cujacius datum à prætore interpretari mavult. Cicero in ea ipſa hiſtoria lib. 3. de officiis: *arbitrum illum adegit, quidquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona.* Vnde licet obſerves, duas voces, *& formulam* Valerio exceſſe poſſe. nam id ipſum intelligere malunt. Ita enim loquebantur: *Iudex ni vindicias ſecundum ſervitutem dederit: Arbiter, quidquid dare facere oporteret:*

ret: judex ni dolo malo inſtipulatus ſis: judex, ſi pareret ſeſtertium quinquaginta millia dari oportere: pro, judex arbiterve hac formula datus vel ſumtus. L. 80. D. de judiciis: *ſi ex conventione litigatorum is judex addictus eſſet.* Illuſtrat ſua verba Livius cap. ſequenti: *ſic ſe iterum ac ſæpius judicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in ſervitutem dederit. ſi ad judicem non eat, pro damnato in vincula duci jubere.* Vbi mendoſe Sigonius: *illi ferre vindicias ne ab libertate.* Signata erat formula ſponſione provocantium: *ni hoc ita eſſet.* Adi Pithœum 1. adverſ. 18. Vt ergo priore oratione Virginius: *ni judicem dices:* ſic poſteriore: *ſe iterum ac ſæpius judicem illi ferre.* Cur *iterum?* quia ſemel tulerat dicendo: *ni judicem dices.* Vt in priore: *ni judicem dices, in vincula te duci jubeo:* ſic in poſteriore: *ſi ad judicem non eat, pro damnato in vincula duci jubere.* Si aliud eſſet, *dic judicem*, quam *judicem tibi fero,* interpoſuiſſet in priore, *ego tibi feram*, & ſi illum refugeret, tum demum carcerem eſſet minatus.

Cap. 59. *inhibito ſalubriter modo nimiæ poteſtatis*] Vnica litera deleta præclare his verbis conſules. Scribendum namque: *poteſtati.* Verbum *inhibere* memineris uſurpari ſcita illa ſignificatione, qua *inhibere imperium* non ſemel Livio dicitur. Id autem dandi caſum requirit. Plautus Sticho: *Vtrum Fontinali an Libero imperium te inhibere mavis?* Eſt ergo idem ac ſi diceret: *impoſito modo poteſtati.* Livius lib. 4, 53. *conſuli damnum aliamve coërcitionem detrectantibus militiam inhibenti.* Vbi ne non ſimiles eſſent ſibi codices Sigoniani, pro *inhibenti* habent *ferenti:* & probat ille. Quod quidem Titium magis quam Sigonium judicium decuit. Ego pignus quicum lubet ponere ſum paratus, ni hoc gloſſema ſit puti-

diſſimum. Eodem lib. cap. 56. *Quum primores Patrum nequidquam conqueſti, non eſſe in auctoritate ſenatus tribunos militum, poſtremo etiam tribunos plebis appellarent, & conſulis quoque ab ea poteſtate vim ſuper tali re inhibitam referrent.* In Mss. fuit: *& Coss. quoque:* ut teſtatur ſe reperiſſe Rhenanus in ſuo, idque reddit, *conſulum.* Sed vera lectio eſt: *& conſulibus quoque ab ea poteſtate vim ſuper tali re inhibitam referrent.* Itaque plane unus ex Pall. cæteri duo, *conſules.* Ait juſta & legitima vi metuque coactos à tribunis conſules, ut eſſent in auctoritate ſenatus. Exemplũ ejus rei habes hoc ipſo lib. 4. cap. 26. Reſtituendum idem verbum lib. 26, 44. *Cæterum tumultus inde major quam vis videri poterat.* Regius, Petaviani, duo Pall. *haberi poterat.* Put. & Men. *hiberi poterat.* Scribe: *quam vis inhiberi poterat.* Eandem phraſin exſtirparunt lib. 36, 28. *Nec hercule magnopere nunc curo, quid Ætoli ſatis ex more Græcorum factum eſſe cenſeant, dum ego more Romano imperium id habeam in deditos modo decreto ſuo, ante armis victos. Itaque ni propere ſit, quod impero, vinciri vos jam jubeo.* Membranæ Barber. & Petav. *imperium adhibeam.* Scribe: *imperium inhibeam in deditos,* id eſt, exerceam & eo utar, ſtatuam in eos & faciam pro imperio. Quiſquis negabit has quatuor correctiones præclaras, elegantes, veras, is Livium ſe non noſſe norit.

Cap. 62. *Conſilio collegæ, virtute militum victoria parta eſt*] Ex duobus melioribus Pall. recepi: *conſultu collegæ:* quam lectionem non temere eos ſervaſſe putabam. Plautus Trinummo: *inconſultu meo.* Cicero 4 ad Attic. epiſt. 2. recitat decretum Pontificum, in quo eſt, *neque populi juſſu neque plebis ſcitu.* Eſt & una ex primis editio-

tionibus, cujus architectus idem in ſuis libris invenit, deditque veram cum ſuppoſititio: *conſilio conſultu collegæ*. Quod alicui poſſet ſubjicere: *conſilio conſulto collega*. Non nobis, qui tenemus cum libris antiquis: *conſultu collegæ*. Sic Plinius lib. 3,20. *Sed interdictum id vetere conſultu Patrum, Italiæ parci jubentium.* Sic etiam reſtituimus lib. 25,16. *& ab occultu cavendum hominibus conſultiſque.* Vbi vulgati: *conſiliiſque*. Ad ſenſum facit, quod lib. 5. *deum immortalium benignitate, ſuis conſiliis & patientia militum Vejos jam fore in poteſtate populi Romani.* Quo tamen ne veterem lectionem impugnes: nam & in aliis noſtro ἡ ποικιλία τερπνόν. Ibidem: *ut indies ſpes virtuſque veſtra creſcat*: *τὸ veſtra*, quod vulgo deficiunt, ex ſcriptis editiſque priſcis interjecimus, & ſane non niſi incommode abeſt.

Cap. 63. *Caſtigati fortium ſtatim virorum operâ edebant*] Scribe cum tribus Pall. & Campano: *operam edebant*. Sic lib. 5. *An ſi ad calculos eum reſpublica vocet non merito dicat: annua æra habes, annuam operam ede.* Quintilianus avus decl. 333. *& velut editus neceſſitate operis ad gratulationem cucurri.* Seneca de otio ſapientis: *res appetere ſine ullo virtutum amore & ſine cultu ingenii, ac nudas edere operas.* Frontinus 1 ſtrateg. 9. *exauctoratos pœnitentia coëgit ſatisfacere imperatori, obſequentioreſque in reliquum operas edere.* Sic *edere operas* & *editionem operarum* legas apud Iuriſconſultos Vlpianum, Cajum, alios in titulis Dig. de operis libertorum & de ſtatu liberis, apud Paulum etiam Iulianumque *reddere operas*. Quemadmodum & Iuſtinus in præfatione: *ſimul ut otii mei, cujus & Cato reddendam operam putat, apud te ratio conſtaret.*

Cap. 64. *Nec deinde comitiorum cauſſam habuit*]

buit] Emenda, *cauſſa*, ut habent integriores, nempe concilium plebis habuit. De rogatione Duillii vide lib. 1. Obſerv. 18.

Cap. 68. *Quid eſt tandem domi, unde ea expleatis? Sunt tribuni. vobis*] Lectio duum Pall. orationem acriorem ſalſioremque reddens. Nempe pro tantis damnis habetis tribunos. Rem præclaram! ſed an illi damna rei familiaris ſarcient & penſabunt. Vulgo deeſt, *Sunt*, & aliter diſtinguitur.

Cap. 72. *Scaptione hoc concionali*] Scribo: *Scaptione hic concionali ſeni adſignaturos finitimos populos? clarum hac fore imagine Scaptium nomen, populum Romanum quadruplatoris & interceptoris litis alienæ perſonam laturum?* Rationem dedimus in commentario de Seſtertiis.

AD
LIB. IV.

CAP. 2. *Ut quemadmodum plebs gloriari poſſet, ſe auctiorem*] Hiat hic oratio, facitque protaſin abſque apodoſi prorſus inconvenientem. In Mss. melioribus & vetuſtis editionibus deficitur provocabulum *ſe* quod improvide adjecit Sigonius. Repone igitur: *ut, quemadmodum plebs, gloriari poſſent, auctiorem ampliorem que eſſe.* nempe, majeſtatem ſuam. Plebs ſuam majeſtatem vimque in republica tribunis & ſacratis legibus auctiorem reddiderat, idque jure poterat gloriari. Iubent igitur conſules ſenatum adniti, ut Patribus patriciiſque jus æque ſit gloriari, ampliſſimi ordinis majeſtatem ab

ab ſe factam auguſtiorem. Statim: *finem ergo non fieri, nec futuram:* ex Borbetomagenſi, tribus Pall. & Campani atque Aldina editione ſcripſimus.

Cap. 4. *peſſimo exemplo publico*] Vocem *publico* Rhenanus addidit ex Borbetomagenſi, haud contemnendo in plurimis libro, quæ tamen in promiſcuis ſcriptis non reperitur. Nihilominus ex adjectione potius eſſe τὸ *exemplo* quam τὸ *publico* ſuſpicer: etſi nihil vulgarius illo *peſſimo exemplo*. Quis ignorat? Valde blanditur: *non decemviri tulerunt paucis his annis peſſimo publico cum ſumma injuria plebis.* Nempe malum publicum erat, & duorum ordinum ejuſdem civitatis utrimque honeſtos viros non poſſe inter ſe connubiis adfinitatibuſque ſociari, & non licere patribus tam ex virtute quam genere generos legere. Sed præcipua injuria plebis erat, quæ tanquam indigna contactu patritiorum arcebatur. Sic inferius hoc libro: *ut in parcendo uni malum publicum fiat.* lib. 2. *quin Brutus idem, qui tantum gloriæ Superbo exacto rege meruit, peſſimo publico id facturus fuerit, ſi libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorſiſſet.*

Cap. 6. *Vt de connubio ferretur, conſenſere*] Rhenanus, *conceſſere.* Sed cum illud ſervent omnes ſcripti, non viſa nobis ſatis juſta mutandi cauſſa. Deque eo verbo aliquid infra. Ibidem: *apparebat autem aut hoſtibus aut civibus de victoria concedendum eſſe.* Particulam *autem* ab Sigonio inſertam, quia nuſpiam inventa in vett. ſcriptis editiſque, nec ad rem faciebat, ejecimus.

Cap. 9. *Per quæ domum quoque puellæ certamen partium penetravit*] Reſtituimus: *per quæ in domum:* ex o. Pall. & Aldina. Inferius: *jam*

enim & ipſe in deſerta hoſtium caſtra penetraverat. Plautus Bacchid. *Quid ego metuam, rogitas? homo adoleſcentulus Penetrare in hujuſmodi palæſtram.* Mox ſcribe: *tutores in ea quoque re partium memores ad ſuam tendere.* Vitium leve & ineptum etiam Mediolanenſem antiquam Aldinamque & omnes, quas in promptu habeo, editiones occupavit. *Ad ſuam* intellige partem aut factionem. Sic & inferius omiſerunt præpoſitionem: *optimates Romanos ad auxilium urbis obſeſſæ.* Sub finem: *& alia parte conſul muro Ardeæ brachium injunxerat.* Recte probatum Modio contra Sigonium, qui de ſuo, *immiſerat* lib. 5. *vineæque tantum non jam injunctæ mœnibus eſſent.* lib. 10. *opere ac vineis demum injunctis muro,* lib. 27, 43. *Grumenti mœnibus prope injunctum videbatur Pœnorum vallum.* Sic Put. Reg. Men. Pal. optimus. Vulgo: *junctum.* Petav. *invictum.* lib. 37. *utrimque vineas & aggerem muro injunxit.* lib. 43. *Vbi primum agger injunctus muro eſt.*

Cap. 10. *Septus vallo repente inops omnium rerum erat*] Pall. duo meliores: *repente inopem omnium rerum videt.* militem ſcilicet, de quo præceſſerat. Haud longe inde: *Volſci exiguam ſpem in armis ponentes, alia undique.* Monuimus 2. Obſerv. 12. delendum eſſe τὰ *ponentes*, quod contra omnes noſtros, & præter ſermonis nitorem præterque verum ſenſum inſeruit Sigonius. Non hic ſtetit error: nam quum & Modius id in Colonienſi non reperiſſet, oggeſſit nobis ex eodem, *exigua ſpe:* invenitque cui mirifice placeret. Quid ergo *tentaſſent?* cui verbo nihil poteſt adjungi niſi τὸ *ſpem?* nam *tentare abſciſſa alia* prorſus eſt ineptum. Probes igitur, ſuadeo, quod edidimus. *Volſci exiguam ſpem* (quam habebant)

bebant) *in armis, alia* (ſpes) *undique abſciſſa, quum tentaſſent*. Vtraque Liviana phraſis. lib. 24. *unum ſpe undique abſciſſa conſilium eſſe rati.* lib. 26. *inde alia ſpes ab reo tentata eſt, ſi adeſſe in judicio Q. Fulvius frater poſſet.* lib. 28. *tentata eſt triumphi ſpes.* lib. 37. *tentata interim ſpe auxilii ab Antiocho.* Eodem capite: *Romanus conſul Ardeæ turbatas ſeditione res* &c. Vellem deletum eſſe τὸ *conſul*, quod ſpretum Mss. noſtris Rhenanique & Sigonii, exulatque edit Campani. lib. 24. *Poſtero die Romanus in aciem deſcendit.* Quis? conſul Marcellus. lib. 27. *Poſtero die Pœnus quievit, Romanus in aciem copiis eductis &c.* Etiam conſul Claudius Nero. lib. 32. *Inde ubi de conditionibus amicitiæ cœptum agi eſt; Romanus duas poſtulare res.* Loquitur de Flaminini Quintii proconſulis congreſſu cum Nabide. Et hoc lib. 4. paullo ante: *ſi ſolvendæ obſidionis cauſſa veniſſet Romanus abducturum ſe inde Volſcos ait.*

Cap. 12. *Vix ope deorum omnium reſiſti potuiſſet.*] Propagata eſt hæc lectio à Modio & Grutero, cum antea haberetur: *omnium res ſiſti potuiſſet.* Et habent illi quidem adſentientes fere codices, ut & veteres editiones: nihilominus certum eſt mihi libros omnes eſſe corruptos ex ignorantia puriſſimæ loquendi formulæ, Livio peramatæ. Scribe: *quo ſi aggravata res eſſent, vix ope deorum omnium ſiſti potuiſſet.* Et *res* & *re*, quibus aggravati ſunt libri, importuna ſunt. Sic noſter lib. 2. *qualicumque urbis ſtatu, manente diſciplina militari, ſiſti potuiſſe.* lib. 3. *ſi quem ſimilem ejus priore anno inter morbum bellumque irati dii tribunum dediſſent, non potuiſſe ſiſti, mortuis duobus conſulibus.* Eodem libro: *Vixque concordia ſiſti videbatur poſſe: tantum ſuperantibus aliis atque emergentibus malis, nemo tribunos*

aut plebem timebat. Iterumque: *non ita civitatatem ægram eſſe, ut conſuetis remediis ſiſti poſſit.* Quod imitatur Tacitus annali tertio: *ſperni ſumtuariam legem, vetitaque utenſilium pretia augeri indies, nec mediocribus remediis ſiſti poſſe.* Ergo & eandem phraſin reſtitue hoc lib. 4, 43. *Quæ ſi in unum conveniant, vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, ſiſti poſſe.* Non *reſiſti*: quod ſine dubio inſcitia genuit. Sic lib. 29, 10. *ſe exercitumque ſuum gravi morbo adflictari, nec ſiſti potuiſſe, niſi eadem vis mali aut gravior etiam in hoſtes ingruiſſet.* Sic enim hoc verbum repræſentant omnes ſcripti, omnes editi ante Rhenanum, qui ſine mẽtione veteris codicis, hoc eſt, ex conjectura, ſuppoſuit, *ſubſiſti*, haud congruenter aliis meritis ſuis. Itaque nos tibi repoſuimus veterem lectionem, & illic quoque omnino reponendam cenſemus. lib. 45. *ſi vero ad externum bellum domeſtica ſeditio adjiciatur, ſiſti non poſſe.* Vtitur eadem formula Plautus Trinũmo a. 3. ſc. 2. *Staſime, reſtas ſolus. quid ego nunc agam? Niſi uti ſarcinam conſtringam, & clypeum ad dorſum accommodem, Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis. Non ſiſti poteſt.* hoc eſt, funditus perimus, res vergit ad interitum, neque poteſt ultra ſuſtineri, actum eſt de nobis. Vel, nihil poteſt intercedere, quo minus ita fiat, ut male vaticinor, quo minus præ deſperatione militatum eam. At boni interpretes de Lesbonico intelligunt, quaſi illum dicat non poſſe retineri. Formula eſt de ſumma re animum deſpondentium.

Cap. 13. *Eandem reipublicæ curationem agens quam Melius privatim*] Neſcio quam Latinum ſit *reipublicæ curationem agere*, eo certe ſenſu, qui hic requiritur. Omnino recte, qui cenſuerunt legendum: *eandem publicæ curationem agens.* id eſt publi-

publica auctoritate, publico nomine & mandato. Vt hoc libro infra: *quod vaniſſet adſignatumve publice eſſet*. lib. 5. *Hoſpitium cum eo ſenatuſconſulto eſt factum, donaq; publice data.* Eodẽque: *cum Cæretibus publice hoſpitium fieret.* Et, *Tegula publice præbita eſt.* Lib. 22, 60. *& alii redimendos de publico, alii nullam publicam impenſam faciendam.* Liber optimus: *publicae*. Scribe: *nullam publice impenſam*. Terentius Eunucho: *nam ibi cuſtos publice eſt nunc.*

Cap. 18. *Ne longinquam militiam non paterentur*] Negationem alteram exturbavit Sigonius; nos volentibus Mſs. & vett. edd. ipſaque ſententia reſtituimus. Petronius: *deſiderium exſtincti non poſſe fœminam pati.* Noſter libro præced. *Novam inexpertamque eam poteſtatem eripuere patribus noſtris. ne nunc dulcedine ſemel capti ferant deſiderium.* Ergo *ne non paterentur*, eſt, ne gravarentur, ne recuſarent, & ab ſignis diſcederent. Hic erat metus ad compellendum Tolumnium potens; non, ne aliquid moleſti Faliſcis eveniret, quam facit mentem lectio Sigonii. lib. 35. *ſed metuens, ne dilationem res non pateretur.*

Cap. 23. *Bellumque tanto majore quam proximo conatu*] Vtcumque nihil variant libri veteres, ſcribe: *tanto majore, quam proxime, conatu.* Mox infra: *majore tamen conatu, quam alias unquam.* lib. 35, 21. *Tiberis infeſtiore quam priore impetu illatus urbi*, Scribe: *quam prius.*

Cap. 24. *Annuos eſſe: quinquennalem cenſuram gravem eſſe:*] Diſtingue & corrige: *Alios magiſtratus annuos eſſe, quinquennalem cenſuram: grave eſſe iiſdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere.* Non dubito, quin his verbis ſanitatem reddiderimus. Vtinam tam facile liceret redintegrare, quod ſequitur: *Depoſito ſuo magiſtratu,*

ſtratu, modo aliorum magiſtratui impoſito, fine alteri, congratulatione ac favore ingenti populi domum eſt reductus. Rhenanus; *cum gratulatione:* haud dubie vere. Sed quid eſt *fine alteri*? Delet libro ſuo auctore Sigonius, nec habet Campanus: plures tamen ſervant. Sed deleatur ſane: videtur enim eſſe ſcholion, & quidem corruptum ex *fine aictm.* VI. quo ſignificabat ejus auctor modum aliorum magiſtratui, id eſt, cenſuræ, impoſitum fine anni & menſium ſex. Ibidem ſcribe cum Aldo: *Primores Patrum, quamquam deminutum cenſuræ jus noluiſſent, exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſos.* Sentit enim, iratos quidem Patres fuiſſe Mamerco, quod jus cenſuræ minuiſſet, eoque paullulum ſupplicii meritum credidiſſe; ſed tamen acerbitate tanta cenſorum offenſos, quod exemplum quiſque vereretur.

Cap. 25. *Magna tamen clades*] Scopæ diſſolutæ, ni ſic refingas: *magna tamen clade in urbe agriſque, promiſcua hominum pecorumque pernicie, accepta; famem cultoribus agrorum timentes.* Sed & de poſtremis his dubitare poſſis. Quare enim his potius quam toti urbi? nam ſi horum ſterilis proventus, neceſſario ſequitur omnium, qui ab illis emunt, inopia. Videtur potius id voluiſſe, quod ait lib. 2. *Caritas primum annonæ ex incultis per ſeceſſionem plebis agris, fames deinde, qualis clauſis ſolet.* Et quod omnino ſimile eſt, hoc ipſo libro cap. 52. *Defuncta civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, peſtilentem annum inopia frugum, neglecto cultu agrorum, ut plerumque fit, excepit.* An cultores agrorum dicemus illos, qui præter agellum & pauca jugera nihil haberent, unde ſe tuerentur? Hæreo. pœne eſt, ut vocem unam alteramve deeſſe, aut admodum corruptam exiſtimem. Ibidem ſcribe,

aut:

aut, *dum foris ocium eſt*: aut, *cum foris ocium eſſet*.

Cap. 16. *Ante omnia privata conſulum diſcordia inter ipſos*] Faveo gloriæ Caroli Sigonii, ut quiſquam popularium ejus, & amplius: doctiſſimum virum & de antiquitate literiſque optime meritum fuiſſe non modo fateor, ſed ultro prædico. Sed ſi quidem Livium ſalvum velim, ut velle ſane quam præ me fero, quin ſæpe ſcholia ejus caſtigem, defugere non poſſum: hæc invidia mihi ſuſtinenda eſt ingratiis. Vel hic quam lectionem longe ſecus ac melius olim vulgata, *ante omnia pravitas conſulum diſcordiaque inter ipſos* habere pronuntiar, qui poſſim non longe deteriorem exiſtimare? Memini hoc ipſo libro inferius dici de M. Poſtumio Regillenſi: *Huic bellum adverſus Æquos permiſſum eſt, pravæ mentis homini, quod tamen victoria magis quam bellum oſtendit*. Quare autem *pravæ*? Nimirum cum feliciter rem geſſiſſet, *ab hoſtibus*, inquit Livius, *in cives certamen vertit*. Ergo invidia, malignitas, amor litium & pertinacia in certando maxime eſt pravitas. Iulius Scaliger, *Pravus*, inquit, vox eſt militaris, inventa ab exprobratione lenitatis, quam in milite deteſtabantur. Interpoſita Æolica litera πρᾶος *pravus*. Exercit. 300. Quod facile admiſit Becmannus, juvatque, quia priſca ætas omnia in fortitudine ſita eſſe putaverit, eamque ſolam duxerit virtutem. Sic tamen non loquutus fuiſſet Scaliger, quaſi fortitudo manſuetudini oppoſita eſſet. Longe aliter ſentio. *Pravus* proprie ſignat vitium corporis, quodque in eo eſt perverſum, male detortum. Horatius ad Piſones: *pravo vivere naſo Spectandum, nigris oculis nigroque capillo*. lib. 1. Sat. 3. *illum Balbutit Scaurum pravis fultum male talis*. lib. 1. epiſt. *prave ſectum ſtomacharis ad un-*

unguem. Hinc Cicero lib. 2. de oratore: *Tertium* (genus, quod riſum movet) *oris depravatio, non digna nobis.* Varro lib. 8. de L. L. *qui puereis in geniculeis alligent ſerperaſtra, ut eorum depravata corrigant crura.* Seneca lib. 1. de ira c. 1. *fœda viſu & horrenda facies depravantium ſe atque intumeſcentium.* De conſtantia ſapientis cap. 4. *puerorum, quibus metus incutit umbra, & perſonarum deformitas & depravata facies.* Epiſt. 24. *libidines adferunt pedum, manuum, articulorum omnium depravationes.* Plinius lib. 11, 37. *Vni animalium homini depravantur oculi, unde cognomen Strabonum & Pœtorum.* Quod vitii notans Cicero in Roſcio Catuli deliciis lib. 1. de natura deorum: *Hic pulchrior deo? at erat, ſicut hodie eſt, perverſiſſimis oculis.* Hinc & Lucretius lib. 4. *pravas fœdaſque videmus Eſſe in deliciis.* Ab corpore ſcilicet. Habemus propriam notionem & primam, qua opponitur recto, bene apto ac locato, intra lineam ſuam & filum manenti. Vnde igitur *pravus?* ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω; *Pravus* à παραβάς. Æoles, (ut ſæpius docuit ille, qui primus oſtendit, quid eſſet in originibus lat. ling. non nugari) mutabant α in ο. ut πόλιν pro πάλιν, βόπις pro βάπις, πόϊς & πόϊρ pro παῖς dicebant: ſic & παραβὸς pro παραβάς. Vna litera extrita, quemadmodum βαλανεῖον gignit *balneum;* γάλανος pro βάλανος *glans,* γάλας *glos,* ſic παραβὸς *pravos* & *pravus.* Sic quod tranſgreditur lineam ſuam filumque corporis, extortum eſt, & ut Galli vocant *diſloque,* ut Itali, *ſlocato,* id *pravum* & *depravatum.* A vitio corporis ad vitium animi tranſtulerunt, adeo frequentato uſu; ut propriam pœne ſignificationem exſtinxerit. Apparet tamen origo cum tranſlatione in illo Horatii 2. Sat. 2. *fruſtra vitium*

vita-

vitaveris illud, Si te alio pravum detorſeris. Et Columellæ lib. 3, 10. *prave detorta & inveterata ruſticorum opinio.* Et Ciceronis 3 de off. *ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quãta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri?* Etiam Plautus *pravum recto* opponit Bacchid. 3, 3, 9. Nunc addemus argumentum ἀνάντητον pro vetere Livii lectione ex Taciti 3. annal. *incuſato M. Lollio, quem auctorem C. Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat.* Eodem libro M. Piſo ſero dolens ob æmulationem & odia cum Germanico exercita: *eo impenſius precor, ne mea pravitatis pœnas innoxius luat.* Sic educatorum Britannici, qui eum ad æmulandum Neronem incitare credebantur, apud eundem lib. 12. appellatur *pravitas tam infenſa docentium.* Denique idem alibi, *æmulatione prava.* Tam fœdum vitium ac male decens hominem, divinum animal & fine ſuo ab inſectatione generis ſui longiſſime remotum, putabant invidiam & malignitatem, ut inter tot corruptelas labeſque animi eam præcipue *pravitatis*, & *pravæ mentis* elogio invidam & malignam infamarent. Sic & *obliquam invidiam* dixit Virgilius & Horatius: *obliquo oculo mea commoda quiſquam Limat.* Quare maneat *privata* illa *diſcordia* Sigonio, Livio reſtituatur, *pravitas conſulum diſcordiaque inter ipſos.*

Cap. 27. *Miſſum extemplo ad caſtra ſubſidium*] Hic quoque diſſoluta hiabat oratio, ſed minus animadvertendo errore, cujus o. Mss. nos admonuerunt, referentes: *miſſo extemplo ad caſtra ſubſidio, cui Spurius Poſtumius Albus præficitur, ipſe parte copiarum &c.* Ibidem muta diſtinctionem: *Inde fumo, ut convenerat, datum ſignum, ubi conſpectum ab dictatore eſt, exclamat.* Sed & verbum ſubſtantivum Mss. fere codices ſpernunt.

Cap.

Cap. 29. *Qui filium ab A. Poſtumio*] Male & invitis ſcriptis libris & Aldina omittitur vulgo præpoſitio. Statim emenda: *quod occaſione bene pugnandi captus deceſſerit præſidio.* Male *diſceſſerit.* Lib. 5. *fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit aut præſidio decedit.* Lib. 24. *Præſidio decedere apud Romanos capital eſſe.* Sic & refinge lib. 32, 35. *Arcem regium tenebat præſidium; neque ut decederent inde aut Opuntiorum minis aut auctoritate imperantis conſulis Romani perpelli potuerunt.* Vulgo, *diſcederent.* Mſs. fere, *deſcenderent.*

Cap. 30. *In inſequentem annum*] Verbum, quo amat uti noſter, reddidimus ei è Mſs. & Aldina Vulgo: *ſequentem.* Ut & infra c. 43. *pars major inſequentis anni.*

Cap. 31. *religio obſtaret, ne non poſſet niſi ab conſule dici dictator*] Quod glaucoma obſtitit oculis Sigonii, ut *non* hic putaret adjiciendum? Imo vero deleatur. *Religio obſtat, ne dicatur dictator niſi ab conſule*, Latinum eſt pro eo: obſtat ut non dicatur aut dici poſſit. Altera neſcio quæ balbuties: non enim ubique licet duplicare negationem Latinis, ut Græcis. Lib. 5. *jus poſtulare barbari videbantur: ſed ne id, quod placebat, decerneret in tanta nobilitatis viris, ambitio obſtabat.* Cur non & hic ponit: *ne non decerneret?* Nec melius eodem capite: *adeo, ſimul fortuna civitatis virtute vera eguit, nihil cenſoria animadverſio effecit, quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur.* Sic enim ſcripti ſani, ſic veteres editiones plane & expedite. Sigonius ſcabre nimis: *ut nihil cenſoria animadverſio effecerit.* Videlicet qui τὸ *ſimul* valere idem quod *ſimulatque* non recordabatur. Nam eadem res eum errare fecit libro ſequente cap. 25. *ſimul extrahi rem*

ex-

ex eo anno viderunt. Vbi inculcat ex interpolato ſuo codice, *ſimul ut.*

Cap. 32. *Troinde memores, ſecum triumphos*] Libri meliores: *Proin memores.* Ita ſæpe eorundem auctoritate, *dein*, pro *deinde* reſtituimus. Nec opus ſemper monere, dum id ſciant curioſi nunquam à nobis factum niſi juſſu vett. librorum.

Cap. 33. *Equitem paſſim liberi frenis diſpuliſſent equi*] Loquitur non de hoſtium, ſed Romanorum vincentium equitatu, qui fugientibus ubique occurrebat. Scribe igitur: *liberi frenis diſtuliſſent equi.* Lib. 6. *quod paſſim eos ſimul pavor terrorque diſtulerant.*

Cap. 35. *Spectaculum comitate etiam hoſpitum*] Solus hic editorum Rhenanus vigil. Adnotat ſimilia loca: *notos ignotoſque paſſim in hoſpitium ductos ferunt: cum Cæretibus publice hoſpitium fieret.* Addi ex libro 1. *Invitati hoſpitaliter per domus*, & ſimilia poſſunt. Sed his inductus conjecit Rhenanus: *hoſpitii, in quam conſilio publico conſenſerant, advenis.* Et in ſenſu quidem haud fallitur conjecturæ: ſed intrudere τὸ *conſilio* incivile eſt. Pudentius igitur: *Spectaculum comitate hoſpitii, in quam publice conſenſum erat, advenis gratius fuit.* Hæc vera ſcriptura eſt, quantum divinare licet. Sic lib. 9, 7. *extemploque ſine ulla publica auctoritate conſenſum in omnem formam luctus eſt.* Sic Thuanæus, duo Pall. nec non editio Campani. Vulgo: *conceſſum.* Sed uſtione & ſectione dignus ob incredibilem audaciam Sigoniani codicis corrector, qui exhibuit: *auctoritate conſenſuve in omnem formam luctus populus verſus eſt.* Cogites licet, quid adeat periculi, qui ex hujuſmodi libris emendare molitur editos. Phraſin eandem habes lib. 26. *In hac tanto*

animo

animo conſenſum eſt, ut gratiæ ultro conſulibus agerentur. Aſconius in Verrinam de prætura urbana: *Adſummum Græcorum otium*] *Dixit hæc ſecundum illam ſententiam de Græcis habitam, quos otioſos & leves eſſe conſenſum eſt.* Sic *conſenſa* A. Gellio lib. 5, 26. *Syllogiſmus eſt oratio, in qua conſenſis quibuſdam & conceſſis, aliud quid quam quæ conceſſa ſunt, per ea quæ conceſſa ſunt, neceſſario conficitur.*

Cap. 37. *Tamquam conſtantiſſimæ rei fortunæ fretus*] Quod alios feciſſe queritur Rhenanus, vereor ne ipſe fecerit, id eſt, locum hunc interpolaverit. Omnes Pall & Aldina *fortuna.* Repone igitur: *tamquam conſtantiſſima re, fortuna fretus.* Necdum perſuaſus ſum, id verbum veteres cum dandi caſu junxiſſe. Quare & emendandum exiſtimo lib. 6, 13. *Multitudo hoſtium nulla re præterquam numero freta.* Vbi editur: *nulli rei.* Nec curo Modium qui lib. 39, 51. novo plane, ut ipſe ait modo è ſuis profert: *& fidei regum nihil ſane fretus.* Nam noſtri omnes, ut vulgati, *confiſus.* Livius autem ipſe lib. 7. *Apparuitque occaſione magis quam virtute fretos veniſſe.* lib. 8, 22. *Samnitium infida adverſus Romanos ſocietate freta.* Sic enim Sigonius è ſuo, nec diſſentiunt ulli noſtri. Vulgatæ enim ante habuerant, *infidæ ſocietati.* lib. 10. *Pecunia deinde, qua multum poterant, freti.* Et alibi ſæpiſſime. Eodem capite non poteſt non eſſe ſuſpectum: *clamor diſſonus incerto clamore prodidit pavorem animorum:* etſi nihil ſcripti juvent. Sigonius: *incerto tenore.* Lipſius: *incerto clangore.* Quod placebat antequam veniret in mentem, *incerto languore.* Hoc verum puto; & memini clamorem *languidum* alicubi legiſſe, ubi, nunc non ſuccurrit.

Cap. 40. *Corpore & animo vix præ gaudio com-*

compotes effuſa] Rhenanus *compote*. Fruſtra: intelligitur enim, corpore & animo vix compotes ſui.

Cap. 42. *Et everſuri tribunitiam poteſtatem plebi?*] Vox ultima & inſolentem reddit orationem, & reperta nuſpiam in excerptis noſtris. Rhenanus adlevit, nos abraſimus.

Cap. 44. *Quidnam id rei eſſet?*] Fortaſſis *eſſe*: ea forma de qua copioſe ad librum primum. Ibidem: *aut perſeverante ſub judicii tempus.* Infelix correctio Rhenani, qui ſubintelligit, *cauſſa*. At omnes ſcripti cuſique, *perſeverantem*, ſcilicet reum C. Sempronium. Eſtque id Latinius.

Cap. 49. *Prava mentis homini, quam tum victoria*] Ab Sigonios eſt. Sed excerpta noſtra & Aldina: *tamen*. Quaſi diceret: Erat ille quidem moribus talis, non tamen id bello durante, ſed jam parta victoria, nudavit: nam ſecundæ res acrius, quam dubiæ hominum animos explorant. Ibidem muta diſtinctionem: *Auxit eam iram, poſtquam ab collegis arceſſitus propter ſeditiones tribunitias in urbem revertit, audita vox ejus.* Similem medicinam adhibuimus infra cap. 57. *Quo facto, quum haud immerito laudem gratiamque apud omnes tuliſſet, dictatore P. Cornelio dicto, ipſe ab eo magiſter equitum creatus exemplo fuit collegis, eumque intuentibus, quam gratia atque honos* &c. Vulgo: *creatus eſt. Exemplo.* Sed verbum ſubſtantivum omnes ſcripti jubent aboleri.

Cap. 50. *Incipite deinde mirari*] Sigonius, *demum*. Male: particula *deinde* eleganter ponitur pro poſthac, in poſterum.

Cap. 52. *Is tum principio ſtatim anni*] Scribe: *Is quum principio ſtatim anni, velut penſum no-*

minis

minis familiaque. ſeditiones agrariis legibus promulgandis cieret; peſtilentia coorta &c. Ibidem: *At ubi hæ ſollicitudines deceſſere, non diſceſſere.*

Cap. 54. *Quæſturamque* non *honoris ipſius finem æſtimabant*] Lege cum Mss. & vett. edd. *quæſturamque eam non honoris ipſius fine æſtimabant.* Incaſſum Sigonius *namque*; ſed peſſime Rhenanus *finem.* Hoc argumentum eſt, nec illum nec ſubſequutos mentem Livii percepiſſe. *Fine honoris* eſt modulo honoris, ipſius honoris vel mediocritate vel dignitate. *Finis* ſæpe ponitur pro certo modo ac menſura. Erit aliquid hac de re in Obſervationibus, quas promittimus, ubi pulchrum Cæſaris locum reſtituemus. Senſus Livii eſt: non tanti modo æſtimabant quæſturam plebejo mandatam, quanti erat ipſe quæſturæ honos, ſed etiam, quanti via ad conſulatus & triumphos ſui ordinis hominibus aperta poterat æſtimari.

Cap. 56. *Nihil eſſe in his auxilii dicerent, qui non civium*] Fulvii, Cujacianus codd. *quibus non civium.* Aut valde fallor aut ſcripſit Livius: *nihil eſſe in ſe his auxilii dicerent, quibus non civium.* id eſt, Patribus aut ſenatui.

Cap. 58. *qui quia ſumma vi reſiſtere nuntiabantur*] Duplex hic mendum: *Qui* non poteſt reſpicere niſi *τὸ tribunis*: at *cogitaverunt* reſpicit Senatum ſeu Patres, non tribunos, qui ab hac culpa excuſantur. Cancellandum igitur, quippe ſine eo oratio conſtat, nihilque habet ambigui. Deinde tres Pall. & vetus editio, ex qua citat ſine mentione variantis ſui codicis Rhenanus: *reſtare*, non *reſiſtere*. Ut lib. 6. *Ibi dum iniquo loco ſola virtute militum reſtantes cæduntur. cæduntque.* Ibidem: *æqua virtute fortunaque Latinæ maxime legiones, longa ſocietate militiam Romanam edocta,*

cta, reſtabant. Lib. 8. *pedes reſtantes ac circumventos cecidit, ab equite fugientium ſtrages eſt facta.* Lib. 23. *qui pauci plures vincere ſoliti eſtis, nunc paucis plures vix reſtatis.* Eſt igitur hæc ſana Livii oratio: *Tarditatis cauſſa in ſenatu magis fuit quam in tribunis, quia ſumma vi reſtare nuntiabantur* (milites, qui Verrugine in præſidio erant,) *parum cogitaverunt, nulla virtute ſuperari humanarum virium modum.*

Cap. 58. *Maxime tempeſtivo principum in multitudinem munere*] Ita non modo Rhenani codex & alii ſcripti, verum etiam Mediolanenſis Andreæ, Veneta Bartholomæi de Zanis & Pariſienſis Nicolai Savetierii editiones. Neque eſt de ulla mutatione cogitandum. Sigonius hic defœdatã & maculoſam lectionem codicis omnium, qui ſunt, credo, contaminatiſſimi non modo allegat, verum & oſtentat. Piget vel meminiſſe.

AD
LIB. V.

CAP. I. *Pro ſeditionis eum principe, non vani ſermonis auctorem, habebat*] Scribe, *auctore*: pendet enim à præpoſitione. Eſt vero *auctor* hic idem quod nuntius. Vt lib. 10. *ab Sutrio legati, auctores concilia Etruriæ populorum de petenda pace haberi.*

Cap. 3. *Sic vos interdixitis Patribus commercio plebis*] Placet quod adnotat Rhenanus ex Borbetomagenſi: *interdicto.* Subaudi, non quod ille vult, *facitis*, ſed ex præcedenti commate, *æquum*

cen-

cenſetis, ne ſcilicet, quod ſequitur, nos demereamur plebem, nec dicto audientem habeamus.

Cap. 4. *Invitus in hac parte orationis, invitus, Quirites, moror*] Repetitio vocis *invitus* eſt à Mss. & auget vim ſententiæ.

Cap. 12. *Reſque militia ita proſpere gererentur*] Scribe: *militiæ*: & ſtatim: *ad exitum ſpei*, ut ſuperius indicatum.

Cap. 17. *Iuventutis ſuæ voluntarii ad id bellum eant*] Ex Mss. & ed. Campani reſtituimus: *voluntate*. Et ſic ſæpe Livius. lib. 2. *per metum potius quam poſtmodum voluntate conſuluiſſe.* Hoc lib. 5. *ſi non voluntate manſimus in Capitolio per tot menſes obſidionis.* Lib. 35. *Caſtella multa expugnavit, alia voluntate ad eum defecerunt.* Eodem: *multa homines, ne bellarent, voluntate remittere.* Lib. 37. *duo millia miſtorum Macedonum Thracumque, qui voluntate ſecuti erant.* Lib. 39. *ſi voluntate, non vi atque armis coacti, cum Ætolis eſſent.*

Cap. 18. *Huic petenti, meiſque pro eo*] Videtur melius: *delatum mihi ultro honorem huic petenti, meis quoque pro eo adjectis precibus, mandetis.*

Cap. 21. *Sua fortuna populi Romani*] Quidquid huc congerat ὁ πάνυ Gruterus de ſuo *ſuus*, non probabit hanc lectionem vel Grammatices convenire præceptis. Scribe, ut anteriores omnes: *ſua fortuna populique Romani.* Ita prorſus lib. 7. *nobis deum benignitate, felicitate tua populique Romani & res & gloria eſt integra* Quod autem ſequitur: *ut eam invidiam lenire ſuo privato incommodo, quam minimo publico Romani populi liceret*: nec contra omnium librorum fidem eſt, ut contra Glareanum criminatur Sigonius, & belle procedit. Recte rejicit Glareanus: *quam*

quam minimo ſuo privato incommodo publicoque. Voluit enim ſuo tantum incommodo, non ullo populi Romani, leniri eam invidiam. Valerius Maximus: *ut ſi cui deorum nimia felicitas populi Romani videretur, ejus invidia ſuo aliquo incommodo ſatiaretur.* Eadem formula voti, quod L. Æmilius Paullus confecta Macedonia concepit: *deos immortales precatus eſt, ut ſi quis eorum invideret operibus ac fortunæ ſuæ, in ipſum potius ſævirent quam in rempublicam,* ut narrat Vellejus. Simile Cippi apud Naſonem lib. 15. Metam. *Seu lætum eſt aliquid, patria populoque Quirini: Sive minax, mihi ſit.* Sed eodem argumento refellitur interpretatio Glareani: Camillus quaſi de publico bono magis ſollicitus quam de privato, optavit reipublicæ commodum præ ſuo commodo. Itaque incommodum ſuum non deprecabatur, & publicum quam minimum incommodum, ſi totum abigi non poterat, precatur. Vera pietas Camilli in patriam exigit hanc ſententiam, ut omne deprecetur patriæ, inque ſuum caput verti petat. Quare & rejicimus unius ex Pall. codd. ſcripturam excerptori probatam: *quam minimo ſuo privato incommodo, quam publico populi Romani.* Nam ne ſuum quidem definivit, ſed ut in ſe, quidquid illud eſſet, recideret. Quæ ſententia ab Livio exprimi debuit, & expreſſa eſt utique in optima illa melioribuſque in libb. ſervata & Glareano probata lectione; hoc latens, quod τὸ *quam* ἀντὶ τῶν *potius quam* ut frequenter ſolet, poſitum eſt. Vt lib. 3. *C. Claudii, qui patruus Appii decemviri erat, oratio fuit precibus quam jurgio ſimilis.* Lib. 7. *quidquid hinc aut illinc Mars communis belli aufert, multiplex quam pro numero damnum eſt,* id eſt, gravius re quam numero. Lib. 10, 26. *tanta lætitia ac gloriatio fuit,*

fuit, ut praeciperetur victoria animis, triumphuſque quam bellum decretum conſulibus videretur. Sic duo meliores Pall. Vulgo: *non bellum.* Lib. 23, 43. *ipſorum quam Annibalis intereſſe, capta an tradita Nola potiretur.* Sic Putean. Petav. melior, Men. tres Pall. Lib. 28, 44. *& Carthago praemium victoriae erit quam ſemiruta Bruttiorum caſtella.* Ita Lipſius ex ſuo v. c. cui accedunt Puteanæus inſtar omnium, Regius, Men. unus Pal. Eodem modo particula *quam* hic abutitur Livius, haud difficili jam ſententia: ut eam invidiam ſuo privato incommodo potius quam vel minimo etiam publico lenire & luere ſe Furio Camillo permitterent: ut eam ſe à republica totam privatis ſuis & domeſticis incommodis redimere paterentur. Notandus hic, ne in poſterum alios fallat, Plutarchus, qui Livium nec cepit nec bene reddidit. Verba ſunt: *εὔχομαι ταύτην ὑπέρ τε πόλεως καὶ στρατοῦ Ῥωμαίων εἰς ἐμαυτὸν ἐλαχίστῳ κακῷ τελευτῆσαι.* Nam apud Livium Camillus, quemadmodum nec apud Vellejum L. Æmilius nullam optat moderationem mali; ſed ſimpliciter ab urbe & populo illud in ſe vertit.

Cap. 22. *Qui ad ſenatum malignitatis auctores*] Conſideranda lectio duum codd. Pall. *qui ab ſenatu malignitatis fautores quaerendo rem arbitris ſubjeciſſet.* Neque enim ſine ſale eſt: quamvis nec dum quid mutandum cenſeamus. Iidem hoc ipſo cap. *poſtremo jam fato tum denique urgente, operibus tamen.* Quod vulgato plenius.

Cap. 24. *Duaſque urbes communes reipublicae incoli*] Si vacabit operam ſumere videndi, quae ſcripſimus 1. Obſerv. 12. facile decernes legendum eſſe, *communis reipublicae.* Statim: *nunc in una urbe tantum diſſenſionum eſſe; quid in duabus*

bus urbibus fore? delevimus τὸ *urbibus* auctoritate trium Pall. Sic & inferius cap. 31. *fuſis hoſtibus prius pæne quam manus conſererent. Valerio, quod perſeverantior cædendis hoſtibus in fuga fuit;* ſuſtulimus τὸ *hoſtibus*, quod ex gloſſematico ſuo codice Sigonius intruſerat. Noſtri ſcripti & veteres editi eo carent.

Cap. 26. *Simulabant parari ducem, ſed rogationi tribunitiæ*] Recepimus *largitioni tribunitiæ* ex Borbetomagenſi, cui duo meliores Pall. faciunt ſecundas. Sic lib. 2. de Caſſio captum ex Hernicis agrum diviſuro: *largitione conſulem periculoſas libertati opes ſtruere.* Item: *conſul alter largitioni reſiſtebat.* Lib. 3. de Æmilio conſule legis agrariæ ſuaſore: *tribunitiis ſe jactare actionibus principem civitatis, & largiendo de alieno popularem fieri.* Lib. 4. *Stetitque in eadem ſententia, ne qua largitio ceſſura in trium gratiam tribunorum fieret: nec enim agrum plebi, ſed ſibi invidiam quæri.*

Cap. 27. *Nihil eo more per belli tempus intermiſſo, dum modo*] Parva res eſt, ſed ad integritatem Livii & percipiendam ſententiam hujus loci neceſſaria, quamque tot doctos viros præteriiſſe pudor eſt, quod ἀντὶ τοῦ *dum* ex conjectura ſcripſimus *tum modo brevioribus*. id eſt, poſteaquam id ſceleſti conſilii cepit. *Dum* non poteſt ferri, niſi *trahendo* mutes in *trahat*: nec enim verbum, quod ei reſpondeat, ullum adeſt. Eodem capite: *Vejentium exitum pæne quam Capenatium pacem mallent.* Valeant libri Sigoniani, qui ingerunt, *exitium*. Vejentium exitus, ut alibi *eventus illius*. Lib. 7. *adeo duorum militum eventum utraque acies animis perceperat.* lib. 45. *Egregium enim ut fabulis traditus impiorum fratrum eventus taceatur, Perſei exitum videri.*

Cap. 30. *His adhortationibus patres concitati, principes, ſenes juveneſque*] Et hic male Sigonius è fatuis libris Livio conſuluit. Quid enim eſt illud, *Patres, principes, ſenes juveneſque?* quæ iſta gradatio? Noſtri meliores & Aldina: *His adhortationibus principes concitati Patres, ſenes juveneſque*. Vnde ſcribendum unica litera mutata, ut erat impreſſum alicubi ante Sigonium: *His adhortationibus principis concitati Patres ſenes juveneſque*. Cujus principis? Furii Camilli. Lib. 6. *Cæterum quo primo adminiculo erecta erat, eodem innixa M. Furio principe ſtetit*. Similiter lib. 7. de eodem: *Fuit enim vere vir unicus in omni fortuna, princeps pace belloque*. Cave tamen putes propterea Latine aut recte legi in corruptis editionibus lib. 15. A. Gellii c. 12. *in convivio liberi veſtri modeſtius erant, quam apud principem*. Nam Mss. & ſecuta eos H. Stephani Gallica editio: *quam apud principia*. nempe Caſtrorum, qui locus modeſtiæ & ſanctimoniæ præſentiſſimæ. Vnde in declamatione, quæ inſcribitur Miles Marianus: *nec tua, ſumme imperator, divina virtus ſinat, ut tua quoque ſententia quiſquam vir & Romanus & miles nimium pudicus ſit, apud quem ante principia agendum eſt*. Sequitur eodem capite: *& legem una plures tribus antiquarunt quam juſſerunt*. Quod bene ſic conſtituit Sigonius, ſed perperam interpretatur: *una*, id eſt, uno conſenſu. Nam *una* plane non adverbii more uſurpatur, ut cum ponitur pro *ſimul*, ſed ſignificat unius tribus numero viciſſe antiquantes. Quare enim ante: *religioſum maxima parti fuit:* ſi omnium fuit conſenſus? Sic lib. 2. auctor: *Silvani vocem eam creditam, hæc dicta; uno plus Etruſcorum cecidiſſe in acie, vincere bello Romanum*. Valerius Maximus in eadem narratione: *Vno plus Etruſci*

ſci cadent, Romanus exercitus victor abibit, lib. 1. c. 8. Tale eſt apud Plautum Amphitr. *mihi quidem uno te plus etiam eſt quam volo.*

Cap. 31. *Manlius, cui Capitolino poſtea fuit cognomen*] Duo Pall. meliores: *poſtea etiam fuit cogn.* Nempe alterius Capitolini Quintii dudum multa mentio facta fuerat.

Cap. 32. *Accitis domum tribulibus & clientibus quæ magna*] In optimis libris copulativa *&* non reperitur. Scribe: *accitis domum tribulibus clientibuſque (magna pars plebis erat) percontatus animos eorum.* Frequens admodum Livio, ita abruptas, certe connexione defectas, parentheſes facere. Hoc lib. 5, 28. *poſcentes, ut confeſtim inde ad caſtra hoſtium duceret: (in conſpectu erant poſita in plano) nihil pœnæ recuſabant*, &c. Vbi male Sigonianus: *& in conſpectu.* pejus Andreas: *& ea in conſpectu.* lib. 9. *flectit paullulum in clivos agmen, (aſpreta erant ſtrata ſaxis) inde ſigna in hoſtem obvertit.* Lib. 10. *inde eſſe oſtium fluminis prealti. (Meduacus amnis erat) eo invectam claſſem ſubire*, &c. Palladius Februario cap. 17. *Hiſpanus quidam mihi hoc genus novæ inſitionis oſtendit: (ex Perſico ſe adſerebat expertum) ſalicis ramum* &c. Ita Mss. Vulgo: *quod ex Perſico.*

Cap. 34. *Is quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos*) Rhenanus: *quod ejus.* Sed deliciæ meræ & Livianæ notæ lectio eſt Sigonio ex libb. veteribus repræſentata: *Is quod ea gens populis abundabat.* quam receptam ubique non eſſe, quia ipſe tantum laudaſſe contentus tranſit, nec ab aliis intelligebatur, vero ſimile eſt. Mihi quoque olim aqua hærebat: nunc ſolam agnoſci & ita corrigi contextum cenſeo. Gentem non aliam intellige quam Italam ſive Italiam. Sigoveſo horridi evenere Hercynii ſaltus: at accuratius memorandus

Belloveſus, cui haud paullo lætior excidit ſors Italiæ. Ergo quia notum erat jam tum, eam gentem, nempe Italiam, populis frequentem eſſe & cultoribus abundare, ille quoque multitudine ſuorum ſuccinctus ire voluit, & ex tot Gallicis populis delectum egit. Sic Florus lib. 2, 7. *Sequuta ſunt ſtatim Africam gentes Macedonia, Græcia, Syria.* Eaſdem vero delicias facit Virgilius lib. 10. Æneidos. *Mantua dives avis, ſed non genus omnibus unum. Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni. Ipſa caput populis.* Vbi non modo Servius nugatur, tribus & curias interpretando, ſed & doctiſſimum Cluverium in errorem induxit lib. 1. antiq. Ital. c. 26. auſum dicere, eam orationem ſecum non congruere & miris conſtructam fabulis, quaſi Mantua diceretur caput Mantuæ. Ego vero *gentem* intelligo regionem vel provinciam, *populos* urbes, quarum provinciarum quarumque urbium in provinciis Mantua metropolis & caput. Sic Strabo de Sybari lib. 6. τοσοῦτον δ' εὐτυχίᾳ διήνεγκεν ἡ πόλις αὕτη τὸ πλέον, ὡς τεττάρων μὲν ἐθνῶν τῶν πλησίον ὑπῆρξε, πέντε δὲ καὶ εἴκοσι πόλεις ὑπηκόους ἔσχε. Ovidius 2. Metam. *Cumque ſuis totas populis incendia gentes In cinerem vertunt.* Noſter lib. 4. *Simul Æquos triennio ante accepta clades prohibuit Volanis ſuæ gentis populo, præſidium ferre.* Ibidem inferius: *Volſcos & Æquos ſumma vi ad bellum coortos: caput rerum Antiates eſſe: eorum legatos utriuſque gentis populos circumiſſe.* Lib. 6. *aut non ex iiſdem ſemper populis exercitus ſcriptos, quanquam eadem ſemper gens bellum intulerit.* Lib. 7. *cujus populi ea cujuſque gentis claſſis fuerit, nihil certi eſt.* Lib. 45. *in omnibus Græciæ gentibus populiſque.* Pomponius Mela lib. 1, 21. *Vna gens, aliquot populi & aliquot nomina.* Hinc ſcias

ſcias ſummum Poëtam qui nihil molitus eſt inepte, non ταυτολόγως dixiſſe in ſexto: *innumeræ gentes populique volabant.* Sic & Livius lib. 42. *in liberis gentibus populiſque plebs utique omnis ferme &c.* Notandum quoque Servium nonnunquam citare libros Varronis *de gente populi Romani.* Ad lib. 7. *ut Varro docet in libris de gente populi Romani, in quibus dicit, quid à quaque traxerint gente per imitationem.* Ad lib. 9. *Italia diſciplina & vita laudatur: quam & Cato in originibus & Varro in gente populi Romani commemorat.* Hinc revincitur & conjectura Lipſii, lib. 25, 16. *omnium populorum pratoribus, qui ad Pœnum in illo communi Italiæ motu deſciſſent, perſuaſiſſe.* Sic omnes ſcripti & impreſſi. Quomodo *omnium populorum?* inquit Lipſius, certe de ſolis Lucanis ſermo: itaque lego, *omnium popularium,* lib. 4. ep. quæſt. 16. At nos intelligimus omnium populorum Lucanæ gentis. Sic *Latini populi* lib. 1, 51. & *populi Latinorum* eodem, c. 31. Sic lib. 2. cum clades *gentis Volſcorum* dixiſſet; mox addit: *inſtigandoque ſuos quiſque populos effecere, ut omne Volſcum nomen deſiceret.* Quemadmodum & citato loco libri 25: *ut omne nomen Lucanum in fide ac ſocietate Romana ſit.* Lib. 9. *Id ægre paſſi Hernici, concilium omnium populorum habentibus Anagninis, omnes Hernici nominis populo Romano bellum indixerunt.* Ergo & lib. 2, 64. *ingens vis hominum ex omnibus Volſcis Æquiſque populis in caſtra venit*: perperam & ex malorum libb. ſuaſu τὸ *populis* delet Sigonius. Sic *Samnitium populi* lib. 10, 14. *Etruſcorum.* 29, 36. *Iſtriæ* 41, 11. lib. 32. *& jam non ſinguli tantum, ſed populi univerſi inter ſe altercabantur: tum inter magiſtratus gentis certamen nihiloſegnius.* De Achæis. Iterum cap. 34.

hujus quinti libri: *nulla dum via (quod quidem continens memoria ſit, niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas.* Et totum illud, quod ex priſcis quibuſdam exemplaribus hic nobis adfert Sigonius, erroneum eſt, & ſpernendum inprimis: *quo de quidem continens.* Non adſequutus eſt vir doctiſſimus compendium Latini ſermonis elegans: *quod memoria ſit:* pro eo, quod factum eſſe memoria ſit. Vt lib. 3, 13. *Premebat reum prater vulgatam invidiam crimen unum, quod M. Volſcius Fictor, qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat, teſtis exſtiterat.* Crimen quod Volſcius teſtis exſtiterat: quod admiſſum eſſe teſtis fuerat Volſcius. Eodemque libro; *quia id fides abierit.* id eſt, id factum eſſe. Vel etiam: *Memoria id, teſtis id, fides id,* pro memoria, teſtis, fides ejus rei. Plautus Captivis a. 3. ſ. 4. *Garriet, quod neque pes unquam neque caput compareat.* Vbi perperam Lambinus *quo*, Acidalius *quoi* voluere. Denique hoc capite 34. *agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum.* Subauditur exiſtente, inquit Rhenanus. Scribe potius: *cognominem Inſubribus.* Virgilius 6. Æn. *gaudet cognomine terra.* Vbi addit Plautum in Bacchidibus Servius.

Cap. 35. *Poſt hoc Salluvii prope antiquam gentem Lavos*] Mirifice vexata periodus, olim à curioſis librariis, poſt à doctis viris, dum ſententiam ſuis concipere quam ex Livii verbis elicere malunt. Legebatur in editis: *Salluvii qui prope antiquam* &c. *amnem petiere Apenninum. Deinde Boji.* Sed τὸ *qui* & *petiere* boni ſcripti omnes reſpuunt, habentque etiam *Penino*, nec non *prater antiquam*, ut indicavit Rhenanus. Qui quod neſcit an pro *Salluvii qui* ſcribendum ſit *alii Libui*, nos ſcimus id faciendum non eſſe: nam Gallici

lici populi nomen requiritur, qui vicinos dictis jam Libuis Lęvos Ligures ad Ticinum habitantes ſit adortus. Iam *Penino* inducendum non eſſe, ut velit ille, ſubſcribo Sigonio. Nec vero recte ex præcedenti periodo hujus ſententiam integrat Rhenanus, ſubaudito verbo *tranſcendunt*: nam & propius aliud intervenit, *conſidunt*, nec Livius modo præter hoc Lævos Ligureſque tranſcendiſſe vult Gallorum gentem, ſed eorum ſedes pulſorum ipſos occupaſſe. At quem librum veterem longe omnium optimum commendat Sigonius, unde & profert: *Salluvii qui*, moxque, *Licinum amnem expulere*: is meo judicio debet hic inter peſſimos cenſeri. Τὸ *expulere* Livii non eſt, qui voluit ex ſequenti membro poſt τὸ *amnem* ſubaudiri *agro pellunt*, quemadmodum & *tranſgreſſi*: quod ut minus animadverteretur, interjecta in cauſſa fuere, quæ orationem obſcurant. Ita ergo ſcripſit ille: *Poſt hos Salluvii, præter antiquam gentem Lævos, Ligures incolentes circa Ticinum amnem; Penino deinde Boji Lingoneſque tranſgreſſi, quum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Vmbros, agro pellunt.* Vt videas nihil deeſſe, niſi quod commode κατ' ἔλλειψιν ad intellectum refertur, omiſſis iis, quibus producitur ambitus orationis, ipſam connexionem conſidera: *Poſt hos Salluvii* (eodem Taurino ſaltu tranſgreſſi) *Lævos & Ligures ad Ticinum, deinde Boji Lingoneſque Penino tranſgreſſi Etruſcos & Vmbros agro pellunt.* Adde Sigonium. Libuorum Lævorumque & Ligurum meminit etiam noſter lib. 33. *quos non adepti Pado repente ratibus trajecto, Lævos Libuoſque quum pervaſtaſſent, redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agreſti præda in agmen incidunt Romanum.* Cluverius ita

corrigebat: *ubi nunc Brixia & Verona urbes ſunt, locos tenuere. Poſt hos Libici ex Salviis orti, prope antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem conſidunt.* Cui ut de Lebeciis aut Libicis manum demus, fruſtra objicit nullos Salluvios vel Salvios in Italia memorari: quum non hoc dicat Livius, ſed Salluvios aut Salvios Gallicam gentem Taurino ſaltu in eam Italiæ partem tranſgreſſos. Sed & Lævos cum Liguribus eoſdem facit auctore Plinio, quos ab iiſdem Livius diſtinguit. Præterea vult non pulſos eſſe Lævos Ligures, ſed prope eos conſediſſe Libicos contra mentem Livii. Neque offendat quempiam, quod hic dicuntur agro pulſi Libici Lævique & Ligures, & tamen lib. 33. eadem loca incolentes ſic appellentur. Nam Galli quamvis homines pepuliſſent, nomen ejectæ gentis ſubiere. Quod in multis accidit coloniis Romanis. Sic Carthaginem Capuamque tranſcripti, atque ex illis etſi origine Romanis nati poſtea, Carthaginienſes & Campani vocabantur, non Romani. Vnde Strabo lib. 5. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι παραλαβόντες καὶ πέμψαντες ἐποίκους πολλαχοῦ, συνεφύλαξαν καὶ τὰ τῶν προεποικησάντων γένη. Καὶ νῦν Ῥωμαῖοι μὲν εἰσὶν ἅπαντες· οὐδὲν δ' ἧττον Ὀμβρικοί τε τινες λέγονται, καὶ Τυῤῥηνικοὶ, καθάπερ Ἐνετοὶ καὶ Λίγυες καὶ Ἴνσουβροι. Denique tota hæc ratio corrigendi eſt enormis ac violenta, præſtatque intactos ſcripto res veteres relinqui, quam ſic interpolari.

Cap. 37. *Flagrantes ira, cujus impotens eſt gens*] Mediolanenſis Io. Andreæ: *cujus impatiens eſt gens.* Mutaverunt Aldus & Rhenanus, dubium an ſatis juſta de cauſſa. Ovidius de Ajace, lib. 13. Metamor. *Vtque erat impatiens iræ.* Quem

Quem locum opportune mihi ſubjecit. Nicol. Heinſius, unicum noſtrum & Muſarum delicium.

Cap. 39. *Et ipſi pavore defixi primum ſteterunt*] Potuit eſſe, quod ait Petronius, *mentis pavidæ gaudium*, nec contendere velim cum pertinaci: vide tamen an hic pavor ſatis conveniat. Lib. 7. poſt cæſum à Tito Manlio Gallum *defixerat pavor cum admiratione populares ejus*: ſed exemplum illud ac præludium fortunæ totius exercitus merito faciebat metum. Hic cur admiratione ſtupeſcerent, agnoſco; cur ei miſceretur pavor, non ſatis video. Ait quidem Livius: *deinde inſidias vereri*: ſed hoc poſt ſtuporem, cum ad ſe redire inciperent. Liceat tentare, an verius ſit: *& ipſi nova re defixi*. Vt infra: *Galli nova re trepidi arma capiunt*. Lib. 21. *Vtraque ſimul objecta res oculis, animis immobiles parumper eos defixit*. Lib. 22. *quod malum, præterquam quod atrox, ſuper tot clades etiam novum, cum ſtupore ac miraculo torpidos defixiſſet*. Ibidem: *nec ſupereſſe quemquam præter eos*. Hæc non eſt antiqua lectio, ſed quam delevit auctore corrupto libro Sigonius: *Romani, quum pars major ex acie Vejos petiſſent, nemo ſupereſſe quemquam præter eos, qui Romam refugerant crederent, comploratis omnibus &c.* Ita Mſs. bonæ notæ, ita editiones veteres: nec publici eſt ſaporis. Eodem aſyndeto lib. 34. *Nunc quum duo prætores, quum conſul, quum tres exercitus Romani Hiſpaniam obtineant, Carthaginienſium prope decem annis nemo in his provinciis ſit*. Iam illud *Romani pars petiſſent, nemo crederent*, quam elegans & Livianum? Lib. 9. *quum alterum quiſque magis mentis compotem ac conſilii ducerent*. lib. 22, 55. *ſua quiſque fortunæ domi auctorem exſpectent*. Sic optimi libri,

non *exſpectet*. Altera lectio tota plebejum ſapit, & indubie eſt ſcholiaſtæ.

Cap. 40. *Quæ ſacrorum ferenda*] Scribe cum tiib. Pall. & Aldino : *quæ ſacrorum ſecum ferenda*. Mediolanenſis quoque : *quæ ſecum ſacrorum ferenda*.

Cap. 46. *Qui aut prælio adverſo aut clade captæ urbis*] Repone : *qui à prœlio adverſo aut clade*.

Cap. 48. *Tum æſtu & languore vexata*] Et hic reſtituimus lectionem veterem, quam vitiaverat Sigonius: *tum æſtu & languore vexati, vulgatis velut in pecua morbis, morerentur*. Nimirum utrumque *vexati* & *morerentur*, pendent ab τῷ *habentes*, nempe Galli. Sed ut omnia ſint apertiora, includantur parentheſi, (*quorum intoleran-tiſſima gens eſt, humori ac frigore adſueta.*)

Cap. 51. *Spreta vox cœlo emiſſa de adventu Gallorum*] Dubito an ſit Latinius: *cœlo miſſa*. Lib. 1. *prodigia fulminibus aliove quo viſo miſſa*. lib. 26. *imperia conſiliaque velut ſorte oraculi miſſa*. Lib. 34. *ut eas voces velut oraculo miſſas in pectora animoſque demitterent*. Idem vitium apud Senecam conſol. ad Polybium cap. 33. *aliud habebunt hoc dicente pondus verba velut ab oraculo miſſa*. Sic enim Mss. omnes Grutero teſte : at vulgati *emiſſa*. Ad Marciam : *& implevit oculos & aliquot voces flebiles miſit*. Lib. 2. de ira : *ſi miſſa eſſet vox publici adfectus*. Horatius : *neſcit vox miſſa reverti*. Nec dememini inferius quoque legi : *rem dubiam decrevit opportune vox emiſſa*. Eodem cap. malim : *alia terra celavimus*, quam *terra*.

Cap. 52. *Quam par veſtrum factum eſt, quod in obſidione*] Scribe, *veſtro*. lib. 28. *Quam compar conſilium tuum parentis tui conſilio ſit, reputa*.

Cap.

Cap. 53. *res ipſa cogit vaſtatam incendiis ruiniſque relinquere urbem*] Quidquid ſcriptorum veterum eſt cum pleriſque etiam editis: *vaſtam.* Idque repoſuimus. Vt & lib. 23, 30. *Itaque urbe à defenſoribus vaſta facile potiti ſunt hoſtes.* Ita antiquiſſimus codex à manu prima, & conjecerat Lipſius ex *vaſtata*, quod habent vulgares calamo exarati, habebantque editi ante Sigonium ex improbo libro ſuo *vacua* cum præfatione reponentem. Salluſtius: *mons & ab natura & ab humano cultu vaſtus.* Livius lib. 10. *nec ſolum modo vaſtum hoſti relictum.* Eodem capite: *Velitiſne illos Romanos, vos Vejentes eſſe? non malitis hanc ſolitudinem veſtram, quam urbem hoſtium eſſe?* Glareanus fatetur, ſe non intelligere, quid Livius ſibi per ſolitudinem velit, nec quæ ſequuntur admodum clara eſſe. Sigonius hunc eſſe ſenſum ait: nonne malitis Romæ ſolitudinem hanc veſtram eſſe quam urbem hoſtium Vejos; Cui merito reſpondet Glareanus æque nunc ſibi lucere atque antea, & vix credere, Sigonium quid diceret intellexiſſe. Mss. & edd. nonnullæ veteres: *an malitis*, ut repoſuimus. Et ſic legit Glareanus, legendumque ratio evincit. Duo proponit pariter abſurda: ideo ſubjicitur: non equidem video quid magis nefas ſit. Ergo & nefas eſt illud, quod non intellexerunt, *malle hanc ſolitudinem quam urbem hoſtium eſſe*; nec poteſt ferri, *non malitis*, ab Sigonio probatum. neutrum enim probat Camillus. Si, inquit, quando Vejos ruderibus his ſpretis vos migtaveritis, tum non quidem Galli, ſed alii Itali, inprimis Æqui & Volſci perpetui hoſtes, ſolum derelictum condendæ urbis cauſſa occupent, quid eſtis facturi? Vtrum patiemini illos habitare, & inde nomen adſciſcere Romanorum, cum vos Vejentes dicamini;

mini; an maletis vacare locum hunc deſertum & manere potius vaſtitatem & ſolitudinem veſtræ ditionis, quam frequentari ab hoſtibus, reddi & fieri urbem habitationemque hoſtium. Quorum utrumque cum ſit abominandum, colligit inde debere eos conſilium de migrando Vejos abjicere & urbem incenſam ac vaſtatam reædificare.

AD

LIB. VI.

CAP. I. *Quod & raræ per eadem tempora literæ fuere*] Doctus & plenus ingenii Rhenanus, quid *literæ* hic eſſent, haudquaquam intellexit. Ideo ineptam lectionem obtrudit: *quod parvæ & raræ per eadem tempora literæ fuere:* & *literas* interpretatur inſcriptionem. Et illud & hoc non non eſt nauci. Boni codices habent, uti edidimus, produxitque Sigonius. *Literæ* autem ſunt quævis ingenii monumenta conſcripta & literis tradita, hic inprimis hiſtoriæ. Liv. lib. 25. *quicumque libros vaticinos precationeſve aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros omnes literaſque ad ſe ante Kal. April. deferret.* Cæſar lib. 6, ubi tradit, cur Druides carmina ſua ſcribi nolint, ſed memoriæ mandari: *neq; eos, qui diſcunt, literis confiſos nimis memoriæ ſtudere: quod fere pleriſque accidit, ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant.* Plinius præfatione hiſtoriæ naturalis: *Hoc ante me fecit in literis noſtris Valerius Soranus,* id eſt, inter ſcriptores noſtros, ſeu Latinos. Quod ſi recordatus eſſet Andreas Schottus, non correxiſſet: *fecit inter*

ter noſtros. Idem Plinius lib. 2, 52. *Thuſcorum literæ novem deos emittere fulmina exiſtimant.* Servius ad ſeptimo Æneidos: *Vt Graji perhibent: ut veſtræ continent literæ.* Denique Livius noſter libro ſequenti: *Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt.*

Cap. 2. *Qui poſt pugnam ad lacum Regillum factam*] Certe pugnatum ibi Coss. A. Poſtumio T. Virginio, an potius T. Æbutio C. Vetuſio, ut vult Livius, & triennio deinde nec certam pacem nec bellum fuiſſe. Quod in cauſſa fuit, cur mutarent meliorum ſcriptorum & Mediolanenſis lectionem: *poſt pacem ad lacum Regillum factam.* Nobis tamen id ſatis argumenti non viſum: adſcribit enim illi loco & tempori pacem, cujus fortuna potiſſimum coiit. Lib. 30. *ut in ea pace, quæ poſtremo cum conſule Lutatio facta erat, manere liceret.*

Cap. 6. *Itaque ducibus pluribus & exercitibus ad adminiſtrandam rempublicam opus eſſe*] Vapulet Sigonii codex, qui hanc magiſtellorum ſcripturam ei ſuppeditavit. Livii & ſanorum librorum eſt: *itaque & ducibus pluribus & exercitibus adminiſtrandam rempublicam eſſe.* Eamque firmat auctor libro 23. *Vtroque impetrato conduxerunt, privataque pecunia reſpublica adminiſtrata eſt.* Lib. 30. *ut quatuordecim legionibus eo anno, centum navibus longis reſpublica adminiſtraretur.* Lib. 40. *Ego jam hinc prædico, P. C. me exercitu eo, qui nunc eſt, rempublicam admiſtraturum.* Eodem cap. *tela frumentum, quæque belli alia tempora poſcent.* Thuanæ membr. *quæque bellicia tempora.* nec fere aliter duo Pall. Tertius & Sigonii: *frumentumque, quæ bellica.* Suſpicor Livium cripſiſſe: *arma, tela, frumentum, quæque bellica tem-*

tempora poſcent. Inſolens viſum librariis *bellica tempora :* inde ſcriptiones primum dubiæ, dein & correctiones. Sed meminiſſe debuerant, *imbellem annum* non refugiſſe noſtrum. lib. 4. *quod imbelle triennium ferme peſtilentia inopiaque frugum fuit.* lib. 10. *tamen ne prorſus imbellem agerent annum.* Et hujus imitatione Silius Italicus lib. 11. *diſcatque Lyæo Imbellem donare diem.* Rurſus *bellicoſum annum* noſter eodem lib. 10. *differendi ſibi conſulatus in bellicoſiorem annum.* Quare nec dubitabam olim conjicere apud Silium eodem libro v. 590. *Vt longa imperia atque armatos proroget annos Annibal, & regnum trahat uſque in tempora fati.* Quod poſtea invenimus ab Oxonienſi ſcripto firmatum. Vulgo : *armatus proroget.*

Cap. 8. *Sed turba hoſtium & fuga impediebat.*] Miror quo ſenſu dictum hoc voluerit Rhenanus : neque enim fuga hoſtium victoriam impedit, ſed efficit. Antea erat, *impediebatur:* quod nobis quoque in ſcriptis & Aldina apparuit, & profecto melius eſt. Tò *turba* accipe auferendi caſu. Ne in fugam verterentur hoſtes, ab ipſa turba & multitudine ſua impediebantur: ultimi nempe morabantur primos; & ſic qui propius hoſtem erant, quamvis labantibus animis & inviti, reſtabant, ſi ad nihil aliud, certe ad defatigandum & exhauriendum labore victorem militem. Mediolanenſis : *turba hoſtium & fugam impediebat.* Quod forte voluit Rhenanus. lib. 5. *terga cæſa ſuomet ipſorum certamine in turba impedientium fugam.*

Cap. 10. *Qui nimius animis, quum alios principes*] Quidni auſcultarem optimis Thuani membranis & Palatino duabuſque vetuſtiſſ. edd. literamque delerem : *nimius animi.* Tum vero non recor-

recordarer illorum lib. 1. de Hercule: *confuſus atque incertus animi ex loco infeſto agere porro armentum occepit.* De Lucretia: *conſolantur ægram animi.* lib. 2. *ægro animi eadem illa in ſomno obverſata ſpecies.* Lib. 30, 15. *ne quid æger animi ferox juvenis gravius conſuleret.* Ita Mss. omnes, non *animo*, ut vulgo. Virgilius: *præſtans animi, egregius animi.* Et ejuſmodi infinita ubique obvia. Tacitus 3 hiſtor. *Innocentiam juſtitiamque ejus non argueres: ſermonis nimius erat.*

Cap. 14. *Iudicatum addictumve duci patiar*] Vir doctus *adjudicatum.* Sed vide lib. 2. Obſervat. 11. ubi notabis auctorem interpretationis probatæ verſionum exactoribus ad 3. annal. Taciti cap. 36. *nec audeat jus experiri:* qui illis tum non ſuccurrebat. Succurrebat autem, quum erratum ejus mnemonicum de ſcriptis Q. Ruffi codicibus homines albi & candidi ſic producerent, ut id memoriæne ejus an fidei vitium eſſe vellent, ambiguum lectori relinquerent. Credas hos poſſidere artem, quam Themiſtocles optabat. Mox ibidem: *ubi tantæ rei furtum occultaretur.* Duo meliores Pall. *perocculturetur.* Forte fuit: *ubi tanta rei furtum, per quos occultaretur.*

Cap. 15. *Obſervantibus etiam occulti*] Vulgo *oculos*, Sigonius *oculis.* Conjectura Freinshemii deprehenſa veritas, quam libenter recepimus: cui etiam ſupra cap. 11. *re damnoſiſſima etiam divitibus*, ferimus acceptum: idque meminimus haud inviti.

Cap. 18. *Vnde tempus eſt etiam majora conari*] Locum leviter corruptum Sigonii cura longe corruptiorem reddidit, adjecto τοῦ *unde*; quod & ſenſum magis impedit, nec in aliis ſcriptis alicujus pretii aut vetuſtis edd. repeeritur. Illo ergo ejecto & reſecta copulativa, quæ ex proximo verbo

bo ſubſtantivo redundabat, ſanavimus omnia: *tempus eſt jam majora conari.*

Cap. 19. *Quin cum plebe aggredimur*] Vitium operarum eſt τὸ *quin*; ne quis putet nos ita perperam volenti Sigonio temere obſequutos. *Quid* ſcribendum & veteres libri & ſenſus dictat. Cur, ajunt, M. Manlium conjunctum cum plebe & ſociatum aggredimur, quem ab ea crimine minime populari ſeparatum ac diviſum per ipſam tutius promtiuſque eſt aggredi? Vidit hoc quoque Gruterus.

Cap. 21. *Peſtilentiam, inopiam frugum, & vulgatam utriuſque*] Aut nihil ſapio, aut ſcribendum: *Peſtilentiam inopia frugum, & vulgatam utriuſque mali famam anno inſequente multiplex bellum excepit.* Nam & prorſus ita lib. 4. *peſtilentem annum inopia frugum, neglecto cultu agrorum, ut plerumque fit, excepit*: & abſque hoc foret, nemo gnarus quid ſit eleganter Latine loqui, ut ſolet Livius, contradiceret.

Cap. 22. *Quem inſidiis inſtruentem locum*] Sive ad Camillum, de quo totus hic ſermo, ſive ad *locum* referatur τὸ *inſtruentem*, inepta erit dictio. Nam ut *locum inſtruere inſidiis* feramus, quid eſt *inſtruere occaſionem*, quid *inſtruere tempus?* Libri veteres nihil juvant. Nihilo minus reponendum cenſeo: *quem inſidiis inſtruendis locum?* pendent omnia à verbo *ſperantem*, nempe Camillum: quam ſperantem occaſionem, quod ſperantem tempus, quem locum inſtruendis inſidiis.

Cap. 24. *Camillus ſublatus à circumſtantibus in equum*] Scribe cum Thuanæo: *ſubjectus ab circumſtantibus in equum.* Quo auriganiur tres Pall. qui habent *ſubvectus*. Virgilius: *& corpora ſaltu Subjiciunt in equos.* Noſterque Livius lib. 31.

Sa-

Saluti fuit eques, qui raptim ipſe deſiluit, pavidumque regem in equum ſubjecit, Statius 11. Thebaidos: *Correptumque injecit equo.*

Cap. 27. *Nomina dabant, quum Patribus minor præſens cura*]; Sive antecedentia ſive conſequentia conſideres, apparebit τῷ *quum* hic locum nullum eſſe. Neque enim ratio datur, cur detrectaverint juniores militiam, quæ ſi ad hanc quæſtionem applicaretur, contrarium potius efficeret, neque ſi ab eo novam incipias periodum, plena eſt oratio aut decenter præciſa. Flagitium ingens oblatum eſſe huic loco, quamvis noſtri omnes corrupti ſint libri, non modo ſuſpicor, ſed tam certum habeo, uti quod dicitur, pæne manibus teneam. Sic autem ſcripſerat Livius: *Quæ utraque ſimul auxilio tribunitio & cenſenſu plebis impediri cœpta: nam neque duci addictos tribuni ſinebant, neque juniores nomina dabant. Patribus minus præſens cura creditæ pecuniæ juris exſequendi quam delectus eſſe: quippe jam à Præneſte profectus hoſtis in agro Sabino conſediſſe nuntiabatur* A. Mss. Pall. eſt *profectus hoſtis*, & *nuntiabatur*. Præterea ſcripſimus ab ingenio *minus præſens*, pro *minor*. Salluſtius in fragmentis: *homines maxumi nominis, non minus optumis majoribus*. Tacitus: *non minus inſignis eo anno impudicitia*. Cætera vides quam bene ſibi conſtent: & ne quid temere nos adfirmaſſe putes, hujus generis alia quædam ſubjungemus. Par omnino vitium ſuſtulit Rhenanus lib. 4, 39. *Quod ubi eſt factum, intercluſi equites nec perrumpere eadem, qua tranſierant, poſſe, ibi maxime confertis hoſtibus* &c. Vbi antea peſſime: *quum poſſent*. Prorſus item ſimile nos, ubi diſſimilis ſibi Rhenanus, lib. 26, 50. *Quum adoleſcens ſimul pudore gaudioque perfuſus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocaret*

caret

caret ad gratiam illi referendam. Sic ille è ſuo libro hic certe corrupto: nam Puteanæus, & omnes nobis viſi: *Adoleſcens ſimul pudore & gaudio perfuſus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocare ad gratiam illi referendam.* Proxima vero periodus nova ibi incipit. *Parentes inde.* itaque & diſtinctionem mutabis. Lib. 22, 15. *Numidæ alii atque alii occurſantes refugienteſque ad caſtra prope ipſum cum fatigatione equorum atque hominum pertrahere.* Sic Put. Petav. Reg. Men. Vulgo: *pertraxere.* lib. 23, 47. *infeſtis haſtis concitarunt equos. dein libero ſpatio inter ſe ludificantes, ſine vulnere pugnam extrahebant.* Put. *extraherebant.* Dele augmentum librarii hæſitantis, & habebis verum: *pugnam extrahere.* Lib. 27, 52. *Matronæ quia nihil in ipſis opis erat, in preces obteſtationeſque verſæ, per omnia delubra vagæ, ſupplicius votiſque fatigare deos.* Ita iidem omneſque alii. Editur, *fatigavere.* Lib. 37, 20. *ipſe Attalum adiit, & in amimo ſibi eſſe dixit, hoſtium ſtationem tentare. ægre id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus adverſus trecentos, mille peditibus cum quatuor millibus pugnaturum cerneret.* Mediolanenſis: *Ægre id permittere Attalus.*

Cap. 28. *Raptim agmine facto pervaſtatis protinus agris*] Scripſimus è tribb. Pall. *acto.* Vt apud Virgilium: *Agmen agens equitum.* Libro. 7. *relictiſque impedimentis caſtrorum raptim agitur agmen.* Auctor lib. 8. de bello Gallico: *ſin majores copias ageret, in eo loco permanere.* Ita optimæ membranæ Vulgo: *adduceret.* Lib. 44. *Caravantiũ fratrem multis millibus armatorum actis ex ea regione, in quam miſſus erat, adventare.* Eodem cap. *& juniores Romani ad edictum ſine detrectatione convenere.* Freinſhemius *Romam.* Si ex ſociis conſcriptus exercitus fuiſſet, poſſet ferri. Sed

res

res trepida & hoſtis ante portas non patiebantur auxilia è longinquo acciri. Dicit ergo ipſam juventutem Romanam impigre nomina dediſſe.

Cap. 50. *Die vigeſima quam creatus erat.*] Pall. *Duodevicesimo die.* perinde ut Sigoniani, niſi quod vox *die* tranſpoſita eſt. Sed miror id eum interpretari vigeſimo ſecundo, quod non patitur Latinitas: præſertim cum proferat ex Fabii annalibus apud Gellium: *mortuus eſt anno duo & viceſimo.* Aut ergo intelligendus octavus decimus dies, aut ſcribendum: *Duo-&-viceſimo quam creatus erat, die, dictatura ſe abdicavit.* Eodem cap *quicquid ſuperfuit fortunæ populi Romani, id militum etiam ſine rectore.* Quomodo, *quidquid ſuperfuit fortunæ populi Romani?* Alliam aut Cannas cogites. Multum ſane adhuc ſupererat, & id non horum militum virtus, (hactenus tantum profuit, ut ſeipſos loco iniquo non ſine aliqua clade expedirent) ſed prudentia Patrum & ipſa fortuna ſervavit, quæ hoſtibus eripuit mentem victoria utendi. Scribe: *quidquid ſuperfuit,* (nempe de his exercitibus,) *fortuna populi Romani & militum etiam ſine rectore ſtabilis virtus tutata eſt.* Mos eſt Romanis ſcriptoribus atque inprimis Livio, quæ inſperatam ſalutem in magno periculo attulerunt, ea fortunæ populi Romani delegare. Vt lib. 1. *Forte ita inciderat, ne duo violenta ingenia matrimonio jungerentur, fortuna credo populi Romani, quo diuturnius Servii regnum eſſet, conſtituiq; civitatis mores poſſent.* L. 2. *Ibi fortuna populi Romani duos hoſtium exercitus haud minus pernicioſo quam pertinaci certamine confecit.* Lib. 7. *Nos deinde aut fortuna populi Romani aut noſtra virtus expediet.* Et quod prorſus ſimile eſt præſenti dicto lib. 35. *M. Claudius ſcripſerat, fortuna populi Romani & militum virtuti gratiam haben-*

bendam, quod res bene geſta eſſet. Conſulis opera & militum aliquantum amiſſum, & hoſtium exercitum, cujus delendi oblata fortuna fuerit, elapſum. Niſi hic locus pro omni argumento & commentario noſtræ emendationi eſſet, multa verba in eam rem poſſent ſumi: eſt enim nec inelegans & veriſſima. At quod legitur lib. 4, 41. *Nec Volſcorum meliores res eſſe credere, quam populi Romani fortunam, noctemque omnia mutui erroris impleſſe:* id vitioſum arbitror, & ſatis certis rationibus docere poſſem. Scribendum eſt autem *Romanorum*, deleto τῷ *populi.* Quin & conjicere poſſis: *Nec Volſcorum meliorem eſſe credere quam Romanorum fortunam.* Certe vulgatum fatuum eſt, nec facile, ab Livio profectum eſſe mihi perſuadebitur.

Cap. 31. *Hoſtis obvius fuit, populatioque*] Thuan. memb. *hoſtis obvius fuit. populatio itaque non illi vagæ ſimilis* Quod perplacuit.

Cap. 35. *Accingendum ad eam cogitationem eſſe*] Quis frequens Livii lector hoc integrum eſſe concedat? Scribe: *Accingendam ad ea cogitationem eſſe.* Ea conſilia, quæ ante dixit, vel auſa, vel conata.

Cap. 37. *Qui crederent, duobus ne in locis*] Doctiſſimus Sigonius alios aliter interpungere teſtatur hunc locum, ſibi vero ita videri interpungendum, ut editur, & ſcribendum: *Quis crederet.* Quod quidem haud paullo pejus altero, nec tollit difficultatem. An credibile eſt attentius hæc legere quemquam poſſe, qui non videat ſuperfluum eſſe τὸ *ne?* Hoc ſi inducatur, integra ſententia eſt: qua credulitate perſuadere ſibi poſſent, ex duobus locis unum gratificaturos plebejo, qui octo loca tam avide occuparint? Ego tamen huc magis inclino, ut gravius ulcus hic ſedere putem,

& τὸ ne quidem genuinum, τὰ *qui crederent* inſititia eſſe. Quid enim rotundius hac oratione, ut integram proponamus: *An jam memoria exiſſe, quum tribunos militum idcirco potius quam conſules creare placuiſſet, ut & plebejis pateret ſummus honos, quatuor & quadraginta annis neminem ex plebe tribunum militum creatum eſſe? duobusne in locis ſua voluntate impertituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare ſoliti ſint?* Confirmat me, quod ſimile ſcholion maculavit veteres libros lib. 4, 35. *Experiendam rem denique in uno aut altero eſſe, ſitne aliquis plebejus ferendo magno honori: an portento ſimile miraculoque ſit, fortem ac ſtrenuum virum aliquem exiſtere ortum ex plebe?* Nam hic excerpta duum Pall. *miraculoque ſi fortem ac ſtrenuum aliquem exiſtere ortum ex plebe crederetur.* Tertius: *miraculoque ſit fortem* &c. *credatur*. Mediolanenſis Andreæ: *ſi crederent*. Quæ à corruptoribus eſſe nemini poteſt eſſe ambiguum. Adde quæ ad lib. 1, 50. notavimus.

Cap. 38. *Dictator interceſſioni veſtræ adero*] Sigonius immiſit *veſtræ*, nos expulimus, quod nec in bonis libris repereretur, & inconveniens eſſet. Quirites alloquitur Camillus, non tribunos: interceſſio autem proprie non erat Quiritium nec plebis, ſed tribunorum plebis in uſum & commodum ejus. Hac de cauſſà ſtatim ante: *vobis eadem vi facitis irritam*: ſcripſimus ex Mss. & edit. vett. non *nobis*, quod habent novitiæ editiones.

Cap. 40. *Non, inquit, licebit. Tu de fœnore*] Sigonius notat, *Non licebit*, eſſe Licinii reſpondentis Appio ſucclamanti; *Tu de fœnore*, eſſe Appii Licinium ex ejus reſponſo arguentis: & contra ſenſiſſe Glareanum. Immo Glareanus recte ſen-

ſenſit: ſunt enim omnia unius, non neceſſario Licinii, ſed ex tribunis plebis reliquorum nomine, aut omnium tribunorum ſimul *μιμητικῶς* prolata, ſed ita concepta, ut Appium ea dixiſſe appareat. Recitat verba tribuni Appius, non qualia illi protulerant, aut quam ſententiam eorum eſſe voluerant; ſed qualia ea populo videri, quamque ſententiam ex iis educi cupiebant Appius & patritii. Tribunorum hæc verba fuerant: *non eſſe modeſtiæ populi Romani id poſtulare, ut ipſe fœnore levetur, & in agrum injuria poſſeſſum à potētibus inducatur.* (Hæc ita reddit Appius: *Non licebit ex rogationibus legere, quas ſalubres tibi cenſeas eſſe, antiquare alias. Tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, jubeas?*) *per quos ea conſequutus ſit, ſenes tribunitios, non ſine honore tantum, ſed etiā ſine ſpe honoris relinquat.* Hæc invidioſiſſime inciviliſſimeque reddit Appius, non contentus dicere: *& tu idem*, nempe quicunque civis, *ex noſtro collegio pigreris creare conſules?* quod ipſum quoque ingratum fuiſſet: ſed multo aſperius: *& hoc portenti non fiat in urbe Romana, ut illum L. Sextium atque hunc C. Licinium conſules, quod indignaris, quod abominaris, videas.* Verba, *jubeas, indignaris, abominaris, videas*, intelligunt, tu quicumque civis Romane de plebe: non, tu Licini, ut vult Sigonius, qui artificium hoc oratorium, petitionem adverſarii invidioſe exponendi, tantus orator non pervidit. *Vti illum* integre habet Mediolanenſis, depromtum haud dubie ex integriore codice. nam & noſtri fere alludentes: *uti L. Sextilium.* Illo igitur modo editum velim.

Cap. 41. *Qui ſe inſpici, qui æſtimari*] Relativum poſterius tres Pall. & Thuan ignorant: *Eſt aliquis qui ſe inſpici, æſtimari faſtidiat?* Pœne eſt, ut probem. Campani quoque editio: *inſpici æſtimarique.*

Cap.

Cap. 42. *Licinius. De decemviris*] Mutem diſtinctionem, & ſcribam: *Refecti decimum iidem tribuni, Sextius & Licinius, de decemviris ſacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulere.* Inſerendum eſſe τὸ *legem* monuit prior Sigonius, cui tres Pall. & Campani editio adſtipulantur. In diſtinctione conſentit Aldina nobiſcum.

AD
LIB. VII.

EPITOME: *Tunc omnia pretioſa miſſa ſunt*] Deeſſe hic aliquid videre cuivis licet. Supplet membranaceus Barberinus hoc modo: *Cum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret, tunc omnia pretioſa miſſa ſunt in præaltam voraginem urbis Romanæ.* Idem: *armatus ſedens equo ſe præcipitavit, & expleta eſt.* Tum: *à tribunitia vexatione vindicaverat.* Denique: *ſingulare certamen feliciter iniit.*

Cap. 1. *Suarum gentium viris gratia campeſtri dederant.*] Ita quidem Sigonius. Et ſic lib. 2. *Ea igitur pars reipublicæ vicit: nec in præſens modo, ſed in venientem etiam annum M. Fabium & L. Valerium conſules dedit.* Libroque 6. *plebes C. Sextilium, M. Albinium, L. Antiſtium dedit.* Sed quod ait veteres libros omnes ſic habere, nollem dictum, aut certe de illis tantum, quibus ipſe uſus, intelligemus. nam Thuanæus pervetus liber clare, *ceperunt*, ut priores editiones. Cumque ſequatur ſtatim: *L. Sextio collega ex Patribus datus*: non video cur Livio hanc varietatem invi-

videamus. Nam ut, *dederunt*, idem eſt quod, effecerunt, ut ei daretur: ita *ceperunt*, eſt, effecerunt, ut ille caperet. Hoc libro infra: *qui legis Liciniæ ſpretæ mercedem conſulatum cepiſſet.*

Cap. 4. *Naturæ damnum utrum nutriendum patri*] Non ineleganter hic Sigonius contra Glareanum: vim tamen τοῦ *nutrire* non ſatis percepit, quod non modo eſt non faſtidire, ſed aliquo modo remediis & fomentis adhibitis curare. Vt lib. 4. *peſtilentia coorta, minacior tamen quam perniciosior, cogitationes hominum à foro certaminibuſque publicis ad domum curamque corporum nutriendorum avertit.*

Cap. 5. *Mox introductus (etenim percitum ira*] Scripti meliores carent particula cauſſali: jure, ut puto, deletamque velim. Reviſe ad lib. 5, 32. Eodem cap. *niſi quæ ipſe concepiſſet, verba juraret.* Volueram edi: *niſi in quæ ipſe concepiſſet, verba juraret.* Scias hoc eſſe Latinius vel ex illo: *jurare in verba magiſtri.* Et ſic Pall. tres, vetuſtæque editiones, moxque ipſe Livius: *adjurat in quæ adactus eſt verba.* Rurſus hoc cap. *ita ægre habuit filium id pro parente auſum.* Quem ægre habuit? Non tribunum, quid enim facere poterat mitius, quam ut reverentiam haberet extorti metu jurisjurandi, & eapropter ſe excuſaret? Non plebem Romanam, quæ etiam præmium meruiſſe adoleſcentem incivili pietatis exemplo cenſuit. Non ipſum denique, quum & eventus fuerit quem ſperaverat, & gratia populi præter ſpem rude atque agreſte factum conſequuta ſit. Ferri non poteſt hæc lectio, utcumque interpretando molliatur. Nec melius, quod oſtentant veteres quidam: *ita ægre tulit, ita ægre abſtulit:* nam hoc nihil eſt prorſus, illud tamen de tribuno foret explicandum, qui, ut dixi, nihil poterat facere mi-

mitius. Suſpicor ſcribendum : *Fidem ægre habuit filium id pro parente auſum : eoque id laudabilius erat, quod animum ejus tanta acerbitas patria nihil à pietate avertiſſet.*

Cap. 6. *Ab hac recentiore inſignius fabula eſt*] Thuan. & excerpta duum Pall. editioque Campani : *inſignitius :* & ſic repone. Vt & lib. 4, 4. *An eſſe ulla major aut inſignitior contumelia poteſt.* Et lib. 8, 13. *Quo inſignitius omiſſa res Æmilio ſuperioris anni conſuli exprobraretur.* Vbi perperam mutat Sigonius. Denique hoc lib. 7. inferius : *qua fœditate ſupplicii aliquanto ignominia populi Romani inſignitior fuit.* Ibidem : *perinde ut eveniret res ita communicatos honores probe an ſecus conſulto habitura.* Editiones recentiores ab neſcio quo *conſulta.* Sed illa Sigonii correctio eſt, cum antea haberetur : *proſpere aut ſecus.* Libri ſcripti ſane *probe aut ſecus*, ut voluit ille. Quod tamen hauddum ſanum eſt, ut nemini Latine ſcienti poteſt eſſe obſcurum. Vnus è Pall. *probent.* Parvula conjectura hæc adjuvanda ſunt: *ita communicatos honores pro bene aut ſecus conſulto habitura.* Hoc Delphis dictum puta. Lib. 8. *debellari eo die cum Samnitibus potuiſſe pro haud dubio habitum ſit.* Lib. 9. *& geri poſſe bellum Romani pro victoria certa haberent.* Neque illud novum τὸ *ſecus* in malam partem accipi etiam extra viciniam τοῦ *bene.* Cicero 3. famil. *iniquis ſecus exiſtimandi videris nonnihil loci dediſſe.* Lib. 6. *etiamſi ſecus acciderit, te tamen recte vereque ſenſiſſe.* Tacitus 2. ann. *quæ de matre ejus locuta ſecus argueretur.* Plinius Paneg. cap. 33. *meminerintque ſic maxime laudari incolumem imperatorem, ſi priores ſecus meriti reprehendantur.* Vir doctus ibi : forte, *ſequius.* Sed etſi alicubi ſic libri ſcripti, ubi vulgo *ſecus*, non ideo tamen ubi-

que hoc exterminati velim. Eodem capite ſupra ſcribe: *conjectu terræ, quam pro ſe quiſque gereret,* non *quum* vel *cum.*

Cap. 7. *Dictator laudibus legati militumque*] Ingrata oratio: *laudibus legati militumque audientibus*, iiſdem puta legato & militibus, *laudes meritas tollit animos.* Nunquam ita Livius ſcripſit, etſi libri veteres eadem labe ſint adfecti. Si me audis, pro gloſſemate tolles τὸ *laudibus*, & pro *audientibus* refinges *audientium*, ut reſpondeat caſui ſubſtantivorum, *legati militumque*, hoc modo: *& pro concione dictator legati militumque, quorum virtute caſtra defenſa erant, ſimul audientium laudes meritas tollit animos; ſimul cæteros ad æmulandas virtutes acuit.* Si omnino contendes retinendum eſſe τὸ *laudibus*, concedam forte; non item de altero. Statim: *Neque ſegnius & hoſtes bellum apparant.* Legebatur hic antea: *Neque ſegnius ad hoſtes bellum apparatur.* Sigonius quum recitaſſet ex malis libris id quod paſſim editur, & præterea: *neque ſegnius apud hoſtes bellum apparatur:* utrumque, ait, probe magis quam quod vulgo legitur. Immo utrumque pejus: quin & neutrum inventum nobis, qui pluſculos veteres de hoc loco cōſuluimus, ſed ubique: *neque ſegnius ad hoſtes bellum apparatur.* Itaque ſic juſſeram edi. Cur enim minus probe hic *ad hoſtes* quam libro 10. *furiarumque ac formidinis plena omnia ad hoſtes eſſe.* Eodemque lib. 10. *minus cladis, cæterum non plus animorum ad hoſtes erat.* Vbi reliquit integra Sigonius, velut jam adſuefactis auribus ad phraſin inſolentem. Lib. 24, 34. *ad militare genus omne partemque magnam plebis inviſum eſſe nomen Romanum.* Ita ex vett. legendum monuimus ibi. Vulgo: *apud militares pœne omnes.* Eodem lib. c. 48. *Q. Statorio*

rio nomen fuit, qui ad regem remanſit. Lib. 27, 12. *iiſque gratiæ & in ſenatu & ad populum actæ.* Sic utrobique Mss. nam vulgares *apud*.

Cap. 10. *Recipiunt inde ſe ad ſtationem cæteri*] Nec Thuan. nec duo meliores Pall. nec vett. edd. ulla τὸ *cæteri* agnoſcunt ab Sigonio inſertum, idque nos ab ſcholiaſte mutuatos eſſe, qui addiderunt, librarios non dubitamus. Ibidem: *tot circa mortalium animis ſpe metuque pendentibus.* Nimis metuo, ne ſcripſerit Livius: *tot circa mortalibus animi ſpe metuque pendentibus.* Quemadmodum certum eſt, non arbitrarium, legi debere hoc libro cap. 30. *quid illis nos, P. C. ſollicitis ac pendentibus animi renuntiare jubeatis.* Vbi vulgo *animis*, quod palam ineptum eſt, utcunque ſervent libri. Plautus Mercatore: *Obſecro, diſſolve jam me, nimis diu animi pendeo.* Cicero lib. 1. de Legib. *ego animi pendere ſoleo, cum ſemel quid orſus traducor alio.* Cœlius ad Ciceronem: *Qua cura ſis, neſcio: ego quidem vehementer animi pendeo.* Livius noſter hoc 7: *Itaque conſul territo animi, videſne tu, inquit, A. Corneli.* Vix eſt ut aliter quoque ſcripſerit Cicero lib. 1. Tuſcul. Quæſt. *Quod ſi exſpectando pendemus animi, cruciamur, angimur.* Vbi *animis* tuentur magni auctores, & differentiam nobis conſtituunt, ut *pendere animis* dicatur, ſi de pluribus, *pendere animi* ſi de uno ſit ſermo. Quod tamen apolactizat Livius lib. 6. *quinque ſoli erant, & (ut ferme ſolent, qui à ſuis deſciſcunt) capti & ſtupentes animi.* Sed & lib. 8. *tot populos inter ſpem metumque ſuſpenſos animi habetis.* Et ſane ut unius *animos*, ita & multorum *animum* & dicimus frequenter & dictum legimus. Eadem medicina indigere cenſeo Curtium lib. 4. de Græcis: *Iidem paullo ante incertæ famæ captaverant auram, ut*

quocunque pendentes animos tuliſſet fortuna, ſequerentur. Palatinus: *pendentes animis.* Scribe: *quocumque pendentes animi tuliſſet fortuna.*

Cap. 11. *Fugati Tibur, ſicut arcem belli Gallici, petunt*] Mirum eſt Sigonium contra omnes Mss. & edd. vett. in quibus eſt, *fuga Tibur*, ſic potuiſſe conjicere: mirum editores id potuiſſe tolerare, cum hoc ipſo libro cap. 27. habeant: *certamine victi fuga effuſa Satrici mœnia petunt.*

Cap. 14. *Exemplo haud probabili actam cenſebat.*] Thuan. *actam cernebat.* Pall. duo & Aldina habent utrumque: *actam cernebat, cenſebat tamen.* Tertius Pal. *haud probabili cerneret actam, cenſeretque ſe facturum.* Scribe: *actam cernebat, tamen facturum, quod milites vellent, ſe recepit.* Alia ab interpolatrice manu eſſe puta. Lib. 42. *quem non juſtum modo apparare bellum regio animo, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant.* Tale eſt Ciceronis ad Atticum: *quid videret, quod exemplum.* Quod contra Malaſpinam defendebamus ad Statium.

Cap. 18. *Quinto triceſimo quam à Gallis recepta*] Membr. Thuanæus: *reciperata.* Cujus, ni ſatis conſtaret, illud eſſe gloſſema, deprehendi poſſet ex lib. 30, 21. *Maſaniſſa, ſibi quidem, dicere, nihil eſſe in præſentia pulchrius, quam victorem, reciperatum tanto poſt intervallo, patrium inviſere regnum.* Ita omnimodo Mss. & edi mandavimus. Vulgo: *reciperatum tanto poſt intervallo inviſere receptum patrium regnum.*

Cap. 19. *Delecti nobiliſſimus quiſque, qui Romam mitteretur.*] Repone cum Mss. *mitterentur.* Eademque ratione de conjectura noſtra hoc libro cap. 16. *conjectu terræ, quam pro ſe quiſque gererent*: tum cap. 33. *Hoc ſpectaculo accenſi,* dex-

dextra lævaque ante ſe quiſque memorandum prœliū cient. non *gereret* ac *ciet*. Vt cap. 32. *virtute ſua quemque fretos*. & 35. *pro ſe quiſque obviam effuſi laudant*. Sic alibi idem noſter: *pro ſe quiſque revocare jubebant: pro ſe quiſque conferebant*. Lib. 9, 6. ex melioribus ſcriptis legimus: *Senatus populuſque obviam egreſſi juſtis omnibus hoſpitalibus privatiſque & publicis funguntur officiis*. Vulgo: *egreſſus* & *fungitur*. Eodem libro cap. 36. iterum ſcripti: *eam intrare haud fere quiſquam præter ducem ipſum audebant*. Vbi editur: *audebat*.

Cap. 20. *In ſenatuſconſulta referri placuit*] Scribe cum calamo exaratis: *in ſenatuſconſultum*. Alii: *S. C.* quod male reddiderunt editores numero plurali. Sic alibi quoque perperam legebatur: *Senatuſconſulta fiunt*, pro, *Senatuſconſultum fit*, ut correxit bene Sigonius, ſed apud ſurdos editores, nos in contextum merito recepimus.

Cap. 24. *Conſul vulnere alligato*] Ita recte omnes libri. Cicero lib. 1. de divinatione: *Scriptum eſt item cum Critonis ſui familiaris oculum alligatum vidiſſet, quæſiviſſe, quid eſſet: cum autem ille reſpondiſſet, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remiſſus eſſet, in oculum recidiſſe*. Vbi perperam Lambinus conjicit: *obligatum*. M. Seneca controv. 18. ex Montano Votieno: *Et medici alligant & corporibus noſtris, ut medeantur, vim adferunt*. Plinius lib. 28, 7. *faſcia mulieris alligato capite dolores minui*. Inane eſt diſcrimen Plutarchi in Quæſtionibus Romanis: τὸ δὲ δεσμεύειν alligare λέγουσιν οἱ πολλοὶ Ρωμαίων· οἱ δὲ καθαρεύοντες ἐν τῷ διαλέγεσθαι ligare. Auctor de bello Africano *deligatos* dicit eodem ſenſu: *ſaucios ſuos jubet in ploſtris deligatos Adrumetum deportari*. Et Quintilianus non ſemel.

Cap. 26. *Vtraque acies animis præceperat*] Si ante duorum pugnam Romanorum quidem erecti, Gallorum vero jacentes animi fuiſſent, verum eſſet. Hæc enim vis eſt τοῦ *præcipere* pro ante capere, præſumere. Sed loquitur de prælio inter exercitus commiſſo poſt Gallum à M. Valerio Corvo proſtratum. Ergo repone, *perceperat*. Vt apud Plautum Amphitruone: *Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis*. Menæchmis: *quid ceſſas dare Potionis aliquid, priuſquam percipit inſania?* Etiam eleganter *percipitur*, quod penitus capitur: *animis percipitur*, quod animum occupat totum, nec alii adfectui locum relinquit. Nec aliter Aldina editio.

Cap. 30. *Ne nos in amicitiam ſuſcipiamur*] Pall. tres, editio Campani: *accipiamur*. Quid opus fuit mutare? Lib. 8. de Lucanis & Appulis: *fœdere ergo in amicitiam accepti*. Et hic nonnulli codices *recepti*. Sed puto ab iiſdem, qui corruperunt apud Sigonium lib. 26, 32. *veniam eis daret, & in fidem clientelamque ſe urbemque Syracuſas acciperet*. Sic enim Put. Petav. omneſque noſtri, ſic veteres editt. At Sigonianus cum Pall. non optimo: *reciperet*.

Cap. 31. *Sic enim domo mandatum attulerat.*] Scripti: *attulerant*. ut referatur ad omnes legatos. Melius. Sic & infra cap. 33. iidem: *ut aliquamdiu in neutram partem inclinarent acies*. non *inclinaret*.

Cap. 32. *Quam virtute hoſtium victor eſſe*] Potior apud me, quam Sigonius ſuſtulit, & plurium & meliorum codd. ſcriptura: *quam vi hoſtium*. Plautus Amphit. *vicimus vi feroces*. Noſter lib. 8. in formula devotionis Decii: *uti populo Romano Quiritium vim victoriamque proſperetis*. Lib. 9. *ſeu virium vi ſeu exercitatione*

mul-

multa. Perinde ut rurſum Comicus: *caduntque vulneris vi & virium.* Lib. 21. *Qualis noſtra vis virtuſque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.* Ibidem mox ſcribe cum Freinshemio: *utrum qui audendi duntaxat magnificus adhortator ſit.*

Cap. 35. *Nos tam paucos ipſe tot millibus*] Cum trib. Pall. Thuan. editioneque Campani refinge: *nos tam paucos ipſi tot millibus hominum nec aſcenſu arcuerint.* Dein etiam *circumdederint.* Ibidem: *In eo enim loco res ſunt noſtræ, ut ego vobis.* Duo meliores Pall. reciſis duabus vocibus: *in eo res ſunt noſtræ:* Quorum auctoritate pro gloſſematis illas ſperno. Sic lib. 2. *& quum vineis refectis aliaque mole belli jam in eo eſſet, ut in muros evaderet miles.* Vbi neſcio an cum Sigonio inſerere τὸ *res* debeam, cum præſertim plures eo careant libri. Cornelius Nepos Miltiade: *Cum jam in eo eſſet, ut oppido potiretur.* Idem Pauſania: *Cum jam in eo eſſet, ut comprehenderetur.* Iterum hoc capite: *Ecce hoc aliud minus dubium: quippe ſi lux exſpectetur* &c. Sigonii liber, Thuanæus, duo Pall. editiones Campani & Aldina: *Ecce autem aliud minus dubium.* Alludit Pall. tertius: *Ecce haud aliud.* Quid moramur? Cicero lib. 14. ad Attic. epiſt. 12. *Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem.*

Cap. 36. *Trabuit ſonitum: quo excitatus vigil*] Duo meliores Pall. *Quo exterritus vigil, is quum.* Aut valde fallor aut fuit olim: *quo expergitus vigil.* Nam quod Diomedes *expergitum* ait dici, qui ſatiatus ſomno ſponte evigilat; *experrectum* autem à quiete impeditum; *expergefactum* denique, qui per alium à ſomno excitatur; id equidem tale eſſe arbitror, qualia multa ſunt horum. Feſtus contra: *Expergitus ab alio excita-*

tus, quem ſolemus dicere expergefactum. Experrectus à porrigendo (ita ſcribendum) *ſe vocatus quod fere facimus recentes à ſomno*. Iidem libri pro *erectique* habent *excitique*, non male, niſi plane verius. lib. 4. *Clamor ſubito ortus, non conſulis modo vigiles, exercitum deinde omnem, ſed dictatorem quoque ſomno excivit*. Sicut autem *moviſſet* nondum loco moveo, ita arbitrandum relinquo, ſitne melius: *monuiſſet*.

Cap. 37. *Nec procul ab hoſte locum exiguum*] Quidquid eſt bonorum codd. *perexiguum*. Non multo poſt lege & diſtingue: *Ibi ut militem in vallo vidit, miſſique ab omni parte exploratum, quam in exiguum orbem cõtracta caſtra eſſent, paucitatem inde hoſtium colligentes, retulerunt; fremere omnis acies &c.* Tò *quam* ut veteres habent editiones, Sigonius mutavit in *quod*, non bene perpenſa ſententia. Ita enim evolvenda oratio: ut miſſi exploratum retulerunt, in quam exiguum orbem eſſent contracta caſtra, paucitatem inde hoſtium colligentes; tum ſcilicet fremere omnis acies &c. Eadem particula corrupta eſt, ut videtur, lib. 5, 54. ex ſimili cauſſa: *Quod quum ita ſit, quæ, malum, ratio eſt, expertis alia experiri*. Scio *expertus* poſſe παθητικῶς ſumi, & *alia expertis* poſſe accipi, ut apud Poëtam: *idem facit occidenti*. Tamen ſi penetro mentem Livii, ſcribendum eſt: *Quod quam ita ſit, quæ, malum, ratio eſt, expertos, alia experiri*. Senſus eſt: Quod quam verum ſit expertos, nempe Romanos.

Cap. 38. *Faliſcos quum in induciis eſſent, fœdus petere ab ſenatu coëgit*] Duo Pall. omittunt præpoſitionem *in*. Ambigo an fuerit: *quum induciæ exiſſent*. Nec ignoro iſto modo loqui Livium lib. 9. *interea in induciis res fuiſſent*. Et potuit vocis ſequentis prima ſyllaba particulam haurire.

tire. Meliores codices aliquando forte nos explicabunt, qui ſi illud conſtanter ſervant, me libente hæc conjectura in ſpongiam incumbet.

Cap. 39. *Nervos conjurationis ejectos arte conſulis*] Claudius Puteanus conjicit, *exſectos*, ut alibi Livius, *nervos incidere*: Gebhardus, *electos*, ut Lucilius: *corrumpat prorſus ac nervos omnes eligat*. Eodem capite: *Quem autem ab Roma poſſe acciri*? Scribe cum Pall. omnibus & Campani edit. *exciri*. lib. 3. *Indignitas rei magis quam periculum conſulem alterum ab urbe excivit*. lib. 27. *Fama ejus rei Philippum ab ludis excivit*. Porro Mediolanenſis Andreæ & Aldina: *ab domo*.

AD
LIB. VIII.

EPIT. *Prætor eorum Arons Annius*] Prænomen adjecimus è membr. Barberin.

Cap. 7. *ne quid minus quam acies*] Quidquid bonorum codicum videre licuit: *ne nimis acies vobis & collata*. Quod quidem longe antefero vulgato commento libri Sigoniani. Ibidem paullo ante: *evaſit ita, ut vix teli jactu*: particulam addidimus ex Thuan. & trib. Pall.

Cap. 8. *Haſtas ſub erecta cuſpide in terra fixas*) Lege: *ſubrecta cuſpide*. Vt apud alios *ſurrecto mucrone, ſurrecto ſigno*. Feſtus: *Surregit & ſorctus antiqui ponebant pro ſurrexit, & ejus participio ſurrectus*. Statim excerpta duum Pall. *ad triarios retro ſe referebant*.

Cap. 9. *Si ab collega proſpere litatum eſt*] Delevi gloſſema ab Sigonio ex talium pleno codice

inſertum, auctoritate meliorum librorum, qui ſpernunt ſegregantque *τὸ propere*. Quis ignorat *litare* eſſe proprie *καλλιερεῖν*? Lib. 38. *ſacrificio facto quum primis hoſtiis litaſſet*. Plautus Pœnulo: *Quia litare nequeo, abii illinc illico Iratus*. Iuſtinus lib. 20. *facto ſacrificio auxilium deorum implorant: litatis hoſtiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant*. Eodem cap. *ita pro republica Quiritium, exercitu* &c. Non ita loquuntur veteres: *reſpublica Quiritium*: eſt enim illa adjectio proprie populi Romani. Scribe: *ita pro republica populi Romani Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium*. Vt lib. 22, 10. *reſpublica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, ſicuti mea, quæ ſalva eſt, ſervata erit*. Vt ibi ex veſtigiis Mss. legendum docebimus.

Cap. 17. *Adverſus regem exſcenſionem à Pacto facientem*] Sic omnes libri veteres fatente & Sigonio. Quibus placet *excurſionem*, ex eorum genere ſunt, qui eandem vocem ter corruperunt apud Livium, correpti Lipſio lib. 2. epiſt. quæſt. 20. Adjungas licet lib. 22, 20. *claſſe profecti exſcenſu è navibus in terram facto cum urbem vi cepiſſent*. Nam & ibi ſcribendum: *excenſione ab navibus in terram facta*. Vti habent optimi codices, una tantum ſyllaba defecti: *excenſio* enim ibi eſt, cætera totidem elementis. Nollem illis iterum ſe aggregaſſe Sigonium lib. 29, 28. *prædatorias claſſes, quibus exſcenſiones in agros maritimos factæ erant*. *Excurſiones*, quod denuo inculcat Sigonius, nos in uno tantum libro, nec eo antiquo aut optimo, invenimus. Memineris autem diſtinguere inter *eſcendere* & *exſcendere*: illud idem eſt quod adſcendere, hoc è navi deſcendere.

Cap.

Cap. 22. *Tribunatuque plebis proximis comitiis abſens petentibus præfertur.*] Qui dicitur *tribunatu plebis* aliquid feciſſe, aut cui dicitur *tribunatu plebis* aliquid eveniſſe, is intelligitur eum jam adeptus, non primum petere. Vt apud Suetonium Iulio: *Tribunatu militum, qui primus Romam reverſo per ſuffragia populi honor obtigit, auctores tribunitiæ poteſtatis, cujus vim Sulla deminuerat, enixiſſime juvit.* Non eſt opus refingere, *tribunus militum* cum Torrentio: eſt enim alterius idem ſenſus æque bene expreſſus. Sed qui locum eſſe corruptiſſimum exiſtimant, id quod ego non puto, & maculam abſtergeri, ſi ſcribatur *Tribunatum* & *auctoreſque*, non docent nos quid ſit *tribunatum militum juvare*, & quo Iulius tribunatum militum juverit. At apud Livium omnino reficiendum eſt, *tribunatumque plebei:* quorum illud duo Pall. meliores habent, exigitque verbum *petentibus*, à quo dependet, hoc evidenter memb. Thuanæus, ex eodem aliiſque alibi ſæpe ab nobis Livio reſtitutum. Ibidem: *Publilius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus quam voluntate Græcorum, recepta Palæpolim miſerat. Romæ compertum eſt delectum indictum à magiſtratibus.* Turpiſſimo ſcholio deformata περιοχή, quam Sigonius egregie reſtituit, quamvis adhuc nemini auditus. Mss. *Romæ compertum eſt Cornelius delectum:* alii, quos inter unus è Pall. verba illa. *Romæ compertum eſt*, omnino exeſſe jubent. Vnde optime cenſuit ille à ſarcinatore quodam nolenti Livio ſuppoſita eſſe, ſcribendumque: *recepta Palæpolim miſerat. Cornelius, delectum indictum &c.* Senſus eſt planus: nam cum parum ab utroque conſule ſpei de pace datum dixiſſet, mox ſubjungit diſtincte, quid à Publilio, quid à Cornelio de-

la-

ſtatum fuerit. Publilio autem Græci bello perſequendi provincia evenerat, Cornelio Samnium. Ambiguos fecit homines ἰδιωτισμὸς ille Livii, *miſerat*, pro miſerat nuntios aut nuntiatum, vel ſimpliciter, nuntiari fecerat: qui Glareano quoque videtur durus ſermo. Sic lib. 25. *Conſulibus literæ à prætore miſſæ, ut priuſquam clauderent Capuam operibus, poteſtatem Campanis facerent.* Lib. 29. *ſcaphas circummiſit, ut ex omnibus navibus gubernatoreſque & magiſtri navium, & bini milites, in forum convenirent ad imperia accipienda.* lib. 33. *literas ad Zeuxippum mittit, ſervum conſcium tolleret.* Quaſi ſubaudiri vellet, hoc argumento, cum his mandatis. Auctor de bello Hiſpanienſi: *tabellarius eſt miſſus, ut ea nocte turres aggeremque incenderent.* Sophocles Antigone: ὑμᾶς δ' ἐγὼ πομποῖσιν ἐκπάντων δίχα ἔστειλ' ἱκέσθαι. Quodque omnium ſimillimum eſt præſenti loco lib. 36. apud Livium: *Itaque qui ad id tempus fortunam eſſet in conſilio habiturus, is extemplo ad M. Bæbium proprætorem miſit, Antiochum in Theſſaliam impetum feciſſe; ſi videretur ei, moveret ex hibernis.* Nec Cicero refugit id compendium ſermonis. Lib. 5. famil. 20. *ita exiſtimes velim, me antelaturum fuiſſe, ſi ad me miſiſſes, voluntatem tuam commodo meo.* id eſt, ſi mihi notum feciſſes. Lib. 11. ep. 8. *Eo tempore Polla miſit, ut ad te, ſi quid vellem, darem literarum.* Vtrobique ab eadem ignorantia vitium erat ante Victorium, quem vide.

Cap. 24. *Bruttiorum coloniam Acerinam*] De conſilio Glareani & Sigonii repoſui *Terinam.* Vocem autem *coloniam* auctore Thuanæo delevi: nam ad τὸ *Bruttiorum* ſubaudiendum ex ſequentibus *urbem.*

Cap. 26. *ſatis credebatur domitos hoſtes in poteſta-*

teſtatem veniſſe] Scribe cum Th. & duob. melioribus Pall. *domitus hoſtis.* Sic ſupra: *peſtilentiæ, qua Romanam urbem adorta nuntiabatur.* Sic etiam correximus è ſcriptis lib. 6, 27. *quippe jam à Praneſte profectus hoſtis in agro Sabino conſediſſe nuntiabatur.*

Cap. 29. *Et defectio recens Lucanorum*] Thuan. tres Pall. & vetuſtæ edd. *defectio repens.* Vere. Sic noſter lib. 6. *fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem*, &c. Lib. 9. *Repens adventus conſulis, quem procul Vmbria in Samnio bello alio occupatum crediderant, ita exterruit Vmbros* &c. Lib. 21. *qui tumultus repens poſtquam eſt Romam perlatus.* Scimus, inquis, &, quid exemplis opus? Scilicet tibi contingere non poteſt, quod accidit doctiſſimo viro lib. 2. antiq. Italiæ, qui, cum citaret ex lib. 22, 8. *Priuſquam ſatis certa conſilia eſſent, repens alia nuntiatur clades:* apponebat, Lego. *repente.*

Cap. 30. *Seu credere libet, Fabio auctore factum*] Sigonius ex ſuo: *ſeu ſi credere libet Fabio.* Ignorant noſtri, & nullius pretii eſt. Sed gravius hic ulcus curandum. Mss. Pall. *ſeu credere libet Fabio auctori, eo factum.* niſi quod unus *auctore.* Eſt autem illa ſcriptura omnino ſincera, nec Fabius ille intelligitur equitum magiſter, ſed Pictor, ſcriptor antiquus rerum Romanarum, ſæpe noſtro allegatus. Lib. 1. *Eo magis Fabio, præterquam quod antiquior eſt, crederim, quadraginta ea ſola talenta fuiſſe.* Idem, ne quid diſſimulem, notaverat ex Fulvii codice Claudius Puteanus.

Cap. 31. *Quod ſe abſente res egregie geſta eſſet*] Hic perperam auſcultatum Sigonio, qui mutavit omnium ſcriptorum & vett. editorum lectionem: *quod ſe abſente reſpublica egregie geſta eſſet.*

Sæpe

Sæpe ita loquuntur optimi quique de iis, qui quamcunque partem ad ſummam rerum pertinentem adminiſtrant. Salluſtius Iugurth. *niſi tamen republica pariter, ac ſæviſſimo imperio, bene atque decore geſta.* Cæſar ad milites lib. 1. de bello civ. *hortatur cujus imperatoris ductu novem annis rempublicam geſſiſſent.* Noſter lib. 3. *tum hercle illo die, quo ego conſul creatus ſum, male geſta reſpublica eſt.* Poſſem dare exempla innumera ex his & Cicerone, Seneca, Tacito, & quo non? Neque aliter legendum lib. 28, 9. *ut quemadmodum uno animo rempublicam geſſiſſent, ita quamquam ex diverſis regionibus convenirent.* Sic enim Mss. non tantum, *rem geſſiſſent.* Cur autem reliquit ſtatim infra Sigonius: *devictis hoſtibus, republica bene geſta?* Eodem capite: *magiſtro equitum & tunc victori minetur.* Verba, *& tunc victori*, à tribus Pall. Thuan. Fulviano & Cujaciano codd. abſunt, & ſane ſuperflua eſſe revincunt antecedentia. Quare cancellare ea pudori non habui. Paullo ante duo Pall. *Dolere imperium dictaturæ ſpretum, tanquam non.* id quod conſiderandum. Iidem pro *clementiorem* habent *mitiorem.*

Cap. 32. *Qui proximi forte tribunali ſteterant*] Duo meliores Pall. *proximi forte tribunal.* quod Livianum eſſe oſtendimus 3. obſerv. 2. Cæſar lib. 3. de Gall. *P. Craſſus adoleſcens cum legione ſeptima proximus mare oceanum in Andegavis hiemabat.* Lib. 6. *pars in continentes paludes profugit, qui proximi oceanum fuerant.* Sic utrobique optimæ membranæ. Livius Lib. 22, 40. *caſtris bifariam factis, ut nova minora eſſent propius Annibalem.* Sic Mss. cum vulgo ſit, *Annibali.* Lib. 23, 12. *Quo propius ſpem belli perficiendi ſit, eo magis omni ope juvandum Annibalem.* Hæc ve-

re-

terum membranarum lectio, non *ſpes*, ut ſuppoſuerunt. Lib. 4. *propius eſt fidem, obſtringi Fidenatium populum voluiſſe.* lib. 24, 41. *ceſſere inde Romani propius pacata loca.* Vbi male Sigonius: *per prius.* Adde Muretum 19. Var. lect. 17. Cap. eodem: *neu Fabiæ genti eam injungeret contumeliam.* Sic conſtanter Mss. & editi veteres, non *inureret*, ut tradidimus 1. obſerv. 19. In quo ſumus confirmati per Thuan. Fulv. & Cujacianum codices.

Cap. 33. *In ſe magis incitarent dictatorem, quam magiſtro equitum placarent*] Recepimus trium Pall. ſcripturam: *quam in magiſtrum equitum placarent.* Habet aliquid exquiſitius, ut dicemus, ſi Deus dabit, alibi. Ibidem: *qui tertium conſul.* Thuan. *qui ter jam conſul.* & mox: *perſtaret in incepto.* Iterum: *capite anquiſitum ob rem bello male geſtam, de imperatore nullum ad eam diem eſſe.* Quia non eſt ad quod referatur τὸ *nullum*, putabam vocem *exemplum* excidiſſe: videlicet, ut ita fuerit: *capite anquiſitum ob rem bello male geſtam de imperatore, nullum ad eam diem exemplum eſſe.* Vt lib. 38. *auctoritas ſeniorum valuit, negantium exemplum proditum memoriæ eſſe, ut imperator* &c. Lib. 41. *Res triumpho dignas eſſe cenſebat ſenatus, ſed exemplum à majoribus non accepiſſe, ut qui neque* &c. Poſtea vidi Glareanum notantem in edd. nonnullis antiquis *nullo* reperiri, id quod ille tamen improbat, nos facile amplectimur: *de imperatore nullo ad eam diem eſſe.* Denique: *propter Q. Fabii victoriam civitatem in lætitia, in ſupplicationibus ac gratulationibus eſſe.* A mala manu eſſe, quod hic finxit Sigonius, tam exploratum habeo, quam meridie ſolem lucere. Repoſui ergo vett. edd. & bonorum codicum ſcripturam: *propter Q. Fabium* *civi-*

civitatem in lætitia, victoria, ſupplicationibus eſſe. Scilicet inſolens viſum hominibus *in victoria eſſe.* Num inſolentius illo apud Salluſtium bello Iugurth. *ſemperne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur.* Mihi vero id maxime placet.

Cap. 34. *Infrequentia deſerant ſigna, neque conveniant ad*] Pervetuſti codicis Thuanæi ſuaſu, cui ſubſcribunt Io. Andreæ & Aldina editio, repoſui: *deſerantur ſigna*, dein *conveniatur, diſcernatur:* haud parva orationis gratia, & memor in medio verbo ſæpius eandem formam aboleviſſe librorum corruptores. Sic apud Cæſarem lib. 6. de Gall. *tribus horis Atvatucam veniri poteſt: huc omnes ſuas fortunas exercitus Romanorum contulit.* Sic inculpatæ membranæ Claudii Menardi. At vulgo: *venire poteſtis.*

Cap. 35. *Stupentes tribunos & ſuam jam vicem*] Duo Pall. cum Aldina: *Tepentes tribunos.* An fuit: *Torpentes?* Statim quis credet aut perſuadebit eſſe Livii: *conſenſus populi Romani ad preces & obteſtationem verſus, ut ſibi.* Duo Pall. *cenſus populus Romanus ad preces.* Scribe: *liberavit onere conſenſu populus Romanus ad preces & obteſtationem verſus.* Eorundem alter, *obſecrationem*, alter *oblectationem*, tertius *obteſtationes:* Sic ludunt librarii de alieno corio. Poſſet etiam legi: *conſenſus populi Romani ad p. & obt. verſi.* Elige, cui dicas. nam alterutrum haud dubie eſt Livii.

Cap. 37. *Ager Appulus Samniumque evaſtatum*] Mss. Pall. *Samnitiumque evaſtatus.* Eodem capite non potui fraudare & Livium & lectorem quantivis pretii reſtitutione ex Th. codice hauſta: *tulit ad populum, ut in Tuſculanos animadverteretur, quorum eorum ope ac conſilio Veliterni Privernateſque populo Romano bellum feciſſent.* Sectores putaverunt τὸ *eorum* vacare, aut alterutrum

utrum certe genitivum, nam & unus è Pall. *animadverteretur, quod eorum.* Sed *quorum eorum* eſt idem quod, quorum ex iis Tuſculanis. Etſi enim publico conſilio Tuſculanorum id factum ſuſpicio erat, quæſtionem tamen in auctores ejus conſilii adjutoreſque potius decernere erat juſtæ ſeveritatis, quam in univerſos & ſingulos, quum vix unquam etiam in maxime populari republica res ejuſmodi ſingulorum etiam conſenſu & auxilio fiat. Lib. 23, 25. *De exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga Cannenſi eſſent.* Sic nos ex Mſs. Vide illic. Lib. 26. *extra quam qui eorum aut ipſi aut parentes eorum apud hoſtes eſſent.* Lib. 38. *Aliorum qui non comparebunt, quando quiſque eorum primum inventus fuerit.* Ibidemque: *Quæ urbes, qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt, qui eorum L. Quintio Cn Domitio conſulibus poſtve eos conſules ſubacti &c.*

Cap. 38. *Locum caſtris communiri juſſit*] Ita quidem Sigonius ex ſuo: ſed potiores apud me, quibus ingenioſius Gelenius uſus, exhibentes *dimetari:* cum præſertim in melioribus noſtris videretur *dimicari.* Lib. 44. *imperat, metarentur frontem caſtrorum.* Ibidemque: *poſtquam metata caſtra impedimentaque collocata animadvertit.* Cæſar lib. 2. de Gall. *opere dimenſo caſtra munire cœperunt.* Eodem cap. *quod ignari, loco iniquo, non hoſti, ceſſum, velut fugientes ac territos terribiles ipſi ſequuti fuerint.* Sigonius malit *gnari* aut *non ignari*, hoc ſenſu: auxerat Samnitium animos, quod non ignari ſe loco iniquo non ceſſiſſe Romano hoſti, nunc Romanos velut territos ipſi terribiles ſequuti, fuerant. Perperam me judice. Nihil mutandum nec *hoſtis* intelligitur Romanus, ſed Samnis. Id, ait, ſuperbos & plenos fiduciæ Samnites fecerant, quod Romanos nuper

nocte

nocte vaſa colligentes & profectos ſequuti fuerant quaſi fugientes & territos ipſi terrentes. At Romani loco iniquo deceſſerant hoc regreſſu, non ceſſerant hoſti Samniti, qui veræ cauſſæ ignarus, tanquam id ignavia aut rerum deſperatione fuiſſet factum, interpretabatur.

AD
LIB. IX.

CAP. 1. *Qui ad dedendas res miſſi erant*] Adjecimus vocem *Romam* jubentibus duobus Pall. Ibidem diſtinctione mutata ſcribendum: *quem tibi tuarum irarum, quem meorum ſuppliciorum judicem feram, neminem neque populum neque privatum fugio.*

Cap. 2. *Montibus circa ſe perpetuis inter ſe juncti*] Lectiones Pall. retulit Gebhardus 1. antiq. lect. 22. & de illis pronunciat non liquere. Cæterum animadvertere ex illis facile eſt, nihil aliud velle quam prius *ſe* deleri: quod etiam non conſpicitur in Thuanæo, nec ſententiam juvat. Soletque Livius eam particulam ſine caſu ponere locis ſimilibus. Vt vel hoc libro infra: *an altero exercitu & duce Appuli circa, gens dubia ad id voluntatis, tentarentur.* Si Cæſaris Auguſti hoc ſcriptum eſſet, τὸ *ſe* non expungerem: nam de illo Suetonius cap. 86. *Præcipuam curam duxit ſenſum animi quam apertiſſime exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut nec ubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque præpoſitiones verbis addere neque conjunctiones ſæpius iterare dubitavit, quæ detractæ adferunt aliquid obſcuritatis,*

etſi

etſi gratiam augent. Cujus conſuetudinis exemplum eſt apud eundem in fragmento citato cap. 71. *ſi vellent inter ſe inter cœnam vel talis vel par impar ludere.* Quod non meminerat Torrentius, cum verba, *inter ſe*, tanquam ſupervacanea, rejicienda cenſeret. Crederem vero eandem facilitatem in aliis quoque particulis ſequutum Cæſarem. Sed Livii non eſt hæc religio. Sigonianum: *montibus perpetuis in ſe juncti:* ſpeciem ingenii habet, genuinum tamen non putaverim. Eod. cap. duo Pall. cum Thuan. *militeſque ad pratorium verſi.* Et ſuperius iidem una cum tertio Pall. *Iam is etiam rumor*, deleta copulativa.

Cap. 3. *percontando exquirerent, quid ſi media via conſilium*] Tres Pall. Thuan. Fulv. Cujacianuſque *conſilii.* Thuanæus porro à manu prima *exquirent:* unde conjeci ſtatim, quod poſt in duobus fuiſſe melioribus Pall. deprehendi: *percontando exſequerentur.* Eſt enim ea propria Livii phraſis. Lib. 3. *quum tribuni plebis velut eludentes vana dicta perſequi quærendo, quonam modo exercitum educturi conſules eſſent.* Lib. 6. *Itaque exſequebantur quærendo, ubi tanta rei furtum per quos occultaretur.* Hoc lib. 9, 16. *Itaque ſubinde quum exſequerentur à Conſule legati, quonam ſe pacto paucos & infirmos crederet præſidio tam valido & armato vim allaturos.* Thuan. duo Pall. *ſubinde exequentur.* Tertius: *ſubinde exiguntur exſequuntur.* Scribe: *Itaque ſubinde exſequentes.* Lib. 22. *& cætera, quæ cognoſſe in rem erat, ſumma omnia cum cura inquirendo exſequebatur.* Lib. 25, 29. *Sedato tandem tumultu exſequentibus ſciſcitando, quæ acta cum Romanis eſſent, dilucere id quod erat cœpit, aliam ſuam & perfugarum cauſſam eſſe.* Sic optimi codices, deleta & voce *mercenariis.* Nugamentum eſt, quod habuit Lipſia-

ſianus , *acquirentibus* , unde fruſtra ille divinat *anquirentibus.* Lib. 35. in Scipionis & Annibalis colloquio , quum *quærenti Africano* , & iterum , *quærenti deinde*, præmiſiſſet , addit : *Exſequenti , quem tertium duceret , haud dubie ſemetipſum dixiſſe.* Eodemque de Philopœmene: *quem locum capturus ipſe eſſet , cogitando aut quærendo exſequebatur.* Lib. 41. *Exſequebantur deinde quærentes, quid non ita potius A. Manlius Romam veniſſet.* Toties idem loquendi genus repetivit , ut lectoribus ſuis illud familiare redderet, caveretque ne uſpiam novum videretur : quod non mirum ab librariis, mirum vero ab longe doctiſſimo praeclareque de ipſo merito viro eum non impetraviſſe. *Exquirere percontando* & *anquirere ſciſcitando* æque bella ſunt atque *exquirere exquirendo, percontari percontando* & *ſciſcitari ſciſcitando.* Ibidem ab Gelenio eſt : *quidquid iſtuc præſens neceſſitas inuſſerit :* & habet Thuanæus. Duo Pall. & Campanus *immiſerit.* Tertius Pall. Io. Andreæ & Aldina *injunxerit.* Quod forte ſimpliſſimum modo *iſtis* refingas & intelligas *Romanis* , non *pectoribus* , aut certe *iſtud.* Ea forma qua apud Quintilianum lib. 1. inſt. or. 3. *& audacia provecti , quidquid illud poſſunt , ſtatim oſtendunt.* Quod qui mutant, corrumpunt. Idem lib. 12, 6. *neque præpropere diſtringatur immatura frons, & quicquid eſt illud adhuc acerbum, proferatur.* Non rejicio tamen Gelenii lectionem.

Cap. 4. *Vel in medios me mittere hoſtes*] Sigonianus cum Pal. *immittere.* Duo reliqui & Thuan. *immittere.* Cicero primo paradox. *quæ patrem Decium, quæ filium devovit, atque immiſit in armatas hoſtium copias?*

Cap. 6. *Omnium egena corpora humi*] Rectius Sigon. & tres Pall. *omnium egeni corpora.* Vt

Vir-

Virgilius: *Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos.* Mox duo meliores: *egreſſi funguntur:* non, *egreſſus fungitur,* ut jam indicatum. At omnes cum Thuan. & Cujac. *pudor quidam fugere colloquia.* non *effugere.* Hoc eventus eſt, illud voluntatis. Corruptum recte viderat Sigonius: *mœſtiores & abjectiores animi viſos.* Sed nimis mutat: *mœſtioris & abjectioris animi.* Fuerat enim, ut eſt in duob. Pal. *mœſtiores & abjectioris animi viſos.*

Cap. 7. *Ingentem molem irarum ex alto animo cientis*] Tres Pall. *minarum.* Sed quid eſt hic *alto animo?* quid autem *cientis?* Equidem acumen Gelenii deſidero in hac indigna ipſo correctione. Omnino verum eſt, quod habent anteriores editiones, *animi:* nec niſi à poſitu verborum ulla obſcuritas. Vult enim Calavius illum habitum, quem male interpretabantur Campani juvenes, in illis indicium eſſe animi cientis ac velut exhalantis ex alto & quaſi profundo ſui (alte enim in pectus deſcenderat illata contumelia) ingentem molem ſive irarum ſive minarum. Ibidem, *conſenſum in omnem formam luctus eſt,* quod tenent boni libri, olim defendimus.

Cap. 8. *Simul admiratio miſeratioque viri inceſſit homines*] Scribo: *inceſſit omnes.* Cujus rei cauſſa intelligi magis poteſt quam explicari. Non erat ibi, niſi unum genus hominum vel civium, qui nempe Senatui intereſſe poterant. Similis corruptio lib. 5, 38. *tanta hominum oblivio, ut multo major pars Vejos in hoſtium urbem, quum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad conjuges & liberos fugerent.* Lege: *omnium oblivio.* nempe rerum. Lib. 23, 23. *Ita centum ſeptuaginta ſeptem cum ingenti approbatione omnium in ſenatum lectis.* Put. Petav. melior. Men. tres Pall.

cum ingenti approbatione hominum. Sed hæc erudita auris,ut dixi,magis ſibi poteſt probare,quam non eruditæ approbare.

Cap. 10. *Quandoquidem hice homines*] Scribe: *Quandoque.* de quo dictum ad librum primum.

Cap. 11. *Ea vero fortuna, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum.*] τὸ *vero* quia omnibus ſcriptis veteribuſque editis, certe Andreana Aldinaque, exſulat, delevimus. Amici,qui mirantur aliis in mentem venire,quod ipſis nunquam ſuboluerit, pro *fortuna* reponunt *forma.* Venit tamen in mentem nec ineptis nec tantam ſui fiduciam habentibus hominibus hanc *formam* huic materiæ convenientem non eſſe, & *fortuna* nos oportere eſſe contentos.

Cap. 12. *Omnia quæ deinde venerunt*] Sic & lib. 10, 45. *quonam modo tolerabilis Etruria fuiſſet, ſi quid in Samnio adverſi veniſſet.* Vide tamen an non hic ſcribendum ſit: *eveniſſet:* & illic: *quæ dein evenerunt.* Fine ejuſdem capitis, *in aciem copias educunt*, conſenſu veteres, non *ducunt.*

Cap. 13. *contemto cultu molliore atque ut evenit*] Mss. & veterum editionum lectio eſt: *contemtu cultorum molliore.* Glareanum non immerito πε℮ιοχῆς hujus obſcuritatem jactaſſe confirmat Sigonius, quippe quæ non ſolum obſcura ſit, verum & vitioſa: legendum autem ex veterum librorum fide: *contemto cultu molliore.* Noſtra excerpta id non attribuunt inventum, niſi uni omnium recentiſſimo è Pall. & malam manum pariter cum Sigoniano ſæpiſſime paſſo. At vero quid eſt tandem, *contemto cultu molliore?* Æque enim nihili eſt, neque explicat Sigonius niſi idem per ſe. Vnica litera viros doctiſſimos impe-

impedivit, qua mutata facilis intelligi vetus eſt lectio: *Nam Samnites ea tempeſtate in montibus vicatim habitantes, campeſtria & maritima loca, contemto cultorum molliore, atque, ut evenit, loci ſimili genere, ipſi montani atque agreſtes depopulabantur.* Τὰ *nam* & *loci*, illud omnium ſcriptorum Aldinæque, hoc duum Pall. meliorum ſunt: *Cultores*, ut lib. 10. *ne agrum Etruſcum vaſtarent armiſque laceſſerent cultores.* Lib. 24, 42. *cultoribuſque antiquis, quos ex eis vis reliquerat belli, reſtituerunt.* Ita enim legendum ex veſtigiis vett. librorum. Iuvat emendationem noſtram, quod lib. 21. *Inde ad planum deſcenſum eſt & jam locis mollioribus & accolarum ingeniis.* Lib. 29. *Fertiliſſimus ager, eoque abundans omni copia rerum eſt regio, & imbelles (quod plerumque in ubere agro evenit) barbari ſunt.* Lib. 45. *frigida hæc omnis duraque cultu & aſpera plaga eſt: cultorum quoque ingenia terræ ſimilia habet.* Genus ergo cultorum mollius & ſimile loci, in quo degebat, quia contemtui Samnitibus erat ob imbelliam, ſubinde in prædam petebatur. Capite eodem: *aut interjecta inter Romam & Arpos penuria rerum omnium, excluſos à commeatibus abſumſiſſet.* Audi hic virum non ſpernendæ auctoritatis Glareanum: Vide quid hic dicere velit. Quomodo enim penuria interjacet Romæ & Arpis? Sit ſane figura, ut in priore annotatione, ſed mihi in hoc annotata, ut exemplaria vetuſta diligentius inſpiciantur. Sic ille. Sigonius tacet. Quin etiam, cujus diligentiæ excerpta Pall. debemus, conſultis hic accurate illis codicibus parum expeditum ſe recedere fatetur. Tantum in una literula, ne in ſyllaba morari magnis hominibus in contemtum veniat, momenti eſt. Scribe: *abſumſiſſent*, ἀντὶ τοῦ *abſumſiſſet*. Sic apparet τὸ *interjecta*

jecta non conjungendum cum voce *penuria*, ſed παρενθετικῶς accipiendum ſubaudito *loca*, pro interjectis regionibus.

Cap. 14. *Quum tempus omne in apparatu conſumſiſſet*] Videtur ſenſus requirere quod habent fere omnes libri veteres, & Modius in ſuis reperit: *in apparatu pugnæ conſumſiſſet*

Cap. 15. *Commeatus ex Samnio ſubvehebatur*] Mutarunt numerum ſine cauſſa. nam ſcripti, *ſubvehebantur*. Vt frequenter Livius. Vel hoc libro: *unde ſubvehi commeatus poterat*. Et inferius: *Sutrini commeatus benigne in caſtra advexere*. Sic lib. 23, 12. *commeatum* editur pro *commeatuum*. Quod & Freinshemius animadvertit. Sic lib. 1, 4. ediderunt: *in latrones præda onuſtos impetum facere*. Quaſi non ſit Livii *impetus facere*, quod eſt in vett. libb. Vt lib. 3. *multi per eos dies motus multique impetus hinc atque illinc facti*. Alibi: *tum maxime impetus facientes receſſere à muro*. Lib. 3, 8. *quum exitus haud in facili eſſent*. Sic enim ex Rhenani & noſtris edidimus, non *eſſet*. Eodem libro: *quæ priuſquam undique vallo objecto clauderent exitus*. Alibi: *iniqua ac difficilia ad exitus loca*. Lib. 9, 27. *ſi qui motus occaſionem aperiret*. Nos ex ſcriptis: *aperirent*. Eodem cap. ſcribendum: *an conſulum Papiriique præcipuum id decus ſit*: monuimus ſuperius ad librum tertium.

Cap. 16. *Nuntiari conſuli ſatis habuit*] Maluimus è Thuan. *enuntiare*. Quod eſt ſignatum verbum de iis, qui arcana produnt. Lib. 33. *cuſtodibus ad portas poſitis, ne quis enuntiare poſſet cœpta*. Lib. 39. *veniam precata deorum, ſi ſilenda enuntiaſſet*. Cicero pro Roſcio: *cæterorum legatorum conſilia & voluntatem Chryſogono enuntiat*. Mox: *quaque porta*, & Sigonii & omnium alio-

rum

rum vett. librorum eſt. Ibidem: *armatoſque clam hoſtes in urbem acceperunt*. Pall. & Thuan. *clam nocte*. Sed ſcribendum eſt: *clam hoſte*. nempe ipſis Samnitibus. *Armatos* autem intellige Romanos. Sic voluit & Gelenius, qui primus hanc clauſulam vulgatis adjecit.

Cap. 17. *Si Punicum prævertiſſet bellum, ſeniorque in Italiam trajeciſſet*] Senſus eſt, inquit Sigonius: ſi Alexander ante intuliſſet Romano bellum quam Pœni, quod futurum erat, ſi ſenior in Italiam trajeciſſet. Nihil minus ſenſit auctor. Et ſenior potius veniſſet in Italiam, ſi Pœni prius bellum cum Romanis habuiſſent quam ipſe Alexander: ita enim neceſſario tempora quædam intercedere oportuiſſet. Sin prius Alexander, cur ſenior? potuiſſet enim proxima poſt illa tempora, quibus fatis ceſſit. Prorſus hic cæcutivit vir doctiſſimus. Alexander quando finis ei prope erat, agitabat Punicum bellum, utpote adverſus Tyri ab ſe devictæ colonos Carthaginienſes, mari tum potentes. Iuſtinus lib. 21. Ideo Livius, ſi, inquit, Africam bello ſubjugare maluiſſet, antequam Italiam & Romanos aggrederetur: atque ita, quoniam haud dubie aliquot anni elapſuri erant, dum ea provincia conficitur, ſenior in Italiam trajeciſſet. *Prævertere* alias aliter, ſed ut hic, & lib. 2. *nec poſſe, quum hoſtes ad portas eſſent, bello prævertiſſe quidquam.*

Cap. 18. *Deſideratas humi jacentium adulationes*] Rubenius, *adorationes*, deletque τὸ *Macedonibus*: cui ſe jure opponit Barthius 14. adverſ. 10. Certe adorationem regum, tantopere Græcis Romaniſque liberis reprehenſam vitatamque, κατ' ἐξοχὴν *adulationē* & poterant dicere & dixiſſe obſervamus Latinos. Livius noſter lib. 30, 16. *Qui ubi in caſtra Romana & prætorium per-*

F *vene-*

venerunt, more adulantium (accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt. Conveniens oratio tam humili adulationi fuit. Ita enim Mſs. omnes, omnes dico, utrobique: quod nec Sigonius diſſimulavit priori loco; quamvis diſplicere ſibi fateatur. Valerius Maximus lib. 4, 7. *Ephæſtionemque, quia ei & ſtatura & forma præſtabat, more Perſarum adulata tanquam Alexandrum ſalutavit.* Idem lib. 6, 3. *Athenienſes autem Timagoran, inter officium ſalutationis Darium regem more gentis illius adulatum, capitali ſupplicio adfecerunt.* Ita & hic conſenſu omnes ſcripti & editi, nobiſque mutare quidquam religioni eſt. Tertullianus de jejunio: *unde & qui in idolis comendis, & in aris ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, curationem facere dicuntur.*

Cap. 19. *Nunquam æquis utique nunquam iniquis locis laboravimus*] Falſum & ſuppoſititium τὸ *iniquis*. Mſs. meliores: *nunquam noſtris locis laboravimus*. Sumus amplexati & adſeruimus in Obſervationibus proxime ſequuturis.

Cap. 20. *Itaque de fœdere negatum: induciæ biennii*] Duo Pall. *Itaque fœdere negato induciæ biennii.* Ibidem: *Et ex Apulia Theanenſes Canuſinique populationibus feſſi, obſidibus L. Plautio conſuli datis, in deditionem venerunt.* Recte Sigonius neque *Theate* facere *Theanenſes* neque pertinere ad Apuliam. Teanum autem Appulum ſi hic intelligitur, cum dicuntur hi populi datis L. Plautio obſidibus in deditionem veniſſe, quomodo poteſt excuſari, quod poſt paucos verſus ſubjicitur: *Theates quoque Appuli ad novos conſules C. Iunium Bubulcum Q. Æmilium Barbulam fœdus petitum venerunt.* Quomodo fœdus petunt dediti obſidibus datis? quomodo ab Teano Thea-

Theates? Certe non parum hic difficultatis, cui eximendæ haud ſcio an ſufficiam. Licebit, ſpero, conjicere, priori loco ſcriptum fuiſſe: *& ex Apulia Cannenſes Canuſinique.* A Cannis ignobili vico, quem victoria Annibalis nobilitavit, hi Cannenſes. Atque inde fugatus Terentius Varro cum reliquiis cladis Canuſium ſe contulit, ut notum eſt ex lib. 22. Poſteriori vero loco *Theates* corruptum puto ex *Teate*, quo modo ſcriptum ἀντὶ τοῦ *Teanitæ.* hoc eſt enim ἐθνικὸν Teani, ut obſervat Sigonius. Aut certe *Teanates*, ut ab *Arpino Arpinates*, ab *Antio Caſino, Priverno, Antiates, Caſinates, Privernates.*

Cap. 22. *Id bellum tanti ducere*] Senſum, quem ignorare ſe fatetur Glareanus, recte eruit Sigonius. Sed hic ipſe ſenſus ei ſubjicere debebat ſcribendum eſſe *tantum ducere*, non *tanti*. Id tantummodo pro bello habebat. Illi autem veteres libri, unde *obequitare* Sigonius, haud ſcio qui ſint: noſtris certe, in quibus conſtanter *adequitare*, meliores non ſunt. Idque reſtitui debet. Mox ſcribimus: *ægre patiens, quo tam ferociter adequitaſſet, inde ſe fundi.* ratione evidenti: etſi vulgares, *quod*, nec varient ſcripti.

Cap. 25. *Pro victis Romanos habuiſſe, juventute & armis Samnites juviſſe*] Thuan. *juventute, armis Samnitem juviſſe.* Etiam Palatini copula deficiebantur. Placet ſatis Thuanæi lectio.

Cap. 26. *Ut Romæ, quum de colonis mittendis*] Thuan. tres Pall. Campanus; *ut Romæ quoque, quum de colonis.* Deinde cum Gelenio ſcripſimus: *occultæ principum conjurationes factæ*: quia ſic omnes libri veteres, non *patefactæ*. Ibidem: *itaque ſive timore ejus ſeu conſcientia Calavios.* Aldina: *ſive timore ſeu conſcientia ejus.* Fuldenſes membr. Thuan. duo Pall. binæque vetuſtiſſ. edi-

tiones: *ſive timor ſeu conſcientiæ vis.* Proba lectio, ſi *morte* ſcribas, hoc modo: *Ingens erat magiſtratus ejus terror. itaque ſive timor ſeu conſcientiæ vis Calavios Ovium Noviumque (ea capita conjurationis fuerant) morte haud dubie ab ipſis conſcita judicio ſubtraxit.* Ibidem Thuan. *appellantibuſque tribunos.*

Cap. 27. *Earum fama rerum magis tamen ſpes*] Mss. & editi veteres omnes *ſpe.* Cur mutarunt? Fama earum rerum, magis tamen per illam ſpem quam ſua vi, quam per ſe, (hoc enim intelligitur) revocavit Samnites.

Cap. 28. *Vnde poſt nocturnam Samnitium fugam*] Scriptorum & editorum veterum concors lectio: *unde nocturna Samnitium fuga ſine certamine receptis Fregellis.* Quam cur ſpreverunt elegantiæ peſtes? Mox Gelenius repoſuit: *Samnitium omnis multitudo & Nolana agreſtis.* Nos reduximus omnium veterum à nobis viſorum ſcripturam: *& Nolani agreſtes.* Ibidem Sigonii correctionem: *& Interamnam & Caſſinum ut deducerentur coloniæ:* Laudat Cluverius firmatque. Statim muta diſtinctionem hoc modo: *ſed triumviros creavere, ac miſere colonorum quatuor millia inſequentes Coſſ. M. Valerius P. Decius.*

Cap. 29. *Quod dimovendis ſtatu ſuo ſacris religionem facere poſſet*] Sic Gelenius nolentibus libris ſcriptis, quorum copia fuit: quibuſcum utique malo: *religionem adferre facile poſſet.*

Cap. 31. *Præpotentem armis Romanum acies ſubſiſtere ullæ*] Excidit è vulgatis particula *nec,* quam ſervant tamen Andreana Aldinaque editiones: *Romanum nec acies ſubſiſtere ulla.*

Cap. 32. *Præter Arretinos ad arma ierant*] Duo meliores Pall *ad arma ſe contulerant.* Sed tres cum Thuan. *Eo alter conſulum Æmilius.*

Cap.

Cap. 34. *Te unum extra legem eſſe*] Fuldenſes, Thuan. Pall. tres, Campan. *te unum exlegem eſſe*. Ibidem: *Quem tu regem ſacrificiorum crees, amplexus regni nomen, ut qui optimo jure rex Romæ creatus ſit, creatum ſe dicet?* Locus obſcurior, quia omiſit eam partem orationis Appianæ, ad quam hæc verba reſpondent, & diſtinctione etiam in vulgatis eſt perturbatus. Feſtus: *Vt qui optima creati* (ſic enim lacunam ſupplemus ex Livio) *lege fuerint, adjici ſolet, quum magiſtratus creatur*. Ea verba apud Feſtum tranſpoſita ſunt, pertinentque ad paginam ſequentem. Fuiſſe idem in ſacerdotiis apparet ex lege virginis Veſtalis capiundæ apud A. Gell. lib. 1, 12. *utei. quæ. optuma. lege. fouat. ita. te. Amata. capio.* Formula, quæ vulgo adhibebatur in creatione omnium magiſtratuum & ſacerdotum, abutebatur ad ambitionem ſuam Appius. Ajebat ſe cenſorem creatum, *qui optima lege creatus cenſor eſſet*: ex ea formula quinquennalem ſibi cenſuram deberi: eam enim legem optimam de cenſura eſſe, non utique legem Æmiliam. Reſpondet tribunus, poſt legem Æmiliam promulgatam nihil extra anni & menſium ſex ſpatium largiri eam formulam cenſoribus. perinde facere Appium ac ſi rex ſacrorum, quod & ipſe ut qui optimo jure creatus ſit, Romuli & cæterorum de ſeptem imperium ſibi arrogare velit, dicendo eam optimam legem de rege Romano eſſe, quæ de Romuli & regii imperii jure accepta ſit initio urbis conditæ. Item ſi hæc interpretatio valeret, & interreges & dictatores clavi figendi aut ludorum cauſſa creatos, immo & rei gerendæ, quippe qui omnes, ut qui optimo jure, creentur, eadem abuſuros ad tempus imperii ſibi prorogandum. Quare videndum, an cum his poſſit conciliari, quod habetur apud Fe-

Feſtum : *Optima lex : his verbis in magiſtro populi faciendo, qui vulgo dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet, jus eſſe ejus ſignificabatur, ut fuit Manii Valerii M. F. Voluſi nepotis, qui primus magiſter populi creatus eſt. Poſtquam vero provocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt adjici, ut qui optima lege, utpote imminuto jure priorum magiſtratuum.* Statim : *interregno quinque dierum* : ut Sigonianus & noſtri. *Ne in demortui quidem locum ſubrogari*, ab omnibus eſt ſcriptis editiſque priſcis. Neſcio quis ſciolus in recentiſſimis fecit *loco*. Etiam Pall. omnes : *hoſpitio deorum immortalium ſacra*.

Cap. 36. *Tum ex iis qui aderant. conſulis frater* (*M. Fabium Cæſonem alii*] Sic ab Gelenii cura exiit, cum antea haberetur *fratrem*, quod nobis quoque in Mss. fere ubique comparuit. Cæterum in neutra ferri poteſt lectione, quod editores ſilentio tranſmiſiſſe miror : *Marcum Fabium Cæſonem* : niſi vir idem duplex prænomen habuit; quod eſt omnino contra morem Romanum. Etenim *Cæſo* æque prænomen eſt atque *Marcus*: ſic *Cæſo Fabius*, *Cæſo Quinctius*. Deleto igitur alterutro, nempe τοῦ *M.* quod ex ſyllaba poſteriore vocis præcedentis eſt repetitum, ſcribatur & diſtinguatur : *Tum ex iis qui aderant* (*Conſulis fratrem, Fabium Cæſonem alii, C. Claudium quidam, matre eadem qua conſulem genitum tradunt*) *ſpeculatum ſe iturum profeſſus.* Subintelligitur *nonnemo*, vel *quidam quem* ſcilicet tradunt fuiſſe conſulis fratrem : aut totum illud, quod incluſum parentheſi eſt, pro illo eſt : *Conſulis frater, ſive Cæſo Fabius, ſive C. Claudius.* Quod elegantiſſimum genus ellipſeos, quia multis auctorum locis non intellectum damno fuit, firmabimus in proximis Obſervationum libris, &, ſi Deus dabit, ad pri-

primam Thebaidem Statii. Illuſtrant & illa, quæ dicemus infra ad lib. 30, 6.

Cap. 39. *omiſſis equis ad primos peditum per arma, per corpora*] Hic jam olim ambigui fuere librarii. Duo Pall. Campan. *ad proximos ordines per arma.* Tertius: *ad primos ordines peditum per arma.* Thuanæus, Andreana Aldinaque editiones: *ad proximos peditum per arma.* Quæ etſi omnia vitiis aut additamentis ſunt deformata, ut liceat uſurpare *οὐδὲν ὑγιές·* tamen hominibus non obeſæ naris & in veterum lectione verſatis facile dant ſentire verum: *omiſſis equis, ad primos ordines per arma per corpora evaſerint.* Nimirum ordines hoc ſignificatu non ſunt niſi peditum: quod qui neſciret, eam vocem pro ſcholio appoſitam in contextum retulit: eaque contenta plebeja ingenia ipſum genuinum tandem, ceu ſuperfluum deleverunt. Noti ſunt eruditis ex militia Romana *primi ordines & primorum ordinum centuriones.* Cæſar lib. 5. de Gallic. *Quum à Cotta primiſque ordinibus acriter reſiſteretur.* Eodem: *Erant in ea legione fortiſſimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus adpropinquarent.* Lib. 6. *Labienus tribunis militum primiſque ordinibus coactis, quid ſui conſilii ſit, proponit.* Ita enim, ut hoc obiter moneam, ſcribendum ex membranis Andinis, non ut vulgo *convocatis.* Virgilius: *non tempore tali Cogere concilium.* Sic auctor lib. 8. *copiis coactis.* Rurſum Cæſar lib. 7. *quum primi ordines hoſtium transfixi pilis concidiſſent.* Feſtus: *Principalis caſtrorum porta nominatur, quod in eo loco eſt, in quo principes ordines tendunt.* Livius lib. 44. *Ipſe cum tribunis primiſque ordinibus vadit ad contemplandos tranſitus.* Eodem: *Tum jam aperte primis ordinibus imperat, metarentur frontem caſtrorum, & impedimenta conſtituerent.* Higinus

de limitibus conſtit. *nam cum ſignis & aquila à primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Atque eodem modo ſcribendum & intelligendum lib. 30, 4. *Cum legatis, quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordines ſpectatæ virtutis atque prudentiæ ſervili habitu mittebat.* Vulgo: *primos ordinis.* quod non tinnit Romanum.

Cap. 41. *Vmbonibus incuſſaque ala ſternuntur*] Sigonius auctoritate ſuorum delet copulativam, immemor ſic loquutum eſſe noſtrum lib. 30. *movere loco hoſtium aciem Romani, ala deinde & umbonibus pulſantes in ſummotos gradu illato, aliquantum ſpatii velut nullo reſiſtente inceſſere.* Nec deerat in illis, quos nos vidimus Lib. 4. *Adſurgentem ibi regem umbone reſupinat.* Hoc ipſo capite ſuperius noſtri: *ita inſtruit, cohortatuſque prædicatione vera.* Inferius duo Pall. *Itaque inter ipſum certamen facta deditione à primis auctoribus belli, poſtero inſequentibuſque diebus & cæteri Vmbrorum populi deduntur.* Sequenti: *ita ſenatus inſequenti anno, quo Appius Claudius L. Volumnius* &c.

Cap. 43. *Nam ut qui ne alteri quidem*] Quæ conſtructio: *nam crederent?* nulla enim cum alia particula poteſt hoc verbum conjungi, quum τὸ *ut qui* habeant ſuum proprium *credidiſſent.* Scribe omnino: *Quum, ut qui ne alteri quidem exercitui ſe ad certamen credidiſſent pares, conjungi utique paſſi duos conſulares exercitus nihil crederent ſupereſſe ſpei; advenientem incompoſito agmine Marcium aggrediuntur.*

Cap. 44. *Relicto firmo præſidio vigilia tertia*] Fuldenſes & omnes noſtri: *præſidio de vigilia tertia*, aut quod malo, *de tertia vigilia.* Cæſar lib. 1. de Gall. *de tertia vigilia cum legionibus tribus* è ca-

è caſtris proficiſcitur. Iterum: *de tertia vigilia T. Labienum legatum propere cum duabus legionibus ſummum jugum montis adſcendere jubet.* Hoc & alibi Livio reſtituimus. Adde quæ ad Silvas Statii cap. 47. obſervabamus.

Cap. 46. *Fierique ſe pro tribu ædilem videret*] Nihil variant codices. Scaliger ad Feſtum: *prærogativa tribu.* Sigonius *pro tribu ædilem fieri* ait eſſe, à prima tribu ædilem renuntiari. Quod genus loquendi, niſi exemplum videam, capere non poſſum. Scribo: *fierique ſe à primis tribubus ædilem videret.* Piſo apud A. Gellium: *eumque primæ tribus ædilem curulem renuntiaverunt* Eædem nempe, quæ *prærogativa & primo vocatæ* libro ſequenti dicuntur.

AD
LIB. X.

CAP. I. *M. Livio Dentre & Æmilio conſulibus redintegratum Æquorum bellum*] Scribendum eſſe: *M. Livio Dentre M. Æmilio conſulibus redintegratum Æquicum bellum:* ſupra indicavimus.

Cap. 2. *Quo circumagi naves cum in ſtationem tutam vidiſſet.*] His exceptis probe conſuluit huic loco Sigonius. *Cum* in nullis veteribus reperi: pro *vidiſſet* autem alii codd. *vidiſſent*, rectius Thuan. & duo Pall. *vidiſſe* idque verbum de exploratoribus, non de Cleonymo intelligendum. *Quum audiſſet*, nempe Cleonymus præter cætera, *inde eſſe oſtium fluminis prealti, quo circumagi naves in ſtationem tutam vidiſſe*, ſcilicet eos, qui expoſiti

erant, ut loca explorarent. Ita ſolet noſter in obliquis orationibus. Infra cap. 34. *conſuli referunt, exceſſum urbe ſolitudine haud dubia perſpicuum eſſe, & recentibus veſtigiis fuga, ac ſtrage rerum in trepidatione nocturna paſſim relictarum.* Vbi male diſtinctio ponitur poſt vocem *urbe*, idque implicuit Aldinæ procuratores, ut inſererent deinde: *id perſpicuum.* lib. 24. *nuntius occurrit, captam urbem eſſe, cætera falſa miſta veris ferens; cædem promiſcuam militum atque oppidanorum factam, nec quemquam puberem arbitrari ſupereſſe.* Adde quæ ad lib. 1, 50. notavimus. Ibidem: *Ita in medium circumventi hoſtes.* Cur abierunt à ſcriptis, qui omnes, *in medio*? Sic infra cap. 20. *qui vagos prædatores in agros palantes excipiant:* fecerunt, faſtidientes ſcilicet plebejum, *in agris.* At certum mihi non id faſtidiſſe Livium. Statim: *regemque Cleonymum tria inde millia abeſſe. Ibi captivis proximo vico in cuſtodiam datis.* Deficiunt omnes τῷ *ibi*, habent autem: *tria* (nonnulli *quatuor*) *millia abeſſe. Inde captivis.* Mox lectionem Fuldenſium: *fugienteſque in altum acrius quam repugnantes*: confirmarunt nobis optimi quique & antiquiſſimi in Gallia & Italia libri. Recentiores atque editi: *fugienteſque in altum ac nuſquam repugnantes.*

Cap. 4. *Paſtorum ſermo agreſti an urbano*] Duo Pall. *jubet peritos linguæ attendere paſtorum ſermoni, agreſti an urbano propior eſſet.* Etiam tertius *ſermone.*

Cap. 5. *Et immiſſus eques libero curſu in hoſtem invehitur*] Malo cum Thuan. *emiſſus.* Sic lib. 28, 14. *equitatum omnem extemplo in equites emittit:* omnes ſcripti, cum vulgo ſit, *immittit.* Ibidem: *Itaque ut prope ſerum auxilium jam pæne circumventis, ita univerſa requies data eſt.*

Thuan.

Thuan. duo Pall. *ut properum auxilium.* Tertius: *ut non properum.* Scribe ſane: *& emiſſus eques libero curſu in hoſtem invehitur, incompoſitiſque adverſus equeſtrem procellam ſubitum pavorem offundit. Itaque ut non properum auxilium jam pæne circumventis, ita univerſa requies data eſt.* Nec ſum oblitus, *ſerum auxilium*, ſæpe alibi frequentari noſtro. Lib. 28, 25. *nihil reliqui habebant præter non tutiſſimum à malis conſiliis receptum.* hoc eſt, non nimis vel admodum tutum. Nam hoc quoque vitiarant. Sub finem: *& per interregem ea comitia facta.* Sigonius offenſus phraſi ſupponit *habita.* Poſſet legi *acta*, ut infra c. 39. *concilia ſecreta agunt.* Sed noſtris melioribus vox *facta* prorſus exulat, deficiente ſententia: unde ſuſpicor ſcribendum *ea comitia inita.* Nam ad ſenſum aliquid tale requiritur, neque facilius quidquam à præcedentibus literis potuit abſorberi.

Cap. 6. *Tres antiquæ tribus, Ramnenſes, Titienſes, Luceres*] Thuan. Flor. duo regii bonæ notæ: *Ramnes.* Quod reſtituendum puto. Varro lib. 4. de L. L. *Tribuni militũ, quod terni tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Tatienſiũ olim ad exercitum mittebãtur.* Et inferius *ſingulæ tribus Tatienſium, Ramnium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant.* Feſtus; *terdeni equites ex tribus tribubus Titienſium, Ramnium, Lucerum fiebant:* Sic *Taties Ramneſque viri* Propertio, *celſi Ramnes* Perſio, & in Pervigilio Veneris *Ramnes & Quirites.* Nam quod in vet. lib. eſt *ſamnes*, ſciunt qui codices ejuſmodi tractarunt, inter *r* & *ſ* vix quidquam diſcriminis animadverti, atque perperam eam vocem inde conjecturis obnoxiam reddi. *Ramnetum* caſu patrio plurali format Servius ad quintum Æneidos. Pro *habeant* repone ex Thuan. *habebant*: nam de priore con-

ſuetu-

ſuetudine & antiquiſſimis temporibus loquitur.

Cap. 8. *En Romæ unquam fando audiſtis*] Sic quidem unus recentiſſimus noſtrorum: cæteri omnes deficiuntur τῷ *Romæ*, quod adjecit Sigonius. Eſſe autem importunum illud vel ipſa formula, *En unquam*, docere eum poterat, cui niſi verſu coacti interjicere nihil ſolent veteres. Eandem reſtituimus Livio lib. 24, 14. & lib. 30, 22. Vide illic.

Cap. 13. *Vinculumque ingens immodicæ cupiditatis injectum eſt*] Malim *cupiditati*. Vt lib. 3. *terror injectus urbi eſt*. Et paſſim.

Cap. 14. *Samnites deſperantes improviſo tumultu*] Scribe cum Gelenio: *deſperato improviſo tumultu*. nam omnes Mss. *deſperatos*. Lib. 40. *deſperato auxilio ſuorum in deditionem venit*. Lentulus ad Ciceronem 12. famil. *Rhodii nos & rempublicam quam valde deſperaverint, ex literis, quas publice miſi, cognoſces.* Ibidem: *ni ſecunda acies juſſu conſulis in primam ſucceſſiſſet*. Ab ſe fatetur eſſe Sigonius, cum ante eum editi, non modo ſcripti, haberent: *in primum*. Quod certe ſollicitandum nunquam fuit. Lib. 2. *deſiliunt ex equis, provolant in primum, & pro anteſignanis parmas objiciunt*. Vbi Sigonius iterum recitat ex ſuo: *in primum agmen*: ait deinde, utrumque eſſe uſitatum. Non nego, ſed hoc poſterius hic ajo eſſe magiſtri, non Livii. Eodem libro: *ſic in primum infeſtis haſtis provolant duo Fabii.* Lib. 3. *ex equis deſiliunt, cedentibuſque jam ſuis provolant in primum, ſimulque & hoſti ſe opponunt*. Hoc libro. 10. infra: *arma ſignaque per turbidam lucem in primo apparebant*. Lib. 25, 21. *prima legio & ſiniſtra ala in primo inſtructæ*. Sic enim ſcribendũ ex Puteanæo. Vulgo præpoſitio deeſt. Lib. 36.

Levis

Levis armaturæ partem ante vallum in primo locavit. Salluſtius Iugurtha cap. 68. *Equites in primo late, pedites quam arctiſſume ire, & ſigna occultare jubet.* Ignoratio ejuſdem locutionis fecit, ut omnes libri reciperent, *in primo latere.* Nec additamentum eſt τὸ *latere*, ut ſuſpicatur Gruterus, ſed corruptum ex *late*, ut Palmerio & Colero viſum, qui tamen perperã faciunt adverbium, *inprimo.* Iuſtinus lib. 12, 7. *quod in primo ex Perſico ſuperbiæ regiæ more diſtulerat.* Sic enim legendum ex Mss. nec faciendum *inprimo* adverbium, atque excuſandum tanquam verbum antiquarium, quod facit Acidalius. Immo ne *primo* quidem & *primum* adverbia eſſe demonſtrat Paſcaſius Groſippus epiſtola ad Aleandrum. Vbi tamen quod *mallum*, quo Germani explicant quod Itali *voltà* aut Galli *fois*, derivat ab illa ſignificatione, qua convivium notat, non perſuadet. Commodior enim eſt, qua ſignum dicitur idem *mahl* ſive *mallus.* Sic pro *ſemel* dicunt *einmahl*: quaſi uno ſigno, & ſic deinceps. Eodem cap. *terrorque utilis Romanis oblatus fuga formidiniſque Samnites implevit.* Non terror Romanis offerebatur, ſed *error*, putantibus adeſſe alterum conſulem & exercitum, atque eo gaudio exultantibus frementibuſque. Neque excuſare poſſis, quaſi τὸ *Romanis* ad *utilis*, non ad *oblatus* pertineat, vel quia ſequitur, *maxime territos.* Non eſt Livii ſic loqui: *terror fuga & formidinis implevit Samnites territos*, ne. Præterea non hic modo, ſed quivis alius terror hoſtibus injectus utilis foret Romanis, atque ideo otioſum & fatuum illud epitheton. Sed elegans & verum: *errorq; utilis Romanis oblatus.* Nam plerumque error inutilis & damnoſus eſt, præſertim belli, ubi non licet bis peccare: hic autem error, dum putant vincere ſe, vin-

vincere eos fecit: atque eadem res, quæ errori, ſed utili, fuit Romanis, fugæ formidiniſque Samnites implevit, eo inprimis timefactos, quod ipſi laſſis & exhauſtis ſibi viderent cum recentibus & integris fore pugnandum. Non fuit ergo religioni conjecturam talem in contextum licet tacentibus libb. vett. reponere. Cap. 41. *feſellitque non Samnites modo, ſed etiam Romanos, & conſul adfirmavit errorem, clamitans inter prima ſigna, ita ut vox etiam ad hoſtes accideret: captum Cominium, victorem collegam adeſſe.*

Cap. 18. *Romanis in Etruria interim bellum ingens*] Pall. *iterum bellum ingens.* Ibidem: *quoſdam ſpectantes jam arma in Etruria populos.* Iidem: *arma Etruriæ populos.*

Cap. 20. *Vt vix explicare agmen poſſint*] Parum intereſt, ſed Mss. fere: *explicari agmen poſſit.* Lib. 2. *Cum maxime agmen è caſtris explicaretur.* Inferius, *immobile agmen,* quod Sigonius probat, habent ſane ſcripti quidam & Campani editio: ſed nihilo viliores, *ignobile agmen.* Sic & infra: *exercitum itineribus ac mutatione locorum mobiliorem ac ſalubriorem eſſe.* Si *immobile* capias pro impedito, ſegni, poteſt tolerari: alias ſtatarius miles & immobilis in laude apud Livium. Supra: *peditum certamine immobilem hoſtem reſtare: omnem reliquam ſpem in impetu eſſe equitum.* Reponatur *ignobile*: id eſt, non tam armis ornatum, quam præda oneratum, pugnæque & fortium factorum immemor. Eodem cap. *Nam Statium Egnatium ducem &c.* Sigonii liber: *Statium Minatium.* Noſtri amplius: *Stajum Minacium,* idque juſſimus edi. Prius nomen eſt apud Perſium Satyra 2. & in fragmento factorum municipalium: *M. Stajus Flaccus duumvir.* Vnde etiam *Stajenus* & *Inſtejus.* Viſuntur quoque in volumine

mine Inſcriptionum P. *Minacius Auſus* cum P. *Minacio Albino* fratre, aliuſque item *M. Minatius*. Non confundendus cum Stajo Minatio Samnitium duce alter Samnitium dux Gellius Egnatius, de quo & ante Livius & ſequenti.

Cap. 21. *Etruriam concitam in arma & Gellium Egnatium Samnitium ducem & Vmbros ad defectionem vocari*] Qui locus vitii manifeſtus: auctorem enim concitæ Etruriæ & Vmbrorum Gallorumque ſollicitatorum dixit Egnatium Livius. Scribe: *Etruriam concitam in arma per Gellium Egnatium*. Atque ut hic exciderat præpoſitio, ita eadem ſuperſit eodem cap. *juſtitium remittitur, quod fuerat per dies decem & octo*. Nam τὸ *per* Thuan. Pall. aliiſque melioribus abeſt, inſultum ex Sigoniano particularum ipſi Livio omiſſarum perdiligenti conſectatore.

Cap. 30. *Sed ſuperjecere quidam augendo fidem*] Scribendum exiſtimo: *ſed ſuperavere quidam augendo fidem*. neque enim video, quo pertineat τὸ *fidem*. Et *ſuperjicere fidem* ubicumque & *augere fidem* hîc nullo ſenſu dicitur.

Cap. 35. *Armatis ac dimicantibus haud dubiam victoriam eſſe. Qui nudus atque inermis*] Egregie Pall. *armatis dimicantibus*. item: *Qui nudus atque iners*. Nam illud ἀσύνδετον perplacet Livio. Sic lib. 7. *multos populatores agrorum vagos palantes oppreſſit*. Lib. 21. *militari ſagulo opertum humi jacentem*. Eodemque cap. 28. *Tradunt ferociſſimum ex iis irritatum à rectore ſuo, quum refugientem in aquam nantem ſequeretur, traxiſſe gregem*. Sic enim Mss. illic loci. Lib. 25. *& inermes in cubilibus ſuis oppreſſos*. Lib. 38. *Sed tu eos pacatos imperata facientes violaſti*. Lib. 40. *Alius alio leto abſumti ſemianimes è nave præcipitantur*. Vide & ad lib. 27, 16. Alterum ipſa oppo-

oppoſitio probat: reſpondet enim *τὸ nudus τοῖ armatis, τὸ iners τοῖς dimicantibus.* Sic apud Silium erat alicubi vulgo: *dextras jungamus inertes:* antequam recte corrigerent viri docti: *inermes.*

Cap. 35. *Nec ſpe nec animo certiorem*] Quod egregium appellat Sigonius, *fortiorem*, tale eſſe non nego, ſed ſcholion ſive interpretamentum. Nec ſane vetuſtiores libri aliter quam vulgati, *certiorem*. Cæſar lib. 7. de Gall. *generatimque diſtributi in civitates, omnia vada ac ſaltus ejus paludis certis cuſtodiis obtinebant.* id eſt, firmis. Sic apud Ciceronem ad Atticum: *quo ille me certiorem vult eſſe:* pœne eadem ſententia, prohibuimus loco movere Popmam, & reponere *fortiorem*, in Diatribe ad Statii Silvas. Noſter lib. 24, 28. *Si enim uno animo omnes vel ad Romanos vel ad Carthaginienſes inclinent, nullius civitatis ſtatum fortunatiorem gravioremque fore.* Quid eſt *graviorem ſtatum*? Mss. codices plerique omnes *gratiorem*. Puteanæus antiquiſſimus: *creatiorem.* Scribe: *fortunatiorem certioremque fore.*

Cap. 37. *Bis ejuſdem voti damnata reſpublica in religionem venit*] Nemo credo, unquam Latine ſic eſt loquutus: *reſpublica venit in religionem:* aut *damnatus voti venit in religionem, ut hoc faceret.* Exemplo ab uno diſce, ut ſoleat Livius loqui. Lib. 22. *In religionem etiam venit, ædem Concordiæ, quam per ſeditionem militarem biennio ante L. Manlius Prætor in Gallia voviſſet, locatam ad id tempus non eſſe.* Mihi quidem exploratum eſt legi debere: *Cæterum hoc demum anno, ut ædem etiam fieri ſenatus juberet, bis ejuſdem voti damnata republica, in religionem venit.* Nempe poſtquam jam bis reſpublica voto Iovi Statori facto ſervata erat, viſum eſt ſenatui ad religionem

per-

pertinere, ut juſta ædes tam facili deo conderetur.

Cap. 30. *Præter L. Papirium patrem Conſulem*] In veteri codice Fulvii eſt: *patrem cos.* quod explico, *patrem conſulis*. Equidem ſcio Samnites ſæpiſſime à L. Papirio conſule (fuit autem quinquies) prælio victos eſſe: verum victoria illa inprimis nobilis propter arma Samnitium auro argentoque inſignia ab eodem dictatore anno urbis conditæ 444. parta eſt: ad quam reſpicit Livius hoc loco. Dicit enim; *& forte eodem conatu apparatuque omni opulentia inſignium armorum bellum adornaverant.* Et infra: *auream olim atque argenteam Samnitium aciem à parente ſuo occidione occiſam.* Obſervatio Claudii Puteani.

Cap. 46. *Sed ſociis etiam coloniſque finitimis*] Tres Mss. Pall. *locis etiam coloniiſque finitimis.*

AD
LIB. XXI.

EPIT. *Belli Punici ſecundi acta narrantur*] Acta hujus belli totis decem libris narrantur, non hoc primo ſolum. Commodius ergo, quod erat in cod. Barberino: *belli Punici ſecundi ortus.*

Cap. 2. *Ob altam indolem profecto animi adſcitus*] Hæc vett. libb. conſtans eſt ſcriptura, quam defendi 3. obſerv. 8.

Cap. 3. *Actaque res in ſenatu etiam fuerat*] Verbum ſubſtantivum melioribus aberat, & tranſpoſitæ voces: *actaque res etiam in ſenatu, Barchinis.* Dein conſenſu omnes: *adſueſcere li-*

bidi-

bidini prætorum; non *imperatorum*. Cicero lib. 1. de invent. *Epaminondas Thebanorum imperator, ei, qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, exercitum non tradit.* Ad quem Marius Victorinus: *Deinde notare debemus omnes magiſtratus & pratores & imperatores appellatos: ut hic, ei qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat: cum imperatori ſuccedere debeat imperator.* Non aliter Andreæ atque Aldi editiones.

Cap. 4. *Vt pater in ſe minimum*] Monuimus ita legendum eſſe lib. 1. obſer. 6. & confirmant omnes alii ſcripti. Qui etiam: *princeps in prælium ibat.* Mox utique meliores: *agenda videndaque,* non *audendaque. Videre* eſt providere. Cicero ad Atticum: *anteceſſerat Statius, ut prandium nobis videret.*

Cap. 5. *Hermandica & Arbacala Cartejorum urbes*] Immo Vaccæorum, ut ex Polybio monet Sigonius. Menardinus & unus è Pall. exterminant dubiam vocem. Poſſes alias: *Hermandica & Arbacala eorum urbes.* nempe Vaccæorum, de quibus ante ſermo. Quæ ſuperſunt literæ, ex cauda vocis præcedētis natæ. Eodem cap. *amnem vado trajecit* o. Mss. non *agmen.* idque, ut ſæpe Livio uſurpatum, recepimus. Statim ita diſtinguendum: *Equitibus præcepit, ut quum ingreſſos aquam viderent, adorirentur. Peditum agmen in ripa, elephantos ante quadraginta diſpoſuit.* Vt pedites Annibalis intelligantur, atque idipſum peditum agmen reſpiciat τὸ *ante.* Neque ſupponendum *ad*, quod voluit Sigonius. Polybius: τὸ μὲν πλεῖστον αὐτῶν μέρος διεφθάρη περὶ τὰς ἐκβάσεις, παραπορευομένων τῶν θηρίων παρὰ τὸ χεῖλος· καὶ τοὺς ἐκβαίνοντας ἀεὶ προκαταλαβόντων.

Cap. 8. *Per occaſionem partis alterius cenſeri ſa-*

ſolent] Scripſimus cum Andreana Aldinaque *conſeri*. nam calamo exarati fere leviter in hac voce corrupti: *conſciri*. Lib. 25, 11. *non ſine illa etiam ſpe, cum prohibentibus opus Romanis manum poſſe conſeri.* Ita Put. & antiquior Petavianus. Vulgo, *ulla*.

Cap. 10. *Cauſſam fœderis rupti*] Poſtrema vox exſulat omnibus ſcriptis. Mox recepimus veriſſimam Rubenii conjecturam: *magno ſilentio propter auctoritatem ſuam, non adſenſum audientium egit.* quam plumbeo pugione oppugnans vir doctus nihil agit. *Audientium* vult eſſe aliorum præter ſenatum. Quinam vero illi? Certe apud milites quoque & plebem factionis Barchinæ plus quam modicas opes fuiſſe teſtis ante Livius. Neque gloſſema ſubeſt, ut ſuſpicatur Gruterus. Lib. 3. *quum Scaptium non ſilentio modo, ſed cum adſenſu audiri animadvertiſſent*. Eodem cap. lege cum Valla: *tam efferatarum gentium*: non *effrenatarum*.

Cap. 11. *Itaque antequam caderetur, ruebat*] Ridiculum. Quanto verius tres Pall. *Itaque latius, quam caderetur, ruebat.* Eadem nempe labes continentia diſſolvebat & trahebat in ſuam ruinam.

Cap. 20. *Animi conciliarentur*] Put. *concilientur.* Et, *jam Iberum Pœnos tramiſiſſe*, non *tranſiſſe*. Ibidem paullo ante videtur ſcribendum: *cum cura ac fide cognitum, præoccupatos.*

Cap. 21. *Aut finiendam vobis militiam*] Put. *nobis*. Inferius idem: *valido præſidio firmaret eam ſtatuit*. Scribe: *firmare & eam ſtatuit.*

Cap. 25. *Nec, dum per patentia loca ducebatur agmen, quum apparuit hoſtis*] Recte τὸ *quum* delet Sigonius. Idem præter neceſſitatem & contra vett. libros particulam *inde* inſerit ibi: *Finis & Gallis territandi.*

Cap.

Cap. 26. *Et eos ipſos, quorum ſedes tenuerat*] Profectum hoc ab Sigonio, cum eſſet olim: *& eos ipſos, qui ipſas ſedes tenuerant.* Quomodo fere & ſcripti, niſi quod plures ignorent τὸ *ipſas.* Pal. unus & Andinus: *& eorum ipſorum, quos ſedes tenuerant.* Hinc forma verum: *Cæteros accolas fluminis Annibal, & eorum ipſorum qui ſedes tenuerant, ſimul perlicit donis.* Qui eorum ipſorum, nempe Volcarum, non deſeruerant citeriorem Rhodani ripam, neque trajecerant cum aliis generis ſuæ. Cæteros, ait, præter Volcas, & ex Volcis ipſis, qui eorum remanſerant. Lib. 23. *neminem niſi equitem, atque eorum ipſorum primores id gerere inſigne.* Mox pro, *equitiviriſque obtinentes*, quod ſatis uſitatum Livio, ſcripti omnes cum Andreana Aldinaque: *equites virique obtinentes*: quem conſenſum ſpernere non ſum auſus, cum præſertim æque eleganter dicatur.

Cap. 38. *Cæterum magis conſtat ratibus trajectos*] Verba, *magis conſtat*, de explicatione alicujus hic quidem in contextum irrepſiſſe arbitror: adeo non modo ſine illis ſententia conſtat, ſed etiam per illa multum perdit rotunditatis. Paullo ante omnes ſcripti & editi veteres: *variata memoria eſt actæ rei.*

Cap. 29. *Victores ad centum ſexaginta*] Polybius lib. 3. ὥστε τῶν Ῥωμαίων καὶ Κελτῶν εἰς ἑκατὸν ἱππεῖς καὶ τετταράκοντα διαφθαρῆναι, τῶν δὲ Νομάδων ὑπὲρ τοὺς διακοσίους. Scribe igitur: *ad centum quadraginta.* Facilis error in numeris. Nomen reguli Gallici variat in ſcriptis: *Malcali, Machali, Macali.* Quare putem *Magali* ſcribendum. Polybius *Magilum* vocat. Cæterum hæ literæ commutantur ſæpe in Barbaricis nominibus. Vt in *Maſiniſſa*, & *Maſaniſſa*, *Mithridates* & *Mitradates*, Ἀνδοβάλης & *Indibilis*, *Hampſicora* & *Hampſagoras.* Cap.

Cap. 30. *Quarum alterum latus Italiæ*] Put. & ſcripti : *Italiæ*. Nempe τὸ *latus*, quaſi bis poſitum, intelligendum. Mox *Pyrenæi jugis*, non *Pyrenæis* : idem Puteanæus, antiquiſſimus omnium tota Europa ad hoc uſque viſorum, à cujus lectionibus nunquam facile recedendum.

Cap. 31. *copiaque rerum omnium & veſtimentis eſt adjutus*] Scripti o. *veſtis*. Quod Latinius eſt, ut ſciunt etiam tirones. Pendet autem ea vox à voce *copia*. Cicero in Verr. *argenti veſtiſque ſtragulæ quod fuerit, curaſſe auferendum.* Iterum: *plurimam veſtem Melitenſem, plurimam ſtragulam.* Noſter lib. 31. *Aurum & argentum in forum deferri, veſtem pretioſam in naves.* Lib. 44. *quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibuſque muneribus principes advenientes, veſtis, argenti equorumque excepturus rex eſſet.*

Cap. 32. *Ad mare ad naves redit*] Scripti : *ad mare ac naves.* lib. 22. *tumultuſque prius in terra quam ad mare & ad naves eſt ortus.* lib. 25. *Atinio cum ſuis ad mare ac naves deducto.* Mox : *ad tuendos tantummodo* : omnes, non *tutandos.*

Cap. 33. *Suoque ipſo tumultu Annibalis*] Lego de conjectura : *ſuoque ipſorum tumultu.* ut lib. 5. *terga cæſa ſuomet ipſorum certamine.* Ibidem veteres : *tumultum ac trepidationem.* non *ad.* Rurſum ex iiſdem adjecta particula ſcribimus : *ſuis quoque tumultum auxit*, Sub finem à Valla eſt: *& captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit*: cum libri haberent : *ut captivo à pecoribus.* Equidem malim *captivis pecoribus.* Neque enim *captiva pecora* inſolentius quam *captiva arma*, lib. 7. *agaſones partim captivis partim agrorum armis ornatos imponit.* Lib. 10. *pars captiva navigia armatis complent.* Lib. 44. *Summam omnis captivi auri argentique tranſlati.* Cap.

Cap. 34. *Niſi firmata extrema agmina fuiſſent*] Scripti *agminis* & ſic Laurentius citat. *Agmen* pro toto exercitu. Lib. 22. *ſequi Gallos, ut id agminis medium eſſet.* Ibidem requirit Latinitas: *nam quum contaretur.*

Cap. 35. *Vt pleraque Alpium ab Italia ſicut breviora ita arctiora ſunt*] Duo Pall. *ſicut breviora, ita adrectiora ſunt.* quod forte nón ſpernendum.

Cap. 36. *Terra lapſu in pedum mille admodum*] Ab Laurentio Valla eſt hæc lectio, neque propius potuit accedi ad vett. libb. in quibus: *impeditus dum ille.* Sigonius tamen eam rejicit, quia ex hac emendatione nihil de anguſtia loci poſſit elici. Neque debebat: ſatis eſt enim periodo præcedenti monuiſſe de illa Livium. Quod autem oggerit ille: *impeditus in miram admodum:* à mala manu eſt, neque invenitur niſi in recentiſſimis & interpolatis codicibus. Auctór ejus in mente habuit Ciceronis in quinta Vertina: *ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo.* Ego vero amplector Vallæ reſtitutionem, cum præſertim Polybius eam firmet: *σχεδὸν ἐπὶ τρία ἡμιστάδια τῆς γῆς ἀποῤῥῶγος καὶ πρὸ τοῦ μὲν οὔσης, τότε δὲ καὶ μᾶλλον ἔτι προσφάτως ἀπεῤῥωγυίας.* Viri ſummi interpretatio: *in pedes fere centum nonaginta.* Atqui tot paſſus & amplius faciunt tria *ἡμιστάδια.* Sunt autem ſingula trecentenum pedum. Sic ergo jam olim *nongentenum pedum,* altitudine fuiſſe illud abruptum, tunc autem recenti lapſu etiam plurium, ait Polybius: *mille admodum* Livius: quid proximius? Superius hoc libro c. 28. ratis deſcribitur, qua trans Rhodanum vecti elephanti, *ducentos longa pedes,* Polybio *δύο πλέθρα·* quæ plane conveniunt ſi *πλέθρον* eſt centum pedum, ſeu ſexta pars ſtadii, *δίπλε-*

θρον

θρου triens ejuſdem. At vir ſummus vertit, *jugera duo*: qua ratione, cum jugerum ad minimum ſit pedum ducentorum, quadringentos pedes voluerit Polybius: id quod veriſimile non eſt. Sequenti capite tres Pall. *Inferiora*, unus etiam *vallis*.

Cap. 38. *Maximus auctor moveret me*] Qui ſic referunt, libri, eos oportet eſſe Sigonianos, id eſt, non optimos. Nam omnes noſtri, *maxime*: conjungendumque hoc adverbium cum verbo *moveret*. Poſt paullo, quæ Glareanum & Sigonium exercuerunt, ita formamus: *triginta ſex millia hominum ingentemque numerum equorum & aliorum jumentorum amiſſa, Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam degreſſo*. nempe Annibali. Duo autem hac brevitate ſermonis ſignificantur: &, tantum hominum magnumque jumentorum numerum amiſſum, & per Taurinos in Italiam ventum: ne quis ita accipiat, quaſi dum tranſit per Taurinos montes, id damnum fecerit. Mox: *utique quum quæ ad Peninum ferant*: o. Mss. deſtituuntur τῷ *quum*, & pro *ferant* plures *fuerunt*. Scribe ergo: *utique quæ ad Peninum ferunt, obſepta gentibus ſemigermanis fuiſſent*.

Cap. 39. *Quia volens in amicitiam non veniebat*] Cur maluerunt hoc, quam quod omnes ſervant veteres, *volentis*. nempe Annibalis. Polybius: τὸ μὲν πρῶτον αὐτοὺς εἰς φιλίαν προὐκαλεῖτο καὶ συμμαχίαν. Infra hoc libro: *quibuſdam volentibus res novas fore*. Neque ſecus Andreana & Aldina editio.

Cap. 40. *Ad Rhodanum flumen egregie viciſſent*] Conſiderandum quod Pal. unus: *flumen non ægre viciſſent*. Ibidem: *qui plures pœne perierint quam ſuperſint*. Rubenius, *plane*. Scripti nihil mutant, ſed ſcribi vult ratio manifeſto: *quum plures*

pœne

pæne perierint quam ſuperſunt. Porro tres Pall. *prauſti artus*. Vt fere Silius vocans hoſtem *fractūm ambuſtumque nivoſis Cautibus*.

Cap. 41. *Domum certe pacemque & fœdera Amilcaris ſcripta manu*] Recte Sigonius: *patremque*. Sic Andreas pariter atque Aldus. Et ſignificant duo Pall. *partemque* exhibendo. At perperam ibidem Sigonius: *tutelæ noſtra addiximus*. Nemo veterum ſic loquitur. Lib. 22. *gratum ſibi Patres Romanos populumque facturum, ſi omnes res Neapolitanorum ſuas duxiſſent*.

Cap. 24. *Vinctos in medio conſtituit*] Puteanæus, in quo ſuperiora, præter pauca admodum, damno noſtro & Livii deſunt, dehinc nos juvabit. Is igitur: *in medio ſtatuit*. Plautus Bacchid. *Quoniam ſentio, Quæ res gereretur, navem extemplo ſtatuimus*. Mox idem cum uno Pal. *juſſit, etquis, ſi vinculis*. Sic veteres pro *ecquis*. Item: *quem fortuna in id certamen legeret*, Put. & tres Pall.

Cap. 43. *Hic vobis vincendum aut moriendum*] Put. caret τῷ *vobis*. Idem: *id omne veſtrum cum ipſis dominis*: non *noſtrum*. Dein: *difficilem exiſtimaritis victoriam*. Tum: *quid eſt cur illi vobis comparandi*. In hujuſmodi minutiis ſemper eum ſtuduimus ſequi, neque tamen in recitis his annotationibus id ubique monebimus, ne nimis excreſcant. Sic rurſus idem: *certe eductum*, non *educatum*. Ibidem. *tum laudaſtis, me milites, donaſtis*. Rubenius: *donati eſtis*. Vir multæ lectionis: *Dum laudaſtis me, milites, educaſtis*. Puteanæus codex: *tum laudatis me miliens donatiſque*. Quum vulgata ſine controverſia ſit corrupta, nihil propius ex ſcriptura veteri potui extricare, quam quod edi juſſi: *Non ego illud parvi æſtimo, milites, quod nemo veſtrum eſt, cujus non ante oculos ipſe*

ipſe ſæpe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis ſpectator ac teſtis, notata temporibus locisque referre ſua poſsim decora, mecum laudatis millies donatiſque. Loquitur de ſe ut milite, nondum ut imperatore: cum illis ſe adoleviſſe, illis videntibus fortia facta patraſſe, illos patrantes vidiſſe, pariter cum illis ab Aſdrubale communi imperatore laude & donis pro egregia opera ornatum eſſe, illoſque ſecum. Vt ſolebat fieri. lib. 25. de Criſpino: *laudatuſque ibi magnifice & donis donatus.* lib. 38. *laudati quoque pro concione omnes ſunt, donatique pro merito quiſque.* Lib. 39. *Pro concione poſtero die laudati donatique equites phaleris.* lib. 42. *pro concione laudati, duceſque eorum etiam virtutis cauſſa donati.* Et ſæpe alibi. Ne quem offendat ſyllepſis, numerus reſpondet utrique membro: *cujus non ante,* & *cui non idem ego:* caſus propiori *cui.* Hanc omnino veram eſſe lectionem exiſtimo.

Cap. 44. *Major ſpes majorque animus inferentis eſt*] Debuit legi: *quo major ſpes, major eſt animus inferentis vim quam arcentis:* ut habent Put. & Pall. Sed & idem Put. *tanto audacius fortiuſque pugnaturi, quam hoſtis, quanto.* Quæ duo verba, ſintne ſuperflua & ex gloſſemate, nondum decrevi. In eadem concione Annibalis quæ deinde mutavimus, adſeruimus peculiari capite in libris obſervationum. Paullo poſt: *illis timidis & ignavis licet eſſe, qui receptum habent.* Optimus codicum plane: *qui reſpectum habent.* i. qui habent quo reſpiciant & fiduciæ &, ſi res exigat, auxilii gratia. Lib. 27. *hoſti jam undique pulſo, nec ubi conſiſteret, nec quid fidum reſpiceret, habenti.* Sic utitur eadem phraſi Cicero 11. Philipp. *ni Brutum colligaſſemus in Græcia, & ejus auxilium ad Italiam vergere quam ad Aſiam maluiſſemus, non*

ut ex ea acie reſpectum habeamus, ſed ut ipſa acies ſubſidium haberet etiam tranſmarinum. Philip. 10. *Quod qui ab illo abducit exercitum, & reſpectum pulcherrimum & præſidium firmiſſimum adimit reipublicæ.* Phil. 5. de Cæſare: *quum reſpectum ad ſenatum & ad bonos non haberet.* hoc eſt, quum de optimatium favore ipſe popularē levitatem ſectatus nihil ſibi ſpondere poſſet. Non vult enim, nullam habitam à Cæſare ſenatus & reipublicæ ſtudioſorum rationem, hos ab eo contemtos, ut Schottus interpretatur. Nā quod ſequitur, *eam ſibi viam ipſe patefecit ad opes ſuas amplificandas, quam virtus populi ferre non poſſet:* quæ eſt illa via niſi vis armata & victoria è bello civili? Ad quam adactum ſignificat, quod à bonis & ſenatu privatus nihil boni exſpectaret. Ibidem inferius: *nullum incitamentum ad vincendum.* Vallæ conjectura hæc eſt. Vetus editio: *nullum contemtu ad vincendum homini à diis immortalibus acrius telum datum eſt.* Sed illud *telum* in Mss. nullum habet veſtigium ſui. Put. *contemptum.* Regius, etſi non nimis antiquus, notæ tamen haud malæ: *conpempſum.* Itaque ſubit conjicere: *nullum compendium ad vincendum homini ab diis.* nam ita quoque Put. *Compendium* foret compendiaria via. Hæreo tamen.

Cap. 46. *Iam magna ex parte anceps pugna erat*] Put. *ex parte addes pugna vierat.* Inde vulgatum ſtruxerunt acuti librarii, cum debuiſſent: *ad pedes pugna iverat.* vel, *venerat.* Didicimus ex Polybio, unde tranſtulit hanc quoque partem hiſtoriæ Livius: ὁμοῦ γὰρ ἦν ἱππομαχία καὶ πεζομαχία διὰ τὸ πλῆθος τῶν παραβαινόντων ἀνδρῶν ἐν αὐτῇ τῇ μάχῃ. Noſter lib. 3. *peditem ne ad pedes degreſſo equiti parem eſſe.* Lib. 4. *tuo conſilio equitem ad pedes deduxeris.* lib. 22.

juſſiſſe

juſſiſſe conſulem ad pedes deſcendere equites. lib. 29. *Itaque omiſſa pugna equeſtri ad pedes Hiſpani equites deſcenderunt.* Ita namque recte ex Mss. Rhenanus & Sigonius, quamquam cum hoc vocem *equites* delere nolim. Lib. 38. *equitatum ad pedes deductum, decem millia hominum, ab dextro locaverunt cornu.* Cæſar lib. 4. de bello Gall. *conſuetudine ſua ad pedes deſiluerunt.*

Cap. 47. *Tamen aliquot moratorum in citeriore ripa ſegniter*] Putean. *citeriore rapadi.* Scribe: *citeriore ripa Padi.* Immo potius cum Salmaſio: *citeriore ora Padi.* Deinde pro *aliquot* idem Put. ſed præterea Reg. Petav. Menardi, *adhac.* Qua in voce haud dubie latet numerus oppreſſorum. Polybius: τοὺς δὲ φυλάττοντας τὴν γέφυραν ἔτι περὶ τὸν ποταμὸν ὑπολειπομένους, τούτων μὲν ἐγκρατὴς ἐγένετο, σχεδὸν ἑξακοσίων ὄντων τὸν ἀριθμόν. Refinge: *tamen ad ſexcentos moratorum in citeriore ripa Padi ſigniter ratem ſolventes cepit.* Scriptus fuit numerus per notas *D.C.* Niſi apud Polybium ἑξήκοντα legendum & *LX.* ſcripſit Livius. Infra: *paucos moratorum occiderunt citra flumen interceptos.* Curtius lib. 4. *Sed Perſarum moratores erant mille ferme, qui ſpeciem magni agminis fecerant.* Sic enim non modo membranæ Modianæ & Gruteri, unde ſcripturam hanc nimis ſpretam Modio olim adſerebamus, ſed etiam tres optimi & antiquiſſimi Mediceorum. Etſi autem *moratores* tunc accipiebam, qui morarentur alios, ut tribunum *publici boni moratorem* apud noſtrum legere eſt: malui tamen dudum (quod & uni amicorum noſtrorum non ingratiis meis viſum animadverto) *moratores* intelligi, qui morantur ſeipſos, moras nectunt. Livius lib. 24. *ad duo millia aut moratorum aut palantium per agros interfecta.* Mox: *ut*

extrema ſoluta erant : intellige, poſtquam vel ſimulatque ſoluta erant : ne auſcultes Sigonio *quod* reponenti. Statim Put. *flumen extemplo tranſnaſſe*. non *tranſnataſſe*. Ibidem : *Ea periti amnis ejus vix fecerint*. Præclara reſtitutio hujus loci ſoli debetur Puteanæo : *Ea peritis amnis ejus vix fidem fecerint*. Recentiores omnes corrupti. Phraſis nota, ſed ut magis intelligas ſubaudi τὸ *ſui*. Ea vix fidem fecerint ſui, id eſt, vix ſe probaverint, probata fuerint.

Cap. 48. *Vexationem vulneris in via jactantis*] Eſt inter commentatores, qui *jactantis* explicat jactati, ut *tondenti* apud Virgilium, *lavanti regi* apud noſtrum. Sed melius Put. *jactanti*, ut cum *via* conjungatur. Lib. 29, 32. *Vbi primum ducta cicatrix pati poſſe viſa jactationem, audacia ingenti pergit ire ad regnum repetendum*. Sic volunt Mss. lib. 30. *ſimul ſperans leviorem in navigatione, quam in via, jactationem vulneris fore*. Curtius lib. 6. *jactationem vulnerum haud facile tolerantem*. Mox etiam plures codd. *jam enim & revocatum*. Propius finem : *nummis aureis quadringentis datis P. Brundunſino præfecto præſidii corrupto*. Otioſum eſt illud *datis*. Optimus liber: *Daſiro Brunduſino*. Scribe : *Daſio Brunduſino*. Quod nomen occurret & inferius.

Cap. 49. *Perque omnem oram qui erant ex ſpeculis proſpicerent*] τὸ *erant* in nullis Mss. reperitur. Quare pronomen additamentum puto, ſcripſiſſe autem Livium : *perque omnem oram ex ſpeculis proſpicerent*. nempe cuſtodes ad id deſtinati. Ibidem prænomen prætoris omiſſum : nam Put. *rex Meſſanæ, M. Æmilio prætori*.

Cap. 50. *Nam, ut ſociis navalibus affatim inſtructam claſſem*] Put. Petav. Reg. Men. duo Pall. *navalibus adſatim minus inſtructam*. De quo

quid

quid ſentiendum, probabiliter diximus in Obſer-vationibus. Mox omnes: *ſicubi conſerta navis eſſet.* nempe ad pugnam. non *manus*. Curtius lib. 4. *neque enim conſerta navigia ulla ope in turbido regi poterant.* Eodem cap. meliores: *grande periculum Lilybæo maritimiſque civitatibus eſſe, & quibuſdam.* Non *Lilybæorum*, quod ne Latinum quidem eſt. *Lilybatanos* dicunt.

Cap. 51. *Excurſio hoſtium in agrum Vibonenſem*] *Exſcenſio* boni libri, ut indicavit è ſuo Lipſius. Vt & ſequenti: *incompoſitos adhoc caravis præda pleroſque quum inopinatos.* unde veriſſime *gravis* vel *graves*, quod quidem totidem literis Regius & unus è Pall. habent, Lipſius. Lib. 27. *palatos paſſim per agros graveſque præda, ut qui nihil tale metuerent, adortus.* Eodem cap. *ad liberandos eos.*

Cap. 53. *Reſtitutos ac refectos militum animos*] Scripti, *militibus.* Inferius hoc capite: *ſed quum alterius ingenium:* deeſt omnibus τὸ *ſed*, moxque præpoſitio *ex*. Iidem: *ſollicitus intentuſque erat.* Item: *ab domo traherentur.* Galli ſcilicet. Vt & ſtatim: *ad ea exploranda quæ vellent.*

Cap. 54. *Vbi ad equites quoque tegendos ſatis latebroſum*] Quis non putet à correctoribus eſſe, ſi comparetur cum lectione non ſpernendorum Mss. *ubi equiti quoque tegendo ſatis latebroſum.* Put. tamen & meliores Gallici vulgatum ſervant: eoque nihil mutandum cenſeo. Ibidem: *Ita præconium miſſum.* Id eſt, miſſi præcones, qui delectos citarent, inquit nonnemo. Scio illud lib. 2. *præcones dimittuntur, qui omnes eos proficiſci ante noctem juberent.* Cæſar lib. 5. de Gall. *præconibuſque circummiſſis pronuntiari jubent.* Sed tamen haud video, quis hic fuerit uſus præconum, cum

legeret Mago, quos ad furtum belli ſeu inſidias ſecum duceret. Puteanæus & quiſque antiquior: *Ita prætorium miſſum.* hoc eſt, ea ſententia, eo decreto diſceſſum eſt. *Dimitti* vel *mitti prætorium* dicitur, cùm tribuni, centuriones, ſigniferi, illive qui aut conſilium participant aut circa prætorium ad imperia excipienda teſſeraſque præſto ſunt, ſuprema tempeſtate ad corpora curanda dimittuntur. Sic lib. 30. *tribunis edicit, ut ubi prætorio dimiſſo ſigna concinuiſſent, extemplo caſtris educerent legiones.* Lib. 37. *Priuſquam prætorium dimitteret, denuntiavit, ut ante lucem armati paratique eſſent.* Lib. 35. *Ex conſilio ita diſceſſum eſt, ut bellum gereretur.* Cæſar lib. 1. de civili: *illud extremum atque ultimum ſenatuſconſultum, quo niſi in ipſo urbis incendio atque deſperatione omnium ſalutis nunquam ante diſceſſum eſt.* Meminerit lector ita reſtituere in Livio: eſt enim elegans hæc & veriſſima emendatio. Ex qua diſcet hoc quoque, non abſimili Latinis loquendi genere dici in Germania *Reichs-abſcheide*, quæ in comitiis imperii placuerunt. Hæc annotaveram, quum emendationem Livii patremque cæterorum præcepiſſe vidi Lipſium: eum adi lib. 2. de militia dialogo 2. Eodem cap. inferius: *omnes copias ad deſtinatum locum jam ante conſilio:* relegant omnes veteres τὸ *locum*: nec habuit Vallæ codex, qui cenſet *ad deſtinatum* dici, ut ante, *ex propinquo*. Adſentior: ſic *ad conſtitutum*, *ad condictum*, lib. 38, 26. *ab deſtinatum petentibus.* Mox etiam: *ad hoc raptim e lectr.* non *adhac*. Denique ibidem: *rigere omnibus corpora, ut vix armorum tenendorum potentia eſſent, & ſimul procedente jam die, fame etiam deficere.* Ab ingenio Vallæ lectio, cum prius haberetur: *potentia eſſet & ſimilitudine* pro-

procedente jam die. A quo nihil differunt Puteanæus & melioris notæ libri. Dederat & aliam conjecturam Laurentius *: potentia eſſent, & laſſitudine.* A quo parum diſcedunt Regius: *etſi laſſitudine :* & Pal. unus*: ex laſſitudine.* Sed ea conjectorum, quibus ſpero nos fore feliciores. Polybius, quem vertit Livius *:* ἐξ ὧν ἐκακοπάθει τὸ στρατόπεδον ὑπό τε τοῦ ψύχους καὶ τῆς ἐνδείας, ὡς ἂν ἤδη τῆς ἡμέρας προβαινούσης. Quamvis *famis* meminit noſter, tamen aliquid latet in τῷ *ſimilitudine*, quo reddere illuſtrius voluit τὸ τῆς ἐνδείας, & explicandum eſt hoc modo: *ſimul jejuni.* Præterea ſuſpicor *potentia* factum ex *potentis*, quæ vetus erat ſcriptura pro *potentes*, ut ad ipſos Romanos referatur. *Tum utique egreſſis rigere omnibus corpora, ut vix armorum tenendorum potentes eſſent ; ſimul jejuni, procedente jam die, fame etiam deficere.* Infra *: contra jejuna feſſaque corpora Romanis & rigentia gelu torpebant.* Lib. 28. *& procedente jam die vires etiam deficere Aſdrubalis exercitum cœperant, oppreſſos matutino tumultu, coactoſque priuſquam cibo corpora firmarent, raptim in aciem exire.* Si tamen utique *potentia* malis, non vetabo.

Cap. 55. *In utramque partem diviſos elephantos*] Omnes *diverſos*. Sed facile hæc duo confunduntur, & Polybius : τὰ δὲ θηρία μερίσας. At in illo *: feſſi Romani pleriſque integris Pœnis :* obſequuti Sigonio ſumus, volentibus tamen omnibus vett. libb. & delevimus τὰ *Romani* & *Pœnis*.

Cap. 56. *Eos pedites ad id ipſum locati, verutis conjectis*] Præclare Puteanæus *: eos velites ad id ipſum.* Propria horum cum elephantis pugna. Polybius lib. 1. de prælio M. Attilii Reguli & Xanthippi *:* καὶ προορώμενοι τὴν τῶν ἐλε-

φάντων ἔφοδον, προθέμενοι τοὺς γροσφομάχους. Eodemque libro: τινὰς μὲν τῶν εὐκινήτων περὶ τοῦ τείχους καὶ τῆς τάφρου παρέβαλε. περιστίξας ἂν ἐγγίζῃ τὰ θηρία περὶ αὐτοὺς, χρῆσθαι τοῖς βέλεσιν ἀφθόνως. quæ & mox πυκνοῖς τοῖς ὑσσοῖς καὶ τοῖς γρόσφοις ait confixa. Lib. 28. *elephanti etiam tumultuoſo genere pugnæ equitum velitumque & levis armaturæ conſternati*. Lib. 30. *Pauca tamen beſtiarum intrepide in hoſtem acta inter velitum ordines jam multis ſuis vulneribus ſtragem edebant. reſilientes enim ad manipulos velites, quum viam elephantis, ne obtererentur, feciſſent, in eos ancipites ad ictum utrimque conjiciebant haſtas.* Vegetius lib. 3, 24. *Præcipue tamen velites antiqui adverſum elephantes ordinarunt*, &c. Iſidorus 9. Orig. 3. *Ab his velitibus elephanti quondam Annibalis retro acti, quum regi jam à ſuis non poſſent, fabrili ſcalpro inter aures adacto necabantur.* Ibidem: *quum alias evadere nequiviſſent.* Scribe: *alia*. nempe via. Vt lib. 43. *& tranſitus ea eſt in Labeates*. lib. 44. *alii alia in civitates ſuas dilapſi ſunt*. Deinde ex iis: *præſidium Romanorum caſtrorum*. Put. & Reg. non habent mediam vocem, & ſatis commode exeſſe poteſt.

Cap. 57. *Romam tantus terror ex hac clade perlatus eſt, ut jam ad urbem Romam*] Put. *ad urbem Romanam*: ſed rectius puto, vocem *Romam* omnino deleri. Ibidem Put. & regius: *legiones eſſe, quæ arceſſantur.* Porro ad illa: *vagantibus paſſim Numidis equitibus & quæ his impeditiora erant, Celtiberis Luſitaniſque*: mirare, ſi lubet, doctiſſimos viros Glareanum & Sigonium. Scripſimus: *qua*. Ait enim paſſim vagatos fuiſſe Numidas, & ubi loca erant impeditiora Numidis, qua vagari Numidæ ob aſperitatem locorum non

poſ-

poſſent, ea vagatos Celtiberos Luſitanoſque. Cauſſã habes infra libro ſequenti cap. 18. *niſi Hiſpanorum cohors ad id ipſum miſſa ab Annibale ſuperveniſſet. ea adſuetior montibus ad concurſandum inter ſaxa rupeſque aptior ac levior, cum velocitate corporum, tum armorum habitu, campeſtrem hoſtem, gravem armis ſtatariumque, pugnæ genere facile eluſit.* Ita enim legendum, non *perveniſſent.* Plutarchus in Fabio, quaſi vertens Livium: ἕως παρ' Ἀννίβου τῶν ὀρειβατεῖν δεινῶν Ἰβήρων ἄνδρες ἐλαφροὶ καὶ ποδώκεις, πεμφθέντες ἀπὸ τοῦ στόματος, εἰς βαρεῖς ὁπλίτας τοὺς Ῥωμαίους ἐνέβαλον. Talem deſcribit ipſorum patriam lib. 28. *impediebant & aſperitates viarum & anguſtiæ ſaltibus crebris, ut pleraque Hiſpaniæ ſunt, incluſæ.* Mox: *Emporium prope Placentiam fuit & opere magno munitum & valido firmatum præſidio:* non eſt illorum, quos Valla culpat, ſed ipſius Livii, probatum Sigoniano, Puteanæo ante illorum tritavos natos ſcripto, Reg. Pal. & optimo ac vetuſtiſſimo cuique. Sic lib. 22. *urbem Romam muniant, ac priuſquam hoſtis victor adveniat, præſidiis firment.* lib. 24. *præſidiis firmat horrea publica. locus ſaxo quadrato ſeptus atque arcis in modum emunitus.* lib. 28. *parte alia ab terra egregie munitum præſidioque valido firmatum.* lib. 31. *valida ea civitas & mœnibus & firmo erat præſidio.* lib. 42. *Itaque & firmiore id præſidio tutum equitum peditumque, ad hoc foſſa triplici ac vallo munitum reliquit.* lib. 44. *Ideo quum munimentis ea ſepſiſſent, præſidio quoque valido firmabant.* Toties & pluribus locis imitatur ſe Livius. Valla inveniebat in libro ſuo ut etiam eſt in Aldina: *& opere magno munitum & valido munitum præſidio.* Corrigebat *munitum* poſterius in *militum*, & reprehendebat eos, qui ſubdidiſſent, *fir-*

matum. Nullo jure, uti diximus: ſed unde nobis ſciolum, à cujus manu vulgatæ: *& opere valido & magno munitum præſidio*. Videtur enim ignoraſſe, quid eſſet, *opere magno munitum*. Cato apud Feſtum: *quibus villa atque ædes ædificata atque expolita maximo opere*. Seneca epiſt. 55. *Speluncæ ſunt duæ, magni operis*. Noſter lib. 38. *magni operis oppugnatio viſa eſt*. In contrarium lib. 26. *quum tam parvi operis munitio eſſet*. Eodem libro: *nam neque opere munitus erat, nec ulla armatorum ſtatio oppoſita*. Et rurſus lib. 28. *partem neque opere ullo munitam & defenſoribus vacuam*. Ibidem Put. *Magis agmina quam acies in via concurrerunt*.

Cap. 58. *Tranſeuntem autem Appenninum*] Particulam, Sigonii additamentum, omnibus bonis libris ignoratam reſecui. Ibidem pro illo: *gelida montium cacumina*: Putean. & reg. *gelida montium juga*. cujus alterum haud dubie interpretamentum. Put. quoque *ſe quiſque extollere ac levare*.

Cap. 59. *Sed perculſos hoſtes in caſtra*] Sigonius, *pulſos*, & confirmant noſtri. Ibidem, *de his caſtris erupit*, etſi habeant omnes ſcripti, tamen certum eſt corruptum eſſe pro *mediis caſtris erupit*; ut vidit Lipſius. Sed non æque bona avi idem, *ire ceſſim à caſtris* pro *receſſum à caſtris*. Illud ineptum prorſus: *ſi extendi à die in longum ſpatium quiviſſet*. Tolerabilius Valla, *ea dies*. Sed quia omnes boni libri: *ſi extendi eam dies*: non ceſſavi τὸ *quiviſſet* mutare in *ſiviſſet*: quod & veteres nonnulli habent, & voluerunt illi, quos Valla inceſſit; memor etiam id verbum ſæpe vitiatum in Livio. Denique: *ab utraque parte ſexcentis plus peditibus*. Omnes ſcripti: *ab neutra parte*.

Cap.

Cap. 60. *Geruntur, Cn. Scipio*] Put. *Cn. Cornelius Scipio*. Deinde: *Hannonis cis Iberum provincia erat.* ut & Aldina. Sequitur egregia reſtitutio: *atque ipſe dux militum cum aliquot præſidiis capitur, & Sciſſum propinquum caſtris oppidum expugnatur.* Putean. *atque ipſe dux cum aliquod principiis capiuntur & Sciſſis.* Nec aliter optimus Mediceorum. *Aliquod* pro *aliquot* & *principiis* pro *principibus* errores ſūt librarii. Nec ignoro lib. 8. *receptis in intervalla ordinum antepilanis, clamoreſublato principia Latinorum perturbant.* Nam illa acies Latinorum more Romano inſtructa erat: eoque veri in ea principes, vera principia; ſecus atque in hac acie barbarica. Frequens autem illud genus mendi cum alibi tum in optimo codice illo obſervavimus. Sic lib. 22, 30. *exercituſque his tuis*, pro *exercitibuſque* lib. 23, 4. *jam omnis concedentibus.* pro *omnibus.* Eodem c. 7. *pacem cum eo conditionis fecerunt.* pro *conditionibus*. lib. 25, 8. *terroremque late agreſtis injeciſſe.* pro *agreſtibus*. lib. 27, 2. *recentibus animis corporiſque.* lib. 29, 2. *junctis & ipſi exercitus.* Et ſæpius. *Dux cum principibus capiuntur*, ut, *Remo cum fratre Quirinus Iura dabant.* Polybius in hac narratione: *ζωγρεῖα δὲ τόντε Καρχηδονίων Αννωνα καὶ τὸν τῶν Ιβήρων Ανδοβάλλω.* *Principes* igitur regulos Hiſpaniæ intellige. *Sciſſis*, quæ Polybio Κισσα, non eſt in Put. modo, ſed & Petav. Reg. Men. Florentinis, duob. Pall. immo omnibus, quos adhibuimus. Et ſic finiebant pluſcula vocabula Hiſpaniæ urbium, *Anitorgis, Oringis, Meningis, Iliturgis.* Quare fruſtra eſt Sigonius, cum ad lib. 26. jubet *Iliturgi* ſcribi, quia Priſcianus id numeret inter nomina neutra, quæ deſinunt in I & ſunt aptota. Nam eorundem nominum ſunt quæ in IS quoque fœmini-

minino genere deſinunt, ut *Sinapi Sinapis.* Et omnes illic libri habent *Iliturgis*. Sic & lib. 24. 41. *Carthaginienſes Illityrgim oppugnare*, Put. & Petav. melior, ubi vulgo *Illiturgum*. Sed iſtius urbis nomen omiſerunt etiam librarii cap. 61. ſequenti: *poſtquam perditas res ad Sciſſim amiſſaque caſtra accepit.* Sic enim Puteanæus, Mediceus, regius.

Cap. 61. *Cum octo millibus peditum, mille equitibus*] Iidem libri una cum duobus Pall. & vetuſta editione: *mille equitum.*

Cap. 62. *Romæ autem & circa urbem*] Put. Men. tres Pall. *Romæ aut circa urbem.* Mox pro illis: *multis locis hominum ſpecies candida veſte viſas, nec tamen cum ullo:* Put. reg. Men. tres Pall. Medicei, Barberinus: *m. l. hominum ſpecie candida veſte viſos, nec cum ullo congreſſos.* Ita loquitur religionis & δι᾽ εὐφημίας χάριν, non auſus certo nomine eos appellare: cæterum intelligi poteſt, *dæmonas aërios* vel *neſcio quos.* Notum eſt illud: *ſi deus, ſi dea.* Sic lib. 1. de Ænea: *Situs eſt, quemcunque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicium flumen: Iovem Indigetem appellant.* Seneca 3. de benef. 31. *Ego vitam dedi ſtatim illa uſuro, tu neſcituro, an viveret.* Sic omnes Mss. teſte Grutero: intellige, quod naſceretur, quod erat in eo ut naſceretur. Ita enim loquebantur de fœtu exſpectato. Plautus Amphitr. *quod erit natum, tollito.* Quod non cogitantes fecerunt: *an viverem.* Cæterum apud Livium requirunt tale quid & ſequentia: *nec cum ullo congreſſos.* Vbi perperam Sigonius inſerit *tamen.* Alioquin iſto modo & noſter lib. 24. *Hadriæ aram in cœlo, ſpeciesque hominum circum eam cum candida veſte viſas eſſe.* Scribe etiam cum vett. *hoſtiaque majores, quibus editum eſt, diis caſa.* non *edictum.* Vt

lib.

lib. 41. *editis ab aruſpicibus diis, quibus ſupplicaretur.* lib. 42. *editumque ab decemviris eſt & quibus diis, quibuſque hoſtiis ſacrificaretur.* Mox: *Lanuvium Iunoni portatum eſt.* Put. & vetuſtiores conſenſu: *Lanuvium & Iunoni.* Lege: *Lanuvium ad Iunonis portatum eſt.* Statim pro *ædificaverunt*, recepimus conjecturam Rubenii: *dedicaverunt.* nam in Put. erat una litera minus: *edicaverunt.* Ibidem: *ubi ſortes extenuatæ erant.* Put. *adtenuatæ.* Idemque uti & reg. Per. Men. *lectiſterninm Iuventati*, non *Iuventæ*. Sic enim appellabatur illud numen, *Iuventas.* Denique omnes noſtri: *levaverunt animos religione:* non *animum religionis*, ut ex ſuo Lipſius.

Cap. 63. *Adverſus ſenatum, uno Patrum*] Put. plurimique noſtri: *adverſus ſenatum, atque uno Patrum.* Ibidem: *& nunc conſcientia præteritorum.* Pauli Manutii conjectura eſt laudata Sigonio, cum vulgo haberetur, *comitia prætorum*, quod nihili eſt, in Mss. autem & Andreana Aldinaque: *conſcientias prætorum.* Vnde vere, puto, fecimus: *& nunc conſcientia ſpretorum* (ſcilicet deorumque & hominum) *& Capitolium & ſolennem votorum nuncupationem fugiſſe.* Hanc nempe conſcientiam metum ei ſubjeciſſe, ne & dii contemtum ſui ſiniſtris ominibus vindicarēt, & homines, præcipue Patres atque augures, quibus poſſent, impedimentis honorem ei extorquerent. Mox: *inviſus ipſi*, libri, nempe ſenatui. Et, *ſacrum in monte faceret:* omnes abſque τοῦ *Albano*, quod eſt ſcholiaſtæ. lib. 25. *eo die perpetrato ſacro in monte in ſuas quiſque provincias proficiſcuntur.* lib. 40. *Latinas mox ſubito coorta & intolerabilis tempeſtas in monte turbavit.* Ruſum Put. reg. & alii non niſi optimi *paludatus inde cum lictoribus in provinciam iret.* Vbi peſ-

ſimo

ſimo facinore duas voces omiſerunt, feceruntque: *inde ad provinciam.* Denique in ipſo fine poſt τὸ *Etruriam* delevimus τὸ *jam*, quod abeſt à libris & ex præcedenti voce repetitum videtur.

AD

LIB. XXII.

CAP. I. *Cn. Servilius Roma*] Inſerit optimus codex: *Cn. Servilius Conſul Roma.* Mox: *in Sardinia autem in muro circumeunti equiti.* Put. duo Medic. Barber. reg. Men. *in Sardinia audes in muro circumeunti vigilias eq.* Alii *ſudes, rudes, cudes.* Operarum credo erratum, quod in noviſſimis omiſſum τὸ *vigilias.* lib. 32. *Romæ vigiliæ per vicos ſervatæ, juſſique circumire eas minores magiſtratus.* lib. 34. *quanta, ſi hoſtis ad portas eſſet, obſervabant vigilias & circumibant cura.* Porro: *Arpis parmas.* Put non *palmas*, atque ita legit Oroſius lib. 4. 15. *& apud Arpos parmæ in cœlo viſæ.* Mox: *aquas Caretes ſanguine miſtas.* non *Carete.* idque probat Valerius Maximus Lib. 1, 6. *Carites aquas ſanguine fluxiſſe.* lib. 5. noſter: *cum Caretibus publice hoſpitium fieret.* Statim, *& in Antii agro metentibus*, ab Sigonio eſt. Prius erat: *& Antii metentibus.* Puteanæus & optimi quique: *& in Antii metentibus.* Omnibus certe, quos vidimus, abeſt τὸ *agro.* Suſpicor ſcripſiſſe Livium: *& in Antiate metentibus.* Vt lib. 6. *fundum in Veſenti, caput patrimonii, ſubjecit præconi.* Lib. 33. *ædes Feronii in Capenate de cœlo tacta erat.* lib. 40. *In Cruſtumino*

ſangua-

ſangualem avem ſacrum lapidem roſtro cecidiſſe. Valerius & Oroſius: *apud Antium*, Plutarchus, περὶ Ἄντιον. Livius lib. 28. ubi par prodigium narratur: *Ab Antio nuntiatum eſt, cruentas ſpicas metentibus viſas eſſe.* Mox Put. *ſignum Martis Appia via ac ſimulacra luporum.* Et, *lunaque inter imbrem cadentis.* non *candentis*, ut voluit Sigonius. Iulius Obſequens: *C. Lælio L. Domitio Coſſ. Vulſiniis nova luna decidit, & non niſi poſtero die hora tertia comparuit.* Sequitur: *Id decemvirorum monitu decretum eſt.* Optimi: *Id virorum.* Scribe deleta prima voce: *Decemvirorum monitu.* Eodem cap. *Iunoni Minervæque ex argento daretur.* Sic vulgatæ, niſi quod in ultimis neſcio quis poſtremam vocem expunxit. Non ſine cauſſa moratus hic eſt Glareanus, ſed tollimus mendum ex Put. Reg. optimis Med. & duob. Pall. ſcribendo: *ex argento dona darentur.* Statim: *pecunia collata, quantum conferre cuique commodum eſſet.* Excuſari poteſt, ſed ex more Livii ſcribe: *quantam.* Nec longe: *quin & libertinæ & ipſæ.* Put. Pet. Reg. Men. *quæ & ut libertinæ.* Scribe: *quin & libertinæ ut ipſæ.* Item: *poſtremo ex libris decembri jam menſe in ædem Saturni.* Put. Pet. reg. optimi Florentini extrudunt τὰ *ex libris*: dein omnes, *ad ædem*, ut & prius vulgatæ. Sequitur. *lectiſterniumque imperatum (& eum lectum ſenatores ſtraverunt) & convivium publicum.* Sic quidem veteres libri conſtanter: nihilominus ſuſpicor tria verba ex gloſſemate eſſe & ſcripſiſſe Livium: *lectiſterniumque imperatum (ſenatores ſtraverunt) & convivium publicum.* Denique optimi: *Suturnalia diem ac noctem clamatum.*

Cap. 2. *Placandis Romæ diis habendoque delectu*] Put. aliique Gall. & duo Pall. cum Andreana Aldi-

Aldinaque edit. *trahendoque dilectu*, vel *delectu*. id eſt, producendo dilectu, morando per dilectum. lib. 24. *Pratores diſſimulare primo, & trahendam rem eſſe, poſtremo victi* &c. Ibidem. *Hiſpanos & Afros & omne quod veterani erat robur exercitus.* Put. *Atſpanos.* Alii. *At Hiſpanos*, vel *ad Hiſpanos*. Dein omnibus deeſt *τὸ quod.* Emenda: *Ac Hiſpanos* & *Afros (id omne veterani erat robur exercitus) admiſtis ipſorum* &c. Sic lib. 28. *hanc juſtam legionem (& id ferme roboris erat) in prima acie locat.* Polybius: εἰς μὲν τὴν πρωτοπορείαν ἔθηκε τοὺς Λίβυας καὶ Ἴβηρας καὶ πᾶν τὸ χρησιμώτερον μέρος τῆς σφετέρας δυνάμεως. Id recte reddidit Livius, ut reſtituimus: neque enim alii ſunt πᾶν χρησιμώτερον μέρος quã οἱ Λίβυες καὶ Ἴβηρες. Ideo paullopoſt de iiſdem Polybius: οἱ μὲν οὖν Ἴβηρες καὶ Λίβυες δι' ἀκεραίων &c. nullo adjecto tertio genere.

Cap. 3. *Exercitum Romanum circa Arretii mœnia eſſe*] Put. *Romanum incirca Arretii.* Cum eodem ſcribe: *itineraque & copias ad commeatus expediendos.* Non *atque comm.* Etſi illic eſt, *at commeatus.* Sed has duas literas innumeris locis confundit. Ibidem: *& catera qua cognoſcenda in re erant.* Liber optimus: *qua cognoſſe in rem erat.* Et eodem alludunt Pall. Sic lib. 44. *Cognitis mox, qua noſci prius in rem eſſet.* Cicero 1. famil 5. *ea te & literis multorum & nuntiis cognoſſe arbitror.* Sic enim Victorius è Mss. quod nollem diſplicuiſſe Camerario. Valerius Maximus lib. 4, 6. *qua cum apud Philippos victum & interemtum virum tuum cognoſſes.* lib. 6, 3. *tamen externa ſummatim cognoſſe faſtidio non erit.* Ita invenimus in ſcriptis, ubi vulgatæ *cognoſceres* & *cognoſcere.* Eodem capite: *Faſulas petens Etruriæ agros prædatum profectus.* Put. Reg. Pal. Medic. *Faſulas petens*

tens medio Etruriæ agro prædatum profectus. Quid hic offendit inſubidos corruptores? quem admodum & infra cap. 31. *juxta effuſi ac inſulis cultorum egentibus prædarentur.* Ita namque Put. Petavianus melior. Menardi: ubi *inſulas egentes* ſuppoſuerunt. Lib. 24, 20. *aliquot cohortes in agro hoſtium prædatum miſit.* iterum Put. & Petav. melior, non *agros.* Eodem libro: *per ſpeciem prædandi ex hoſtium agro.* Cluverius refingit: *& à Fæſulis profectus à læva relicto hoſte Etruriæ agros prædatum petens, quantam maximam.* lib. 2. Ital. antiq. c. 3.

Cap. 4. *Ubi maxime montes Cortonenſes Thraſimenus ſubit*] Put. & omnes omnino Mss. aliquanti ævi conſenſu: *in Thraſimenum.* Quod non temere eſt, & quid nobis videatur, in Obſervationibus dixi. Mox Put. Reg. *colles adinſurgunt.* Ibidem: *ab tergo ac ſupra caput decepere inſidiæ:* feliciſſimam meo judicio Lipſii conjecturam lubentes recepimus. Libri veteres omnes *deceptæ.* Contradicentibus Lipſio alibi ſatisfiet. Cluverius corruptis vulgatæ vocibus, *inexploratæ* & *detectæ,* inductus duas hic lacunas fruſtra ſtatuit: ſunt enim omnia integra. Iungendum, *inexplorato anguſtiis ſuperatis,* ex frequenti ſermone Livii, ſignificantis ſuperaſſe eum anguſtias non explorato per ſpeculatores præmiſſos itinere. lib. 6. *Inexplorato pabulatum cohortes miſere.* lib. 23. *explorato cum firmiſque præſidiis, tuto receptu, prædatum ierat.* Statim optimi: *Pœnus ubi, id quod petierat, clauſum lacu ac montibus & circumfuſum ſuis copiis habuit hoſtem, ſignum omnibus dat ſimul invadendi, qui ubi qua cuique proximum fuit, decucurrere.* Ab Lipſio ſumſimus, *ex pluribus collibus.* Dein iterum libri: *decucurrerunt.*

Cap.

Cap. 5. *Vertenteſque ſe quoque ad diſſonos clamores*] Pal. *vertentes ſe quoque*. Alter, *vertens*. Puto, & abſque his foret, licuiſſe mihi reponere de conjectura: *vertente ſe quoque*. Lib. 4, 28. *circumagenti ſe ad diſſonos clamores ac ſubitos tumultus hoſti*. Vbi mire divinat Rhenanus. Libro ſuperiore cap. 33. facile manum dedimus Freinshemio corrigenti: *ſibi quoque tendente, ut periculo prius evaderet*. Forte & *prior*. Statim: *& quacunque poteſt, adhortatur*. Auctiores Put. & vetuſtiores: *quacunque adiri audirique poteſt*: quidam *adire*: quod commodius videtur, ut ad utrumque verbum eundem nominativum intelligas. Dein optimi libri: *in omnes partes nequidquam impetus capti*, non *facti*. Vt lib. 2. extremo: *rurſus impetu capto enituntur*. lib. 3. *multis fruſtra conatibus captis*. lib. 9. *cum fruſtra multi conatus ad erumpendum capti eſſent*. Rurſus: *Tum ſibi unusquiſque dux*: ignorant τὸ *unus*. Et, *Fors conglobat*, habent; non *Sors conglobabat*: Statimque, *ante aut poſt*. Scribe igitur: *Fors conglobat, & animus ſuus cuique ante aut poſt pugnandi ordinem dat*. Salluſtius Iugurth. *catervatum, uti quoſque fors conglobaverat, in noſtros incurrunt*. Noſter lib. 26. *poſtquam eos ex variis cauſſis fortuna ſimilis conglobaverat*. Sic & ſequenti cap. mutarunt inclinationem verbi: *acrior infeſtiorque pugna erat*. nam libri veteres: *pugna eſt*. Iterum hoc quinto: *tantuſque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnæ animus*. Pro inſititio delemus *animorum*. Denique: *mare fluminibus invexit*. Quis neſcit flumina decurrere in mare? Plautus Curcul. *Quiſnam iſthic fluvius eſt, quem non recipiat mare?* Valerius Flaccus, Argonaut. *illius amnes, Ionium quicumque petunt*. Ita enim ſcribendum haud dubie, non *omnes*. Livius 27, 49. *quantum*

tum mare abſcedebat, tanto altioribus coercentibus amnem ripis. Exciderat id tamen Rubenio, cum dubitaret, foretne explicandum in locum fluminibus vacuum mare ſe inſinuaſſe, cum illa novum ſibi alveum quæſiſſent, an corrigendum, *culminibus.*

Cap. 6. *Inſigniſque armis & hoſtem ſumma vi petebat*] Scripti partim plane legunt, partim ſatis indicant legendum: *inſignemque armis & hoſtes ſumma vi petebant & tuebantur cives.* Statim Put. *Conſulem, inquit, hic eſt.* Scribe: *Conſul en, inquit, hic eſt.* Inferius: *aut ubi nequidquam feſtinaverant, retro agerrime terram repetebant.* Put. Pall. & meliores ignorant τὸ *ubi.* Put. tres Pall. reg. Men. duo Petav. etiam τὸ *terram.* Optimus autem ille liber: *haud necquidquam feſti vada. rentro agerrime repetebant.* Scribe: *aut necquidquam ante feſtini vada retro agerrime repetebant.* Ibidem: *Inclinata ad iniqua re cum caleſcente ſole depulſa nebula.* Put. *adinique re.* Lege cum Salmaſio: *Inclinata denique re.* Dein ex melioribus, *incaleſcente* & *diſpulſa.* Sub finem, quidquid eſt bonorum.: *atque in vincula omnes conjecit.* non *conjecti.*

Cap. 7. *Diverſis itineribus Romam petiere*] Put. Pet. uterque. Reg. Men. Pal. *adverſis itineribus urbem petiere.* In poſteriorem mutationem conſentiunt omnes: ſed alter & melior Pall. *averſis*, idque probabile eſt, ut ſignificet averſa à via militari ac regia, devia & ſecretiora per circuitus, non *recta*, ut loquitur cap. 9. Cicero ad Atticum: *ut Trebonius itineribus deviis proficiſceretur in provinciam.* Noſter lib. 28. *ea tum itineris tam longi ac tam devii cauſſa Scipioni fuit.* Lib. 27. *noctu jugum ſuperare & in averſis vallibus conſidere jubet.* Plautus Perſa: *Abi iſthac aver-*

ſis

ſis angiportis ad forum. Statim: *mille & quingenti hoſtium in acie, multi:* Put. ꝏ ꝏ D *hoſtium.* Pal. omiſſo numero: *At hoſtium* Poſt aliqua: *ſoſpiti filio repente oblatam:* omnes meliores, niſi quod Put. *ſoſpitis.*

Cap. 8. *Ad remedium jam diu deſideratum*] Vbi? quando? & cur non adhibitum, ſi deſideratum? Recte Put. & melior Pet *jam diu neque deſideratum neque adhibitum.* Ibidem: *cum Pœnis pro urbe dimicandum eſſe:* ab Sigonio eſt. Pall. duo, Pet. & Men. *ac cum penatibus.* Reg. *ac pro penatibus.* Put. & melior Petav. *ac paenatibus.* Scribendum, *ad penatis* vel *penates*, docuimus in Obſervationibus. Statim: *tueri nequiſſent*, Put. Pet. uterque, Regius.

Cap. 9. *Annibal interim recto itinere*] *Interim* non agnoſcunt Put. & antiquiores. Inferius lego: *levibus præliis cum Gallis factis.* At, *Q. Fabius Maximus dictator iterum*, eſt à Sigonio, conſentientibus noſtris. Etiam probabiliter Rubenius: *votum ante foret:* & Sigonius, *A. Cornelium Mammulam prætorem:* licet non ſecundis libris.

Cap. 10. *Si res populi Romani Quiritium*] Quæ in hac formula mutata ſunt, adſeruimus ſingulari capite in ſequentibus libris Obſervationum. Ibidem: *ſupplicatumque iit cum conjugibus.* Monitum in commentario de ſeſtertiis ſcribendum: *ſupplicatumque iere cum conjugibus ac liberis non urbana multitudo tantum, ſed etiam agreſtium, quos in aliqua ſua fortuna publicæ quoque contingebat cura. Tum lectiſternium per triduum habitum. Sex pulvinaria*, debetur Salmaſio ad Hiſtor. auguſtam.

Cap. 11. *Tum de bello neque publica dictator*] Optimi: *reque de publica.* Mox iidem: *ut quibus oppida caſtellaque immunita eſſent, uti commigrarent*

rent in loca tuta : ex agris quoque demigrarent. Vtique ſincerius : ſed vellem etiam : *ut hi*, vel *ii*, *commigrarent*. Præterea : *cum equitibus ad ſe prodeuntem* : non *progredientem*.

Cap. 12. *Quo diem ad conveniendum edixerat*] Omnes : *quo die ad*. Mox : *inde Præneſte tranſverſis tramitibus* : eſt Laurentii Vallæ, cum reperiſſet, *tranſverſis militibus*: ut ſervant quoque pluſculi ſcripti. Sed Put. plane : *inde Præneſte, ac tranſverſis limitibus*. Sic lib. 31. *profectus inde tranſverſis limitibus terrorem præbuit ſubitum hoſti*. lib. 41. *per tranſverſos limites ſuperatis montibus in campos degreſſi*. Iis opponuntur apud Feſtum *prorſi limites*. Ibidem : *increpans quidem victos tandem Martios animos Romanorum debellatumque & conceſſum eis propalam*. Put. duo Pet. Reg. Men. *tandem quos Martios animos*. Deinde Put. & melior Pet. *Romanis* ; quorum & neuter habet τὸ *eis*. Vnde Salmaſius : *increpans quidem, victos tandem ſuos Martios animos Romanis, debellatumque & conceſſum propalam*. Oppoſitio eſt inter τὸ *quidem* & *caterum*, quod ſequitur, hujus ſententiæ : ille quidem palam hæc jactans abibat ; cæterum ſecreto angebatur. Rurſum: *adſueſaciebant territum priſtinis cladibus militem*. Pal. & Men. *priſtinis in cladibus his*. Put. Pet. melior & ſimiles Florent. *priſtinis in his cladibus*. Scribe : *priſtinis trinis cladibus*. nempe ad Ticinum. Trebiam, Thraſimenum. Sic lib. 23, 49. *Inter hæc trina caſtra hoſtium* : &, *triniſque caſtris eo die potiti ſunt*, Mss. non *terna terniſque*, ut vulgatur. Lib. 25, 26. *Acradinam inde trinis caſtris*, itidem non optimi modo, ſed fere omnes calamo exarati. Poſt paullo : *qui nihil aliud, quam quod non imperabat, mora ad rempublicam præcipitandam habebat*.

Put.

Put. & omnes ſcripti alicujus numeri: *quod imperabat imperio mora.* Cenſeo excidiſſe prævocabulum & ſcriptum ab auctore: *quam quod imperabat ſub imperio, moræ.* Nam & magiſter equitum imperator, ſed ſub alio imperatore dictatore. Noſter lib. 8, 30. *cujus rei vitium non in belli eventum, quod proſpere geſtum eſt, ſed in rabiem atque iras imperatorum vertit.* L. Papirii Curſoris, puta & Q. Fabii Maximi Rulliani: quorum ille, dictator, hic magiſter equitum. Et rurſus cap. 33. *Papirium tanquam ex hoſtium ducibus, ſic ex Romano imperatore victoriam & triumphum petere.* Mox: *pro cunctatore ſegnem & cauto timidum:* omnes. Item: *premendorum ſuperiorum quæ peſſima arte,* omiſſa particula & τῇ *arte.* Fuerit forte: *premendoque ſuperiorem, quæ peſſima ars.*

Cap. 13. *Annibal ex Arpis in Samnium tranſit*] Pall. tres, Pet. Men. *Arpenis.* Put. Pet. melior, Reg. & optimus Florent. *Hirpinis* Polybius: ὑπερέβαλον τὸν Ἀπεννῖνον καὶ καθάραντες εἰς τὴν Σαμνίτιν χώραν. Noſter lib. 23. *crebras excurſiones in agrum Hirpinum & Samnites Caudinos fecit.* Ibidem: *trahere ad æquum certamen poſſit.* Optimi verius *detrahere*, nam per loca alta ducebat Fabius vitata ubique planitie. Dein libri: *promiſſa rebus adfirmarent.* Et adfirmavimus in Obſervationibus, ſi Deus dabit, propediem edendis. Statim: *juſſoſque cum pluribus & aliquibus principum:* non *popularibus.* Nec longe: *Sed Punicum abhorrens ab Latino nomen.* Quaſi vero tam celebre in Africa fuerit, ipſe in Italia non admodum nobile Caſinum, ut aliam appellationem Punicam haberet. Longe aliter in Mss. Put. Petav. melior, duo Flor. duo Pall. *Sed Punicum abhorrens ab Latinorum nominum pro Caſino dux ut acciperet fecit.* Regius & Mediceus unus: *Sed*

Puni-

Punicum abhorrens ab Latinorum nominum prolatione pro Caſino Caſilinum dux ut acciperet fecit. Priorem illam vetuſtiſſimi codicis ſcripturam deſectam eſſe aliqua parte notius eſt quam ut debeat probari. Vterque vero codex alter prioribus eſt recentior : tamen ſive ex integriore deſcriptos hos dicamus, ſive hominem eruditum in eo, unde uterque deſcriptus, priſcæ defectum ſupplere voluiſſe exiſtimemus, illud fatendum eſt, nihil nec literis, quibuſcum coaluerant omiſſæ voces, nec ſenſui convenientius potuiſſe fingi. Vnum adhuc deeſt: quid enim *Punicum* illud *abhorrens*? Hic quando aliter non licet conjecturæ noſtræ indulgeamus, neceſſe eſt: *Sed Punicū abhorrens os ab Latinorum nominum prolatione, pro Caſino Caſilinum dux acciperet, fecit.* Eſt autem os Punicum abhorrens ab Latinorum nominum prolatione ipſius Annibalis jubentis Caſinum duci, eamque vocem ita pronuntiando trahentis, ut dux viarum Caſilinum nuncupari putaret. Eſt enim proprium vitium Afrorum in pronunciatione *Labdaciſmus*, teſte Iſidoro lib. 1. Orig. 30. quod belle huc facit. *Labdaciſmus eſt ſi pro uno L. duo pronuncientur, ut Afri faciunt.* Sed definitio hæc nimis anguſta: immittitur enim & nonnullis naturali vitio, ubi prorſus non eſt. Feſtus in Romanos: *ſeu quod olim lingua Graciæ gentis fuerit eadem cum Latina parumper prolatione mutata.* Sic enim ibi legendum. Statim Put. aliique: *averſuſque ab ſuo itinere.* Vulgo deeſt pronomen *ſuo*.

Cap. 14. *Ducente, prope de integro ſeditio*] Recepimus divinam divinationem Lipſii: qua nihil propius accedit ad conſentientem omnium alicujus ævi ſcriptorum lectionem: *ducente tum prope de integro ſeditio ac de ſeditione accenſi quidam fuerant enim per paucos dies.* In concione Minutii ma-

malim: *Spectatumne huc, inquit Minutius, ut rem fruendam oculis, ſociorum cædes & incendia venimus?* id eſt, tanquam rem jucundam viſu. Sic infra: *levi certamine ut tumultuariam manum fudere.* Statim meliores: *quos Sinueſſam colonos:* &, *Tantum pro! degeneramus à patribus noſtris:* omiſſo τῷ *dolor*, quod mihi plane gloſſam ſapit. Plautus Caſina: *Pro, bonæ frugi hominem te jampridem eſſe arbitror.* Item *hoſtium Numidarumque & Maurorum.* Dein, *pecorum modo* Put. Pet. melior, Regius: quo facilius admiſi *deviaſque calles*: quod utrumque Grammatico veteri citatum, ut obſervavit Lipſius. *Rebus adfectis*, Sigonio probatum probant omnes noſtri. Superflua vox ultima in illis: *Vejos allatus eſt nuntius.* nuſpiam eam reperimus: quidam etiam clare *adlatum* vel *allatum*, ut & legit Laurentius Valla. *Furculas Caudinas* Put. Pet. tres Pall. non *furcas*. Nec rectum: *impeditam ſuo ipſam inſtrumento.* Alii *ſuo & ipſam*, unus è Pal. clare: *ſuometipſam.* Denique omnes noſtri: *Audendo atque agendo res Romana crevit; nos his ſenſibus conſiliiſque.*

Cap. 15. *In ſuos haud minus quam in hoſtes intentus, prius ab aliis invictum*] Rubenius: *à fabulis:* & probant viri docti. Placet: *prius ab illis.* nempe ſuis civibus. A Put. eſt: *Sed jam etiam Romæ infamem ſuam cuntationem eſſe:* qui etiam, immo & omnes alii: *animum præſtat.* Statim: *ab ſpe ſumma appetiti certaminis*, falſum eſt: nam dum Fabius ad exercitum fuit, ſpem ejus vix ullam habuerat. Pall. *ſumma oppetiti.* Put. *ab ſpe ſummoppetiti.* Quis non videat inde legendum: *ab ſpe ſummopere petiti certaminis.* Vox *fama* in illis: *Hæc per exploratores relata fama Fabio:* extorris eſt bonis libris, & additamentum haud dubie correctorum.

rum. Scribe: *Hoc per exploratores relato, Fabius quum ſatis ſciret.* Deinde: *Falernum à Campano agro dividit:* Put. Petav. melior: *Campanum.* Scribe: *Falernum ac Campanum agrum dividit.* Non longe: *ubi vagos paſſim per vicos Numidas vidit*: deeſt vox ultima Put. Petav. utroque, Reg. Men. & certe inſititia eſt, ut inferius probabitur. Mox: *qui quam tuto poſſet.* Put. *quem*: ſed tres Pall. *quantum*, ut conjiceret quivis. Denique: *ne immunito Appiæ limite Pœnus pervenire in agrum Romanum poſſet*: eſt novitium. Put. *nae adminuiſſe Pœnus Appiæ limite.* Nec differunt antiquiores alii. Scribe: *ne ab Sinueſſa Pœnus Appiæ limite pervenire in agrum Romanum poſſet.* Sinueſſanum agrum circumcirca tenebat Pœnus. Ideo ſuperius: *hoſteſque ſub oculis erant Falernum agrum colonorumque; Sinueſſa tecta urentes.* Illuſtrat Strabo lib. 5. Ἑξῆς δ' ἑκατὸν σταδίοις τοῦ Κιρκαίου Ταρακίνη ἐστί. Ἐνταῦθα δὲ συνάπτεται τῇ θαλάττῃ πρῶτον ἡ Ἀππία ὁδὸς, ἐστρωμένη μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντεσίου, πλεῖστον δ' ὁδευομένη τῶν ἐπὶ θαλάττῃ πόλεων τούτων ἐφαπτομένων μόνον, τῆς τε Ταρακίνης, καὶ τῶν ἐφεξῆς Φορμιῶν, καὶ Μιν[illegible]ερνης καὶ Σινουέσσης, καὶ τῶν ἐσχάτων Τάραντός τε καὶ Βρεντεσίου. Et infra: ἡ μὲν Ἀππία τὰ πρὸς θάλατταν ἀφορίζουσα μέρη τῆς Λατίνης μέχρι Σινουέσσης.

Cap. 16. *Ad laceſſendum hoſtem raptim & procurſando*] Omnes fere: *carptim Pœni & procurſando.* Lib. 44. *Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine & gravitate haſtam cogas.* Sed τὸ *Pœni* tamen Livii non eſt. Ibidem: *& ad Caſilinum obſeſſus.* Put. *uiad Caſilinum obſeſſa.* Vnde alii quoque boni: *ut ad Caſilinum obſeſſa.* Repone: *via ad Caſilinum obſeſſa.*

Nam ſequitur mox : *quum per Caſilinum evadere non poſſet, petendique montes.* Ita Put. & quidquid tractavimus ſcriptorum præter Men. & Pal. unum, in quibus *petendumque.* quod è ſuo propoſuit Lipſius.

Cap. 17. *Ad vivum ad imaque cornuum*] Omnes veteres: *ad vivum divatimaque.* An, *ad vivum extimaque.* Mox : *capitumque inquietatio excitans flammam.* Petav. melior & optimus Mediceus: *captumquaeritaquaeratio.* Putean. *captumque rita quaeſatio.* Cæterorum lectiones adſcribere piget: nihil eſt enim monſtroſius. Ex illa autem antiqua ſcriptura nihil exit commodius, quam *capitumque irrita quaſſatio.* Dum nempe fruſtra excutere ignem moliuntur. Silius in eadem parte hiſtoriæ: *& quaſſantibus ægra Armentis capita.* Plinius 8, 18. *irrita feritas ſævit in litore.* Ibidem: *qua ingens emicabat flamma, velut tutiſſimum iter petentes.* ſcilicet, ſi Herculem Oetæum agere vellent. Omnes hic codices corrupti, leviſſime Put. cujus ſcripturam librarii adſequuti non ſunt. In eo erat à manu prima: *quamnimdenſemicabant flammæ.* Super ſecundum *M.* manu ſecunda poſitum erat *N G.* quod antiquiores alii ſunt ſequuti. nam Petavianus ille melior: *quam ingens micabant flammae.* Sed improbus iſte corrector fuit: faciundum enim fuerat: *qua minime denſæ micabant flammæ.* Sic Lib. 31: *ut quiſque minime multa ſtipendia haberet.* Statim meliores: *tamen in quoſdam boves palatos ab ſuis gregibus inciderunt.* Palam ineptum eſt: *cum multo maximoque ſtrepitu*: quare Lipſius conjicit: *cum tumultu maximoque ſtrepitu.* Sed cum ſtrepitus ille nullus compareat in melioribus libris, cum Put. & Petav. *cum majore multo concitant*; reponi viſum eſt: *cum majore tumul-*

multu concitant. Regius reddiderat: *cum majore metu.* Sed videtur ille tumultus in cauſſa fuiſſe, cur levi armaturæ tumultum illum ſequenti ſe proderent. Quia ergo *levi quoque* habent omnes libri, non *levique*, ut cohæreat oratio, ſic legi debet: *tum vero inſidias rati eſſe, dum majore tumultu concitant ſe in fugam, levi quoque armatura hoſtium incurrere.* Poſſis & *motu*: ſed illud placet.

Cap. 19. *milite in naves impoſito*] Ita quidem frequenter alibi. Sed Put. Petaviani, regius, Men. & quoſcumque vidi: *milite ad naves.* Quæ lectio vera eſt & elegans. *τὰ ad naves* non debent jungi participio *impoſito*, ſed nomini *milite*. *Miles ad naves* eſt claſſiarius miles, ut *ad limina cuſtos, ad lecticam homines.* Polybius: λαβὼν ἐκ τοῦ πεζικοῦ στρατεύματος τοὺς ἐπιτηδειοτάτους ἄνδρας πρὸς τὴν ἐπιβατικὴν χρείαν. Ibidem: *claſſem Romanam haud procul à portu eſſe.* Parum intereſt, ſed tamen omnes libri deficiuntur τοῦ *a.* Item optimi: *fugientium magis è terra.* Sequuntur duo omnium ad hoc uſque corruptiſſima & depravatiſſima loca, quæ feliciter reſtituimus, præfiſcini dixerim: fruatur interim ſalvo Livii textu lector: rationes in Obſervationum libros jam relatas hic facimus compendii. Prior eſt: *Vix dum omnes conſcenderant, quum alii reſolutis oris in anchoras evehuntur, alii ne quid teneat, anchoralia incidunt.* Vbi mox: *raptimque omnia præpropere agendo:* quia non mutant veteres, tolero: mallem tamen: *raptimque omnia ac præpoſtere agendo.* Alter autem: *Itaque non ab hoſte & prælio magis Pœni quam ſuometipſi tumultu turbati, tentata verius pugna quam inita, in fugam averterunt claſſem: & quum adverſi amnis os lato agmine ac tam multis ſimul venientibus haud*

ſane intrabile eſſet, in litus paſſim naves egerunt.

Cap. 20. *Haud cunctantes tamen inſequuti*] Deeſt vetuſtioribus *tamen.* Mox iidem: *proras litoreis illiſas.* Deinde ſcribendum ex iiſdem: *exſcenſione ab navibus in terram facta:* diximus ad lib. 8, 17. Ibidem: *poſtremo tecta quoque conjuncta muro portiſque incenderunt.* Put. *inconcta.* Men. Pal. *inconjuncta.* Petaviani, regius: *incomta.* Vnus Pal. *injuncta.* Memini, quæ de hoc verbo ſupra. Sed optima videtur Sigoniani & tertii Pal. lectio: *tecta quoque juncta.* lib. 10. *quorum erant ædificia juncta muro.* Ovidius 1. de Ponto el. 9. *Flaminiæ Claudia juncta viæ.* lib. 2. el. 4. *Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis, Nos via, nos junctis curva theatra locis.* Sic meliores ſcripti. Male vulgo: *cunctis:* & pejus ille conjector: *vinctis jocis. Iuncta loca* ſunt vicina. Mamertinus Genethliac. *ambo ſunt, pariter ſunt. quum junctim ſedent.* A. Gellius 12, 8. *fors fuit, ut apud eandem menſam duo illi junctim locarentur.* Iterum Ovidius 6. faſtorum: *res eſt Romana. tuetur Veſta, quod adſiduo lumine juncta videt.* Vt olim emendabamus ad Statium. Quam correctionem firmat ipſe auctor lib. 3. ubi Cæſarem pontificem ait præeſſe Veſtæ: *imperii pignora juncta vides.* Hinc & Claudianum intelligo in conſulatu Olybrii & Probini: *Calido ſi quis conjunctus in axe Naſcentem te, Nile, bibit.* Vbi nimis æſtuant, qui emendant *compunctus*, aut explicant cognatus, aut huic loco ſanando pares ſe non eſſe fatentur. Nulla opus nova ſanitate ſano. *Conjunctus* eſt vicinus, propinquus, admotus ortui Nili. Eodem capite: *ubi vis magna ſparti fuit:* nuſpiam comparet τὸ *fuit.* Scribe etiam: *populorum, qui cis Iberum incolunt.* ut lib. 45.

trans

trans Neſſum amnem incolunt. Vel, *qui Iberum accolunt.*

Cap. 21. *Mandonius vir nobilis qui*] Præclaram hic quoque emendationem imputare poſſemus, ſi eſſemus ambitioſi. Glareanus cum legeret, *ad populandum venerunt*, ſollicitus erat, ut probaret haud invito Priſciano dici: *Mandonius concitis popularibus venere.* Poſtea neſcio quis audaculus ſuppoſuit, *venit*, contra omnes Mss. quos quidem vidimus: conſtanter enim illi *venerunt.* Sed Put. *Mandonius Indebiliſque.* Quod non prius vidi, quam mentem ſubiit hunc eſſe illum Polybio Ἀνδοβάλλω, Livio *Indibilem* dictum Hiſpaniæ & quidem Illergetum regulum. Lib. 26. *Mandonii uxor, qui frater Indibilis Illergetum reguli erat.* Idem poſtea in multis aliis codd. invenimus, etiam in excerptis unius Pall. Alii, *Mandonius inde nobilis.* Mox: *in agrum pacatum ſociorum populi Romani ad populandum venerunt:* eſt illud quidem communius & Livio frequentiſſimum, non tamen ita plane meliorum librorum: etſi Put. alludat *pacatum ſocios Romanorum ad pop.* Cæteri vetuſtiores, ut vulgati: *in agrum pacatum Romanorum ſociorum ad populandum venerunt.* Et ita nonnunquam Livius: *Romani hoſtes, Romani ſocii:* ut ad lib. 1. notavimus. Lib. 24, 30. *capti ad Thraſymenum inter Romana auxilia.* Etſi hic quoque libri fere: *Romanorum.* Statim: *Adverſus eos tribus millibus cum expeditis à Scipione miſſis.* Optimi codices: *tribus militibus*, & deinde, *miſſi*, non *miſſis.* Scribe: *Adverſus eos tribunus militum cum expeditis auxiliis miſſi.* Genus loquendi, quale ſupra lib. 21, 60. obſervavimus: *dux cum aliquot principibus capiuntur.* De miniſterio autem tribuni militum ſimili noſter lib. 32. *quatuor millia inde*

lecta peditum, & trecentos equites tribuno militum tradit. de Quinctio ad Aoum amnem cum Philippo bellanti. Lib. 38. *Conſul tribuno militum miſſo cum modica manu, caſtellum vi receptum Alabandenſibus reddidit.* Lib. 42. de Cn. Sicinio prætore: *Inde tribunos cum duobus millibus militum ad occupanda Daſſaretiorum & Illyriorum caſtella, ipſis arceſſentibus præſidia ut tutiores à finitimorum impetu Macedonum eſſent, miſit.* Eadem periodo: *fudere, multis occiſis, quibuſdam captis.* Putean. *fudere, omnis occiſis quibuſdam captiſque.* Interlinearis lectio monſtrabat, *omnibus.* quod in duobus Pett. duobus Pall. reg. Men. inde viſitur. Ex principe tamen lectione non incommode, immo vere, Salmaſius: *fudere omnes, occiſis quibuſdam captiſque.* Non longe: *quum fama repens alio vertit bellum.* Put. Petav. melior, *avertit.* Et ſtatim: *Celtiberi qui principes regionis ſuæ legatos miſerant obſideſque dederant.* Pœne oblitus ſum monere in principio hujus capitis: *fuiſſetque per Pœnum hoſtem:* quod inſeruit Sigonius *prope,* id omnes bonos libros ignorare.

Cap. 22. *Ne ſanguine liberorum ſuorum*] Put. manus prior: *liberum.* Sic præcedentis libri cap. 17. ex noſtris ſcripſimus: *& ſocium quantum ipſis videretur.* Servius Sulpitius ad Ciceronem: *tot oppidum cadavera.* Deinde Put. Petavianus melior, duo Pall. *ſollertia magis quam fideli conſilio.* Mox omnes fere: *qualia plerumque ſunt barbarorum ingenia.* Inferius: *acta per eundem ordinem, quo ſi Carthaginienſium nomine ſic ageretur:* Put. Pet. Pal. aliique non malæ notæ. Vt etiam: *conſenſu defectionem omnes ſpectare.*

Cap. 23. *Læto ut verius dixerim, quam proſpero eventu*] Eleganter omittit τὸ *ut* optimus Put.

Put. cum ſocio Petaviano. Alluduntque alii, *læto ut prius*, aut *lato ne prius*, exhibendo. Eodem: *quæ pars plus reciperet quam daret*. Put. *quæ pars prius reciperet*. An fuit *plures*, nempe captivos? Non moverim tamen vulgatam, quæ intelligit, captivorum. Sed ſcribe omnino: *tardius erogaretur:* Vt ſane & habent nonnulli libri. nam *rogare* veteres dixiſſe pro *erogare* non perſuadet Sigonius; Statim Put. *miſſo Romam qui filio*. Emenda: *miſſo Romam Quinto filio*. Neque illud ſanum: *pauca reliquerat tecta, ſtativa habebat*. Nam Put. *caucalegiquaeratratecta inſtituiſeſerant*. Valla: *reſtitui juſſerat*. Sed propius eſt: *pauca reliquerat tecta, in ſtativis erat*. Sed & ubique optimus *Gerioni*, non *Gerionis*. Polybius γερούνιον appellat.

Cap. 24. *Frumentatores palantes aut in caſtra*] Meliores: *palatos aut in caſtra relicta cum levi præſidio fieret*. *Tœ manu* & *que* exſulant. Mox reſtituimus veterem lectionem: *in tumulum hoſti conſpectum*. Lipſius è codice ſuo notaverat: *hoſtium in conſpectu*. id continuo editores in contextum. Poterat utroſque prohibere, qui Titium docuit quid eſſet *conſpectus locus* lib. 9. animadverſ. 1. Livius lib. 4, 13. *quacunque incederet, conſpectus elatuſque ſupra modum hominis privati*. Sigonianus ille gloſſematicus: *conſulis pectus gerens*. Quod turpiſſimum mangonium domino ſuo probavit, mihi tanto vilior eſt. Cornelius Nepos in vita Attici: *Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conſpici poſſet*. Ita ſcripſiſſe eum ex præcedentibus apparet: nam omnes antitheſes ita ſunt conceptæ, ut quid fuerit affirmet, quid non fuerit neget. Elegans, non magnificus; ſplendidus, non ſumtuoſus; adfectans munditiem, non adfluentiam. Sic etiam

ſupellex ei modica non multa: hoc eſt, modo, non copia æſtimanda; inſtrumentum modicè, non abundanter, ſufficiens: ut in neutram partem notari poſſet, neque ſordium, quia aderat modus, neque luxus, quia aberat ſuperfluum. Huic ſenſui verba mihi ſatis eſſe videntur exprimendo: neque aut τὸ *multa* ad defectum referendum, aut alia negatio adjicienda. *Multus* interdum nimius eſt, ut *homo multus* Latinis pro ſatageo, ardelione Plaut. Menæch. a. 2. ſc. 2. *Heu herc'e hominem multum & odioſum mihi.* Conſpectum vero tam Irum reddit egeſtas quam opes Crœſum. Ovidius 2 faſtor. de domo ſua: *Et neque divitiis neque paupertate notanda eſt, Vnde ſit in neutrum conſpiciendus eques.* Solœciſmo non caret: *quia haud dubiè hoſtibus breviore via præventus eſſet.* Boni libri omnes: *præventurus erat.* Recte, ſed & ſcribe: *hoſtis:* quod genus mendi non inſolens libris antiquis jam ante notavimus. Statim: *per averſa caſtra à caſtris Annibalis equitatus cum levi armatura emiſſus.* Audemus inducere pro gloſſemate inepti magiſtelli verba: *à caſtris Annibalis.* Noſce rem ex ipſo Livio & Polybio, cujus plane narrationem iterat noſter; & recte me ſenſiſſe fateberis. Ibidem ſcribimus de conjectura: *Iamque quia pars exercitus aberat, ferme artibus Fabii, ſedendo & contando, bellum gerebat.* Non longe: *Samnitis deinde ventu,* optimi libri, non *adventu.* Repone: *deinde interventu.* Etiam: *ſpeciem parti utrique præbuiſſe.* probi codices, non *ſpem.* Lib. 26. *Erroris ſpeciem haud vanam mendacio præbuerant verberati ac ſecuri percuſſi transfugæ.* Sed & meliores: *novi præſidii.* non *ſubſidii.* id quod conſiderandum relinquo.

Cap. 25. *crederet, ut ſi vera omnia.*] Vt legendum eſſe monueramus 3. Obſ. 6. ita Put. Petavianus

vianus & alii ſinceri. Mox : *id unum enimvero ferendum eſſe negat.* Optimi quique τὰ *unum* & *vero* non agnoſcunt, ſed ita: *id enim ferendum eſſe negat.* Puriſſime; & hic uſus particulæ tamquam adverſativæ Plauto frequens. Dein, *audaciter ſe laturum*, quod ex ſuo Lipſius, conſentientium fere omnium vett. lib. ſcriptura eſt. Item : *prius mittendum* : non *dimittendum*; eadem ſententia. Nec non : *per temeritatem atque inſcientiam:* ubi alioquin, *inſcitiam.* Atque illam vocem ubique fere apud Ciceronem, Cæſarem, Livium inepte curioſi homines deleverant. Reſtituenda eſt etiam Cæſari lib. 4. Gall. *factum eſt opportunitate loci, hoſtium inſcientia ac defatigatione, virtute militum* &c. Sic enim Andinæ membranæ. Statim omnes boni libri: *quod contradictum ſuum pugnaſſet.* non *edictum.* Recte: nam & ſic *dicto audiens, dicto obediens, dicto parere* : & alibi probamus amplius. Rurſus: *Se in tempore;* ut Sigonius, ita omnes boni noſtri: quibus etiam mox abeſt τὸ *ducere* : & cancellandum putamus. Put. *ſet in tempore.* Scribe: *Se & in tempore & ſine ignominia ſervaſſe exercitum, quam multa millia hoſtium occidiſſe, majorem gloriam eſſe.* Senſus ecce integer eſt: quod ipſe tum, cum maxime opportunum & opus eſſet, exercitum, & ſine dedecore, ſervarit; eam gloriam revera majorem eſſe, quam ſi multa millia hoſtium occidiſſet. Salluſtius 1. hiſtor. *ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.*

Cap. 26. *In ſervili ejus artis miniſterio*] Optimi, *ſervilia miniſteria.* Quæ ſequuntur, ſana præſtare non audeam. Put. Pet. tres Flor. Men. *Is juvenis utrum ex eo genere quæſtus pecunia à patre relicta animos ad ſpem liberalioris fortunæ jecit.* In ſecunda & tertia varietate omnes fere conſen-

tiunt, & ſic etiam Pall. Livii certe fuit, *animos fecit*. Lib. 1. de L. Tarquinio: *cum divitiæ jam animos facerent*. Infra hoc libro: *tantum animorum fecerat proſpere ante paucos dies res geſta*. Lib. 24. *animoſque ad tentandum de integro certamen fecit*. lib. 31. *Sed animos ei faciebat præter ferociam inſitam fœdus ictum cum Antiocho*. Duo autem Medicei optimæ quoque notæ, ſed tamen poſt Put. *Is juvenis utrum ex eo genere quæſtus an pecunia à patre relicta*. Mox Latinius antiqui: *in notitiam populi, deinde ad honores pervenit*. Nec vero ibi *favorabilis populi* & *ſicque plebis*, ſed inprimis præclare: *auram favoris popularis ex dictatoria invidiâ petit, ſcitique plebis unus gratiam tulit*. Appellatur eodem vocabulo & infra: *itaque plebeiſcitum, quo oneratus magis quam honoratus ſum, primus antiquo abrogoque*. Neque eó tamen offendor ad illa: *acceptiſque in ipſo itinere literis ſenatuſconſulti de æquato imperio*: quæ ratio non incommodam conjecturam ſubjecit Lipſio: *literis ſenatus*. Nam poſt legem Horatiam ſive Hortenſiam plebeiſcitorum patres fiebāt auctores, & ut plebis eluderent auctoritatem, eadem ſenatuſconſultis confirmabant. Sed hæc ipſa locutio, *literæ ſenatuſconſulti*, me offendit, & propterea malim ſi liceat: *acceptiſque in ipſo itinere literis ſenatuſque conſulto*. Vt ante *ſcitique plebis*. Lib. 31. *Senatus inde conſulto*.

Cap. 27. *Abſe quam Fabio gloriari*] Meliores: *quam Q. Fabio*. Quod prænomen & ſupra cap. 23. reſtituendum eſſe monuimus & monebimus infra cap. 55. Statim iidem elegantius tranſponunt voces: *illum in rebus aſperis unum ducem ac parem quæſitum Annibali*. Mox Put. uterque Pet. & alii: *ſi dictatoris cunctationi ac ſegnitiae deorum*. Scribe: *ſi dictator in contatione ac ſegnitie deo-*

deorum hominumque judicio damnata perſtaret. Iterum libri: *partitis temporibus*, *alterius ſummum jus imperiumque eſſe.* non *alternis*: alioqui ſupervacuum eſſet τὸ *partitis*. Item libri: *Ita obtinuit, uti legiones.*

Cap. 29. *Et à feroci pugna hoſtes*] Put. Pet. melior Pal. *& ab animis feroci.* Pal. ſecundus: *& ab armis feroci.* Tertius: *& ab nimis feroci.* Ea vera lectio eſt. Ibidem: *qui nec ipſe conſulere nec alteri parere ſcit.* Optimi: *parere neſciat.* Quem pleonaſmum negationis jam alibi, ut noſtro frequentiſſimum, notavimus. Cicero in Verr. *nihil tam ſeptum undique nec fieri nec cogitari poteſt.*

Cap. 33. *Quod meo exercitui tuoque*] Modeſtius & ambitioſius Put. *quod exercitibuſque* (manus prima *exercituſque*) *his tuis ſervato ac conſervatori.* eoque omnes alii, etiam vitioſiſſimi, ſatis alludunt. Nec illud conſideratum probare poteſt quiſquam doctior: *me magiſtrum equitum hos ordinibus ſuis quemque teneri jubeas.* Salivam faciebat olim quod erat in uno Pall. *me magiſterio equitum, hos ordinibus ſuis quemque teneri.* id eſt, intra illum locum ſiſtere: non adſpirare altius, ut fecerat antea; non deprimi & contumelioſius haberi, ut nunc meriti erant. Plautus Pſeudolo: *Nec boni ingenii quidquam in his ineſt, niſi ut improbis ſe artibus teneant.* Sic apud Petronium: *Nondum juvenes declamationibus continebantur.* Nempe illi, quibus alia curare non licebat, quique hoc veluti ludo aut circo includebantur. Et eſt verbum magiſtralis imperii *continere*. A. Gellius lib. 29, 1. *non parva virum auctoritate, ſatiſque attente diſcipulos juvenes continentem.* Continentur autem & opere ſeu penſo ſuo & diſciplina. Sed in omnium optimo eſt: *magiſtrum equitum hos ordinibus ſuis quemque tenere.* Quæ lectio

per

per ſe menti Minutii eſt adverſaria, ſed ad veram tamen nobis viam aperuit. Quomodo enim peteret, ut ſibi magiſtro equitum liceat hos tenere quaſi ſeparatos? Immo ea de cauſſa reducit eas, quod tenendis indignum ſe fatetur: ideo dixit, *tuis his exercitibus*: ut emendavimus. Scribe: *Tu quæſo placatus me magiſterium equitum, hos ordines ſuos quemque tenere jubeas.* Diſciplina Romana poſcebat, ut hoc beneficium vitæ ſervatæ & magiſter equitum & exercitus cum ignominia aliqua in exemplum aliorum acciperent. Sic cum L. Minutius conſul ad Corbionem obſidione Æquorum ab L. Quinctio Capitolino liberatus eſſet, dictator prædam omnem ſuo tantum militi dedit; conſularem exercitum ipſumque conſulem increpans: *Carebis parte prædæ, miles, ex eo hoſte, cui propè prædæ fuiſti: & tu, L. Minuti, donec conſularem animum incipias habere, legatus his legionibus præeris.* Livius lib. 3. Sic de ſententia Appii Claudii ſenatus eos, qui à Pyrrho rege Epirotarum capti & poſtea remiſſi erant, equites ad pedes redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum juſſis tendere, donec bina hoſtium ſpolia referrent. Frontinus 4. Strateg 1. Hanc ignominiam à mitiſſimo imperatorum & ſibi & militibus ſuis deprecatur. *Ordinibus* factum ex *ordinis* eo genere mendi, quo ſupra cap. 8. idem codex: *ac paenatibus*, pro, *ad penatis*, & infra cap. 37. *adonibus fidelibuſque ſociis*, pro, *à bonis fidelibuſque*. Poſtea aliquis, ut omnia convenirent, *ſuis* pro *ſuos* reſcripſit. Ibidem non ineleganter fictum eſt: *nubem ſollicitatam procella*. Tamen Put. Petav. melior, Pal. *eam nubem, quæ ſcdere in jugis montium ſolita ſit, cum procella imbrem dediſſe.* Put. etiam *ſidere*. Plinius lib. 18, 35. *Cum in cacuminibus montium nubes conſident, hiemabit*. Plutarchus: νηνεμίαν νεφέλην.

Cap.

Cap. 31. *Ac ſi inſulas cultorum egentes*] Iam dictum in vett. libb. eſſe: *inſulis cultorum egentibus.* Ibidem: *quum à frequentibus palantes & locorum ignari circumvenirentur.* Deeſt una pars antitheſeos. Put. Petav. melior, optimus Mediceus: *palantes ad locorum & ignari gnaris* (hanc vocem omittunt poſteriores) *circumvenirentur.* Repone: *à frequentibus palantes, ab locorum gnaris ignari circumv.* Mox iidem: *Ad mille hominum, cum his Sempronio Blæſo quæſtore, amiſſum.* non *amiſſo.* quod ſuffecerunt, qui non videbant illa, *cum his Sempronio Blæſo quæſtore*, poni defectu participii verbi ſubſtantivi. Nec longe: *ut exercitus ab ſe.* Fabianum nempe & Minutianum, uti mox appellantur. non *exercitum*. Rurſus: *Cæcilius etiam eum primum.* quæ poſtrema vox omittitur vulgo. Denique: *& augendæ titulum imaginis poſterioris.* Nihil hic ſani ſenſus. Petav. recentior & Men. *& in augendis titulum imagines poſteris.* Put. & Petav. *& augendis titulum imagines poſteros.* Illud *augendis* pro *augentis* plurali accuſativo ſcriptum eſt, & *imagines* ἀντὶ τοῦ *imaginis.* Iam illud quoque: *ut dictator pro dictatore diceretur:* & Glareanum impedivit, & à Mss. revincitur. Put. Petav. melior & Florent. ut *qui pro dictatore caederetur.* Tres Pall. *ut qui pro dictatore:* ut & Men. & Pet. duo cum his, *diceretur*, tertius *crederetur.* Scribendum exiſtimo: *& augentes titulum imaginis poſteros, ut qui pro dictatore fuerat, dictator crederetur, facile obtinuiſſe.* Lib. 8. extremo: *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falſiſque imaginum titulis, dum familia ad ſe quæque famam rerum geſtarum honorumque fallente mendacio trahunt.*

Cap. 32. *Tum enim autumni erat tempus*] Meliores codd. *tum autumni erat*, cætera deſunt.

Scr-

Scribe: *hibernaculis mature communitis (medium autumni erat) Fabii artibus* &c. Sic lib. 38. *Ipſe (jam enim medium autumni erat) locis gelidis excedere properans.* Mox iidem: *opportuni aderant carpentes agmen palatoſque excipientes.* Deinde Put. Pet. Men. *Quum ad Gerionium hieme impediente conſtitiſſet bellum.* In oratione Neapolitarum: *quod auri ſibi quum ad ipſorum ornatum.* Put. & omnes fere: *ad temporum.* Scribe: *ad templorum ornatum.* ut exprimunt Petav. & unus Pal.

Cap. 33. *Alii in Ligures*] Veteres: *& alii in Ligures.* Item: *Ad Pineum quoque regem in Illyrios.* non *Illyricos.* Nec longe: *a M. Æmilio.* Tum: *Caſo Quintius Flamininus.* Denique: *ſe in eam diem, quam juſſiſſent, comitia edicturum.*

Cap. 34. *C. Terentium Varronem ſui generis hominem*] Omnes: *C. Terentio Varrone, quem ſui generis:* vel *Varroni.* quam veram eſſe lectionem diſtinctio mutata prodit. Scribendum enim: *C. Terentio Varroni, quem ſui generis hominem* &c. *vulgus &* (nam & ſic optimi) *extrahere ad conſulatum nitebatur, Patres ſumma ope obſtabant.* Tribunus plebis, qui *Bibius Herennius* vulgo appellatur, quem Sigonius facit *Vibum Terentium*, ſatis evidenter in Put. & duobus poſt illum optimis habetur, *Q. Baebius Herēnius.* Eamq; veram ſcripturam eſſe exiſtimo. Comparet lib. 31. tribunus plebis *Quint. Bæbius* hujus fortaſſe filius. *Herennium* autem cognomen Bæbiis & Octaviis fuiſſe obſervatum eſt viris doctis, qui de gentibus nominibuſque Romanorum ſcripſere. Quæ ſtatim in concione ejuſdem tribuni reſtituimus, eorum jam ratio ad lib. 1, 50. reddita eſt. Forte etiam deleto altero *id* ſcribendum; *Cui non id apparet-*

parere actum & quæſitum eſſe. Ibidem conjectura ſententiæ potius non malæ quam ſatis certa, quum margini adſcripta eſſet, relata eſt in contextum: *populum liberum mandaturum ac daturum ei.* Vulgo: *liberius habiturum.* Vnde Rubenius: *liberum jus habiturum.* Vt lib. 27. *cui dii ſortem legendi dediſſent, & jus liberum eoſdem dediſſe deos.* Sed Put. Pet. Men. *liberum habiturum:* unde noſtra conjectura concepta eſt. Salmaſius non incommmode interpretatur ſcriptam lectionem: *liberum* enim conſulatum *habere populum* interpretatur eſſe eum in arbitrio populi. Statim optimi libri: *qui magis vere vincere quam diu imperare malit.*

Cap. 35. *Duobus nobilibus jam familiarum plebei.*] Ita plane Put. & Petav. melior, ut fere voluit Lipſius è ſuo. Male ſuppoſuerant *familiaribus.* Ibidem: *par magis in adverſandum, quam collega, datur conſuli:* ipſiſſima hæc veterum librorum ſcriptura. Male Schottus: *compar.* Quaſi non illud elegantius. Vnde Horatio, *Tydiden ſuperis parem.* Quod explicuimus in obſervationibus editis. Ex iiſdem ſcribe: *Romæ juri dicundo urbana ſors.* non *juris dicundi.* Vel potius, *jure dicundo.* Lib. 42. *His prætoribus provinciæ decretæ, duæ jure Romæ dicundo.* Suetonius Cæſare: *ubi quum mandatu prætoris jure dicundo conventus circumiret.* Rurſus: *erat mandatus honos*: expunge eiſdem auctoribus τὸ *erat.* Denique Put. *in tali tempore nullis novos magiſtratus.* Scribe: *nulli novus mag.*

Cap. 36. *Quatuor legiones quinque legionibus additas, ut novem legionibus*] Recte obſervat Sigonius, quatuor fuiſſe veteres, non quinque apparere ex eo, quod Fabio prima & quarta, Minutio ſecunda & tertia olim evenerint; Polybium etiam

octo

octo legionibus rem geſtam narrare. Ex quo quum hæc omnia deſumat Livius, non veroſimile eſt numerum ab eo mutatum. Dudum ſuſpicabar illa verba, *quinque legionibus*, eſſe ab interpretamento ejus, qui IX pro *novem* errore librarii invenerat, cumque ſic nondum plena eſſet oratio, vel ipſum vel alium adjeciſſe *additas*: ita autem ſcripſiſſe Livium: *alii novas quatuor legiones* (ſcilicet ſcriptas, quod ſubaudiendum ex membro præcedente) *ut octo legionibus rem gererent*. Hæc conjectura admodum blandiebatur; poſtea non conjecturam eſſe, ſed veritatem ex collatione ſcriptorum codicum didici. nam Put. & Petav. *alii novas quatuor legiones & VIII. legionibus rem gererent*. Vides unica litera tantum à nobis diſſentire optimos libros. Pall. duo: *alii novas quatuor legiones & quinque legionibus rem gererent*. Tertius: *alii novas quatuor legiones, & ut octo legionibus rem gererent*. An dubitas? Inferius: *Id quidem etiam quod ſæpius*: eſt à libris.

Cap. 37. *Vt nulla ſui propria*] Latinitas poſcebat *ſua*. idque optimi libri & vete. edd. ſervant. Deinde illi: *quam ſecundis eſſe menſe omnia quibus à bonis* (Put. *adonibus*, ut indicatum) *fidelibuſque ſociis bella juvari ſoleant, miſiſſe. quæ ne accipere* &c. Apparet vel cœco legendum: *eſſe: tamen ſe omnia* &c. Ibidem: *magno opere*. Et, *quantum præterea opus eſſet, quo juſſiſſent*: deleta copulativa. Valde probabile etiam eſt, quod è Silio Rubenius: *tria millia ſagittariorum*.

Cap. 38. *Priuſquam urbe ſigna moverentur*] Mss. *ab urbe*. Mox: *ſe quo die hoſtem vidiſſet, perfecturum*, Put. Pet. Men. tres Pall. Pro illo: *quomodo quis dux*: Put. Pet. melior, Men. *quod nequidux*. Significant *quod nunquam dux*. id eſt, quod qui nunquam exercitum rexiſſet. Vt nempe

pe Varro. Hoc etiam auget indignationem. Mox iidem: *Id ſua ſponte apparebat, tuta:* non *eum.*

Cap. 39. *Etiam me tacente*] Put. Pet. melior, Men. quatuor Florent. Barberin. tres Pall. *etiam me indigentes.* Pet. alter: *indignante.* An ceſſarem reſcribere: *etiam me indicente.* Vt apud Comicum in Adelphis: *non me indicente hæc fiunt.* Pudet me nonnullius commentatorum ejus, qui auſus hanc duram dicere nimis compoſitionem. Ita eſt Midæ auribus: nam veteres quidem delicias in ea faciunt. Sic *inſperante atque invito* in Andria: ſic *intolerans, inopinans, inſciens.* Varroni *inſcientes* ἀϲϵργοι lib. 3. de re ruſt. de apibus: *neque ipſæ ſunt inſcientes, nec non oderunt inertes.* Sic *intritus ab labore* Cæſari pro non trito, lib. 3. de Gall. *eductis quatuor cohortibus, quæ præſidio caſtris relicta intritæ ab labore erant.* Sic Andinæ membranæ, quibus multa debemus egregia: nec Florent. aliter, & alludunt alii, *interrita*, exhibendo. Vulgo gloſſema, *integra*, obſidet. *Indelictum* Accius in Hellenibus: *qui niſi probrum, omnia alia indelicta exiſtimant.* Sic *innotitiam* dixit A. Gellius, ſi licuiſſet per corruptores, lib. 16, 13. *ſimul quia obſcura obliterataque ſunt municipiorum jura, quibus uti jam per innotitiam non queunt.* Sic duo ſcripti Petaviani. Vulgo: *per ignorantiam.* Idem lib. 19, 9. *Labos hic vigiliarum & inquies.* Eodem cap. *nec conſilia animis reciperetis.* Optimi: *acciperetis.* Virgilius: *Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta.* Neque illud omittendum in optimo & antiquiſſimo legi: *ſi altera parte claudet reſpublica.* Videant eruditi. nam ego ſi probare illud me dixerim, vereor ne mihi veniat aliquis Seſquicaſtalio obſervator, qui omnia me clauda & manca reddidiſſe

occen-

occentet. Quem tamen vix effugero. Mox idem cum Pet. per omnia, in fine etiam cum Men. *neſcio an infeſtior hic adverſarius quam ille hoſtis maneat; & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus ſis certaturus: & adverſus Annibalem legioneſque ejus tuis equitibus & peditibus pugnandum tibi ſit, Varro dux tuis te militibus ſit oppugnaturus.* In eadem oratione Fabii: *hic priuſquam peteret conſulatum, deinde in petendo conſulatu:* vox poſtrema eſtne additamentum interpretis? Rurſus: *quo Iberum amnem trajecit.* Scripti, *quem Iberum.* Et pervagatum eſt hoc noſtro. Ibidem: *Quamdiu pro Gerionis, caſtelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum eſt?* Poſtrema, *pugnatum eſt,* à Petrarcha eſſe addita teſtis locuples Laurentius Valla: neque ego id uſpiam in antiquioribus inveni. Ita autem intelligebam veterem ſcripturam, ut eſſet ἀποσιώπησις modeſta in mentione ejus rei, quæ ad laudem Fabii proprie pertinebat. Nempe ſilet: *eum tenui, maceravi.* præſertim cum ſubſequatur: *Sed ne adverſus te quidem ego gloriabor.* Sic apud Silium lib. 7. v. 247. idem Fabius: *quin inter cætera noſtra Haud laude abfuerit, modo qui. ſed parcere dictis Sit melius.* Illud quoque notandum, hic omnes & alibi fere ſemper antiquiſſimos *Gerioni* & *Gerionum* vel *Gerionium*, non *Gerionis* & *Gerionem* præferre. Dubioſiſſimum pridem eſt habitum illud: *Laborare nimis jus ſæpe.* Put. Pet. & quiſque antiquior: *Laborare nimiſiſſaepe.* Nihil propius viſum, quam quod edidi: *Laborare inimicitiis ſæpe ajunt, nunquam exſtingui gloriam. qui ſpreverit, veram habebit.* Præterea: *nec ego, ut nihil agatur, ſed ut agentem te ratio ducat, non fortuna vae tua poteſtatis.* Sic plane Put. excluſo τοῦ *moneo*, quod

nec

nec Pet. Men. duo Pall. aliique admittunt: immo nec editiones ante Sigonium. Recte, modo pergas, quo manuducit liber antiquiſſimus: *non fortuna, velim: tua poteſtatis.*

Cap 40. *Sua plebs proſequuta*] Put. uterque Pet. Men. tres Pall. *ſua plebe proſequuta, turba conſpectior, cum dignitates deeſſent.* Ibidem: *ut nova minora eſſent propius Annibali.* Put. & Pet. *Annibalem.* Probe ut ſupra dictum. Statim uterque idem: *tum conſultum anni prioris M. Attilium,* ſtatimque *Geminum Servilium*, non *Cnaum.* Scribe: *tum conſulum anni prioris, M. Atilium ætatem excuſantem Romam miſerunt; Geminum Servilium in minoribus caſtris* &c.

Cap. 41. *Dum ipſe longius ſpatium fuga prariperet*] Libri: *praciperet.*

Cap. 42. *M. Statilium cum turma Lucanorum exploratum miſit*] Scribe cum optimis: *Marium Statilium cum turma Lucana.* Ibidem: *& clamore ſublato à militibus, niſi ſignum.* Optimi: *& clamore orto à militibus, ni ſignum detur.* Iidem ſequenti cap. *cum equitibus ſe proriperet.* non *equitatu.*

Cap. 44. *Vt ventum ad Cannas eſt, uti in conſpectu Pœnum*] Put. Pet. uterque, reg. Men. *ut ventum ad Cannas eſt, ut in conſpectu.* quod improbare non auſim ob conſenſum librorum. niſi quis malit, *& in conſpectu.* Inferius: *ſpem nanctus locis natis ad equeſtrem pugnam, qua parte virium invictus erat, facturos copiam pugnandi conſules:* ſic totum debetur ſoli Puteanæo, deque eo alibi uberius.

Cap. 45. *Semproniique & Flaminii*] Sic optimi. Item, *deos homineſque.* Statim: *quod Annibal jam velut ſuam cepiſſet Italiam.* Put. *jam vel uſucepiſſet Italiam.* Egregie, modo legas; *velut.* Iidem

in

in illo: *omnis tamen eventus*: melius neſciunt τὸ *tamen*, & mox poſt *temeraria* verbum *eſſet*. Pro eo: *inſtructiſque copiis flumen tranſivit*: Put. aliique, *inſtructaſque copias flumen traduxit*. In fine iterum Put. *conſules cornua tenererent*. Pet. *tenerent*. Scribe: *tenuerunt*. Iidem: *Gemino Servilio*, non *Cnæo*.

Cap. 46. *Et cum mucronibus. ante cæteros habitus gentium harum*] Tormentum & cruciatus eruditorum hic locus. Ego nil niſi optimi Put. ſcripturam ponam: *antetalius hannibatus gentium harum*. Manus ſecunda inducto B. ſuperpoſuit M. Concurrite omnes. Sequitur nihilo levius adfectus contaminatuſque in vulgatis, ſed cui certam tulimus medicinam: *Numerum omnium qui tum peditum equitumque*. Is ita concipitur in unico illo Puteanæo: *Numerum omnium peditum equititum ſteterent in aciem illum fuit quadraginta decem equitum*. Neque aliter melior Pet. & optimus Florent. niſi quod *acies*. Hinc fecimus paucis literis ex ratione manifeſta mutatis: *Numerus omnium peditum, qui tum ſteterunt in acie, millium fuit quadraginta, decem equitum*. Quid pote mitius? Imperitum eſſe oportet, qui de hoc auſit dubitare. Sic lib. 10, 36. *Captivorum numerus fuit ſeptem millium ac trecentorum*. Et ibidem: *amiſſorum militum numerus relatus ſeptem millium & ducentorum*. Ita enim Mss. Mox nuſpiam in libris vere antiquis τὸ *regebat*, ſed ſimpliciter: *Duces cornibus praerant, ſiniſtro Aſdrubal, dextro Maharbal*. Statim plerique omnes: *ſeu quod forte ita ſtare*: ut indicavit ex ſuo Lipſius. Put. *Statere*. Subvereor, ne hæc gloſſematis ſint deformata, ſcripſeritque Livius: *Sol, ſeu de induſtria ita locatis, ſeu forte, peropportune utrique parti obliquus erat*. Denique optimi: *adverſis Romanis coortus*.

Cap.

Cap. 47. *Stantibus ac confertis poſtremo turbatis equis*] Scriptor Lipſiani codicis verba, *poſtremo turbatis*, quibus offendebatur, perinde ut ille ſubtiliſſimæ naris Lipſius, omiſit. Sed alia cura eſt opus: *Stantibus ac confertis poſtremo turba equis, vir virum amplexus*. Sic Put. & Petav. melior. *Poſtremo*, id eſt, poſtquam concurriſſent, ſtantibus jam immobilibus & confertis ob nimiam turbam in anguſtiis loci equis. Sequitur emendatio ejuſdem Lipſii: *Romani diu ac ſæpe conniſi obliqua fronte acieque denſa impulere hoſtium cuneum*: quam merito palmariam ipſe pronuntiat: niſi quod *æqua*, non *obliqua*, & res ipſa requirit & ingerit optimus liber, in quo eſt: *conſiliaequa fronte*. Ibidem corrige ex Put. & Pet. iiſdem: *referentibus pedem inſiſtere, ac tenore uno per præceps pavore fugientium agmine in mediam primum aciem inlati*. Offenderunt tot ablativi librarios, induxeruntque ut ſupponerent *agmen* quaſi hoc jungeretur cum τῷ *præceps*. Ita autem evolvendus orationis ambitus: *ac tenore uno* Romani ſimul cum *agmine* Gallorum Hiſpanorumque *pavore fugientium per præceps inlati*. Etiam, quæ ſtatim ſequuntur, nihil habent dignitatis Livianæ; extrito autem τῷ *qui* ita ſunt concipienda: *ad ſubſidia Afrorum pervenerunt*: (*utrimque reductis alis* (hi nempe Afri) *conſtiterant, media, qua Galli Hiſpanique ſteterunt, aliquantum prominente acie:*) *qui cuneus*. In quo juvamur hactenus à Put. & Pet. quod in iis eſt, *mediaquae*, non *mediique*. Conſidera locum, nec dubitabis de veritate hujus emendationis. Polybius: οὐ γὰρ ἅμα συνέβαινε τὰ κέρατα καὶ τὰ μέσα συνάπτειν, ἀλλὰ πρῶτα τὰ μέσα, διὰ τὸ τοὺς Κελτοὺς ἐν μηνοειδεῖ σχήματι τεταγμένους, πολὺ προπεπτωκέναι τῶν κεράτων, ἅτε τοῦ μηνί-

σκου

σκου τὸ κύρτωμα πρὸς τοὺς πολεμίους ἔχοντος.

Cap. 48. *Numidæ præter conſueta arma telaque*] Put. & Pet. melior: *Numidæ præterita arma.* Scribe: *præter juſta arma.* Curtius lib. 4. *aliam funda ſaxa librare, paucis juſta arma eſſe.* lib. 9. *Macedo juſta arma ſumſerat, æreum clypeum, haſtam.* De iiſdem Numidis: *ſtragem ingentem dederunt, ac majorem aliquanto pavorem ac tumultum fecerunt.* Ad Gemonias illud *dederunt*. neque enim ex vere vetuſtis pedem attulit.

Cap. 49. *Pepulerunt tamen jam paucos ſuperatos, & labore ac vulneribus*] Put. & Pet. *ſuperantiſiſet labore.* Quid ſit, neſcio, niſi forte: *jam paucos, ſuperante ira, ſed labore ac vulneribus feſſos.* In ſermone morituri Æmilii poſtremo hactenus οὐδὲν ὑγιές· quæ ſummis viris deſperata ope veterum librorum præclare nunc ſunt reſtituta & illuſtrata ſingulari capite Obſervationum. Sincera autē lectio hæc videtur eſſe: *L. Æmilium præceptorum ejus memorem & vixiſſe & adhuc mori: Tu me in hac ſtrage militum meorum patere exſpirare, ne aut reus iterum è conſulatu ſim, aut accuſator collegæ alieno crimine innocentiam meam protegam. Hæc exigenteis, prius turba fugientium civium, deinde hoſtes oppreſſere: conſulem, ignorantes quis eſſet, obruere telis; Lentulum inter tumultum abripuit equus.* Inferius: *nihil fugientium infeſtus agmini.* Put. Pet. melior, Men. tres Pall. *nulli.* Mox etiam tres priores: *Venuſiam perfugit:* duo unuſque de Pall. xxxxv. *millia peditum.* quod videtur confirmari lib. 25, 6. *ubi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt.* Eodem capite: *in his alter conſulum, quæſtores.* Put. Pet. reg. Men. Pal. *in his ambo conſulum quæſtores L. Atilius & L. Furius Bibaculus.* Nec opus erat hic de cōſule memo-

memorare, quod proxime ante factum, nec ſcribere: *amborum conſulum quaſtores.* quod Schotto viſum eſt. lib. 27. *duo conſulum prioris anni exercitus.* Statim ita Put. & antiquiſſimi: *& viginti unudecem tribuni militum:* & deinde: *inter eos Cn. Servilium Minimum & M. Minutium numerant qui Mag. equitum priore anno aliquod annis ante fuerat octoginta præterea aut ſenatores.* Confer hæc cum vulgata, & videbis, quid ſibi correctores licere voluerint. Nos ex illis eruimus: *& viginti unus tribuni militum.* mox: *inter eos Cn. Servilium Geminum & M. Minutium numerant, qui magiſter equitum priore anno, conſul aliquot annis ante fuerat: octoginta præterea aut ſenatores.* Nihil fere in his ſumus auſi, niſi quod adjecimus τὸ *conſul*, idque ratione evidentiſſima. Fuerat, autem conſul ſexto ante anno ab V. C. 532. collega P. Cornelio Aſina, quicum bellum adverſus Iſtros adminiſtravit.

Cap. 50. *Hæc eſt pugna Cannenſi clade nobilitata*] Et hic nihilo modeſtiores fuerunt Livii tortores. Put. *haec ex pugna aliienſi clade nobilitate par caeterum utilis quae poſt pugnam* &c. *gravior fædiorque fuga namque ad alliam ſicut urbem.* Manus ſecunda ad *alienſi* adjecerat S. Prorſus eodem modo optimus Flor. nec differt Petav. niſi quod poſt raſuram habet, *Cannenſi:* quemadmodum etiam Barberinus. Inde eduximus & genuinum putamus: *Hæc eſt pugna Cannenſis, Allienſi cladi nobilitate par: cæterum ut illis, quæ poſt pugnam accidere levior, quia ab hoſte ceſſatum eſt; ſic ſtrage exercitus gravior fœdiorque. Fuga namque ad Alliam ſicut urbem prodidit* &c. Mox meliores: *qui in majoribus præerant, mittunt.* Ex iiſdem in Tuditani ſermone: *Non tu: ſiquidem L. Æmilii conſulis:* quod alibi adſeruimus. Ibidem: *opprimit*

mit lux, majoraque hoſtium agmina obſcpiunt iter. Eodem cap. vetuſtiores: *tranſlatis in dextrum ſcutis.* non *in dextram partem.* Denique: *Hac apud victos magis impetu animorum, quod ingenium ſuum cuique aut fors dabat.* non *quem.* Reſpicit enim relativum *τὸ hac*: quod nempe ex illis conſiliis vel auſis. Schottus ex neſcio qua editione citat *apud ſtrictos*, corrigitque *victos*. Quos ego tractavi ſcriptos editoſque, omnes *victos*.

Cap. 51. *Epulaberis. Sequere cum equite*] Corruptiſſimus ad hoc uſque locus. Quid turpius, quam attribuere Annibali verba illa: *lata res eſt, ſed via major?* Quid? an via major erat à Cannis Romam, quam ex Africa per Hiſpaniam & Galliam in Italiam? Nihil hic de via Livius, nec ut Annibalis, ſed ſua hæc verba poſuerat. Scribe. *victor in Capitolio epulaberis: ſequere. Cum equite, ut prius veniſſe quam venturum ſciant, præcedam.* Hactenus Maharbal: ſequitur narratio ex perſona hiſtorici: *Annibali nimis læta res eſt viſa, majorque quam ut eam ſtatim capere animo poſſet. Itaque voluntatem* &c. Diſtinctionem arbitratu noſtro mutavimus: in verbis pœne nihil niſi ex vett. codd. Oratio Maharbalis eſt, ut in ſubitis, artificioſe abrupta & turbatior. Vulgo, *te veniſſe*: ſed pronomen non eſt in Mss. Dein Put. & optimi: *praecedant Annibal inimicis laeta res & viſa major quæ quam ut eam ſtatim capite animo poſſent.* Eoque cæteri alludunt omnes. *Sequere*, inquit Maharbal, nempe cum exercitu: ipſe ad præcedendum cum equite & prævertendos ipſos adventus rumores ſe offert. Non Cœlius aliter, non Cato, non Silius, rem narrant. Ille quidem: *Si vis mihi equitatum dare, & ipſe cum cætero exercitu me ſequi, die quinti Romæ in Capitolium curabo tibi cœna ſit cocta.* Alter autem: *Igitur dictato-*

ctatorem Carthaginienſium magiſter equitum monuit: mitte mecum Romam equitatum, die quinti in Capitolium tibi cœna cocta erit. Quibus vulgata contradicit, quum ab iis hæc Livium mutuatum conſtet. Silius denique Livii diſcipulus: *Meum exultet eques, juro hoc caput, accipe muros Iliacos.* Andreas quoque Schottus hic repudiabat vulgatam. Sequitur auctoris judicium de Annibalis animo, quo hoc conſilium accepit. Nempe æſtimanti virtutem Romanam ex rebus olim geſtis & proxime ſecum cauto duci, & fortunam potius ex ipſius inconſtantia quam ex ſpe ſua conſideranti viſa eſt res magis optanda quam præſtanda, neque ita facilis, ut temere concipienda vel aggredienda eſſet. Confirmat Silius lib. 10. apud quem nihil de majore via, ſed: *Vulnera & exhauſtas ſævo certamine vires Ac nimium lætis excuſat fidere rebus.* Mox etiam optimi: *temporis opus eſſe.* Inferius: *ſanguinem invitantes haurire.* Put. Petav. melior: *libentes.* Pet. alter, reg. Men. tres Pall. *libantes.* Scribe: *jubentes.* Tum: *ora ſubjecta ſuper humo injecta intercluſiſſe:* quis non ſentit ſermonem eſſe nugacem? Put. Pet. Men. Pal. uno abeſt *τὸ injecta.* Scribe: *obruenteſque ora ſuperjecta humo, intercluſiſſe.* Denique optimi: *ſuperincubanti,* non *incumbenti:* & Put. *in rabiem ira verſus.* An *verſa?*

Cap. 52. *Brachio fluminis objecto*] Vexavit Glareanum & Sigonium. *Flumine* optimi libri. Ergo duabus vocibus tranſpoſitis liquidam ſententiam redde: *primum brachio objecto, flumine eos excludit.* Cæſar lib. 1. de civil. *ſi hoſtem Ibero intercludere & frumento prohibere poſſet.* Et ibidem: *quod re frumentaria hoſtes intercluſiſſet.* Quæ præterea hoc capite emendata ſunt, de illis præcepit monere commentarius de Seſtertiis.

Cap. 53. *Ne quidquam eos conſultare, perditam*] Optimi: *nequidquam eos perditam ſpem fovere*: excluſo τῷ *conſultare*. Iidem: *nullo verius, quam ubi ea cogitentur.* pro *nuſquam verius.* Intellige loco: quod minime ſpernendum duxi. Statim: *Pergit deinde ire*: recidunt mediam vocem. Etiam in formula jurisjurandi delevimus τὸ *juro*, addidimuſque *rempublicam populi Romani* eiſdem auctoribus: deque eo ſcriptum in Obſervationibus. *Iures poſtulo*, ingerunt quoque, non *expoſtulo*: & furcillis ejiciunt, *contra Annibalem*. Neque enim contra Pœnum, ſed reipublicæ ſervabantur.

Cap. 54. *Sed Canuſii gravius onus Buſæ*] Delent *Canuſii*, ut & Aldina. Inferius: *ſed occidione occiſum cum duobus exercitibus conſulem.* Sigonius de ſuſpicione: *occiſos conſules.* Put. Pet. melior, tres Pall. non habent τὸ *conſulem.* Scribe: *ſed occidione occiſum cum duobus conſulibus exercitum, deletaſque omnes copias.* Compendio ſcripta ea vox fuit: *Coſſ.* atque eo facilius deperdita. Non longe: *quæ differendo minora vero facio.* Vix excuſes ab ſolæciſmo. Put. Pet. melior. *ediſſertando.* Repone: *quæ ediſſertando minora vero fecero.* Ibidem: *Comparem cladem ad Ægateis inſulas.* Put. *Comparaſſet cladem.* Innuit: *Compares & cladem.* id eſt: comparare forſan velis.

Cap. 55. *Et nondum palam facti vivi mortuique*] *facto* legendum ex optimis ad lib. 1. monuimus. Statim: *tum Fabius Maximus cenſuit*: Put. *tum que Fabius.* Nec aliter Pet. ante raſuram. Lege: *tum Q. Fabius Maximus cenſuit.* Superflua in illis: *qui obviam euntes percontarentur*: quæ & mire ſuſpecta Schotto. Nam optimi: *qui obvios percontando*: deinde ignorant τὸ *ſi* male invectum ab Sigonio. Scribe igitur & diſtingue: *qui obvios* per-

percontando, aliquos profectos ex fuga, paſſim diſſipatos, forte referant. Quid denique, *miſeri imperii?* At optime Put. *ſi quid dii immortales, miſeriti imperii, reliquum Romani nominis fecerint.* Nam illud *: domi auctorem exſpectent :* jam ſuperius adſertum.

Cap. 56. *Canuſiique ſe eſſe*] *τὸ que* pellit etiam Sigonius. Put. *ſeſe Canuſii eſſe.* Sequitur in iiſdem literis Varronis emendatio palmaria: *ad decem millia militum ferme eſſe incompoſitorum inordinatorumque. Pœnum ſedere ad Cannas, in captivorum pretiis prædaque alia nec victoris animo nec magni ducis more nundinantem.* de qua adfatim in Obſervationibus.

Cap. 57. *Ibi ante hoſtiis humanis*] Luctatur hic And. Schottus, & certe ſubeſt aliquid vitii. Scripti pro *ibi* habent *ubi :* ſed hoc parum prodeſt. Senſum invenias, ſi ita tranſponas: *in locum ſaxo conſeptum, ibi hoſtiis humanis, minime ante Romano ſacro, imbutum.* Memineris autem particulam *ibi* accipere pro tunc vel tum temporis: quemadmodum alibi *ad id locorum*, pro ad eum diem, dixit. Lib. 27. *ſenatum extemplo habuit. ibi de ſuis rebus geſtis commemoravit.* Non multo poſt ſcripti fere *: ipſe legione claſſis (ea tertia legio erat) cum TR. mil. Theanum Sidicinum præmiſſa.* Quod recte explicat *tribunis militum* Sigonius. Legionem dicit noſter: quomodo ergo cum tribuno? Deeſt cognomen in illis *: claſſe tradita T. Furio collegæ :* etenim libri : *P. Furio Philo collegæ.* alii *Filo.*

Cap. 58. *Velut aliquid oblitus*] Put. *velut illut aliquid oblitus.* An *illic?* Ibidem ſupra meliores : *ad id pretium, quo pepigerant.*

Cap. 59. *Nemo veſtrum ignorat*] Scribe : *nemo noſtrum ignorat.* Ibidem : *nec ulla alia jam*

per conſertos. Put. Pet. Men. tres Pall. reſpuunt *τὸ alia*. Inferius: *atque in Italia cum Gallis & ad Heracleam cum Pyrrho, utraque non tam clade infamis, quam pavore & fuga, pugna fuit*. Mira deſcriptio pugnæ cum Gallis, *in Italia*. Ergo illa cum Pyrrho aut modo Cannenſis in Italia factæ non ſunt? Put. *Atqui etaliam*. Scribe: *Atqui & ad Alliam cum Gallis & ad Heracleam cum Pyrrho*. Eſt adſumtio argumenti, quo probat redemtos aliquando captivos, etſi pavore potius ac fuga, quam vi ac virtute hoſtium clades accepta eſſet. Hæc obſervatio, ut candide agam, fugerat oculos meos, ſed fugitivam retraximus è ſchedis Salmaſianis. Eodem cap. *nec premendo alium me extuliſſe velim videri*. Duo optimi reſecari jubent *videri*. Mox ſcribe: *ſed illis & bonis ac fortibus viris militibuſq; utemini, & nobis etiam promtioribus*. Sic optimi, & ſenſus expoſcit.

Cap. 60. *Sine ullius inſectatione, eorum brevi ſententiam*] Quid eſt *eorum ſententiam?* Muta diſtinctionem: *ſine ullius inſectatione eorum, brevi ſententiam*. Inferius optimi: *non deſtitit monere adhortarique*. Item: *virtutis exſtitiſſet comes*. At in illis: *ſi tanta clades vobis vilem*: abolent *τὸ vobis*. Tranſponunt etiam particulas: *Annibalem poſt paullo audiſtis*. Gaudent ea poſitione veteres. Salluſtius Iugurth. 106. *turpi fuga incerta ac forſitan poſt paullo morbo interituræ vitæ parceret*. Quod nollem mutaſſe Gruterum, multo minus teſtatum elegantius ad aures ſuas *paullo poſt* accidere. Qui non raſit igitur aures & cap. 71. *Nabdalſa poſt paullo experrectus*. Cæſar lib. 7. de Gall. *ipſe poſt paullo ſilentio egreſſus cum tribus legionibus*. Et lib. 1. de Civ. *poſt paullo tamen internuntiis ultro citroque miſſis, quæ ignorabant de L. Domitii fuga, cognoſcunt*. Noſter lib. 5. *quod quum*

ſena-

ſenatus poſt paullo de his rebus in curia Hoſtilia haberetur. lib. 33. *Torti poſt paullo inſontes quum ſcirent.* Quinctilianus inſt. orat. lib. 2, 5. *Sed de ratione declamandi poſt paullo.* Etiam Put. ac melior Pet. *ſed obſiſtere ac retinere.* non *ſubſiſtere*, etſi alibi hoc Livio uſitatum non diverſo ſenſu. Ibidem: *niſi quis credere poteſt fuiſſe, qui erumpentibus.* Non perceperunt viri laude digniſſimi Lipſius & Schottus. Optimi libri: *ut erumpentibus.* Membrum prius disjuncti præteritum tempus reſpicit, poſterius futurum. Sententia hæc eſt. Niſi quis credere poteſt aut tum fuiſſe bonos fideleſque cives, cum viros fortes, ne fortes eſſent, impedire voluerunt, aut paſſuram in poſterum invidiam, ut fideles bonique cives ſint erga illos, quorum incolumitatem & gloriam ſibi vident eſſe ignominiæ, & quotidie ignaviam exprobrare. Illam ipſam invidiam ſignificat effecturam, ut iis infidi ſint, & in diſcrimen ſecum deductos deferant, atque ita aut mori miſere aut parem culpam captivitatis vel turpis fugæ contrahere cogant. Eodem cap. *obſeſſi, armati ſe ipſi tutati vallo ſunt.* Put. *aliquot obſeſſi ballum arma ſe ipſi.* Hinc auream fecimus lectionem: *dies nocteſque aliquot obſeſſi, vallum armis, ſe ipſi tutati vallo ſunt.* Sic Livius, ut videas non ignarum ſuæ ipſum elegantiæ fuiſſe, lib. 6. *tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat, ut vallo ſe ipſi, vallum congeſtis arboribus ſepirent.* Lib. 10. *non enim muris magis ſe Samnites, quam armis ac viris mœnia tutabantur.* Lib. 28. *exercitum omnem paſſim in civitates dimiſit, ut & muris ſe ipſi & armis muros tutarentur.* Lib. 33. *prælia impigre inire, & armis magis muros, quam ſe ipſos mœnibus, tutari.* lib. 38. *& Galli, ne parum ſe munimenta ſua tegerent, armati pro vallo conſtiterant.* Denique Put.

quum omnia ſubſidia vitæ abeſſent. Promiſcui libri, ut & Andreana atque Aldina: *deſunt.* Vulgo: *deeſſent.*

Cap. 61. *Vel ea res indicio eſt, quod qui ſociorum*] Manum correctorum arguunt optimi libri. Put. *vel de ea res indiciorum quae eadem diem firma ſteterat, tum laborare cœpit, nulla p. a. d. re quam quod ſperaverant de imperio.* Certum eſt aliqua excidiſſe, ubi intruſerunt illi: *quod qui ſociorum.* Probabilius certe videtur: *vel det ea res indicium, quod fides ſociorum, quæ ad eam diem firma ſteterat, tum labare cœpit, nulla profecto alia de re, quam quod deſperaverant de imperio.* Noſter lib. 32. *Suberat tamen quadam ſuſpicio animis, labare fidem ſociorum.* Petavianus melior prorſus, ut Put. Menardinus & duo Pall. *vel ea res indiciorumque eadem die firma ſteterat, cum labore.* Nec celabo Salmaſii conjecturam, quæ mitius etiam hoc vulnus conducit: *vel fides indicat ſociorum, quæ ad eam diem firma ſteterat, tum laborare cœpit,* &c. Aut verum hoc eſt, aut non facile quidquam veriſimilius conjicietur. Ibidem: *neque ante conſulis Romani adventum.* Scribe cum optimis: *ante conſulis Romam adventum.* Vt apud Terentium, *manſiones Lemni*, Ciceronem, *domum reverſio, Mutinæ eruptio*, noſtrum lib. 25. *reditus domum.* In fine libri: *cujus ipſe cauſſa maxima fuiſſet:* Put. Pet. melior, Men. tres Pall. non *magna cauſſa.*

AD
LIB. XXIII.

CAP. 1. *Caſtra capta ac direpta*] Offenſus hac lectione etiam Glareanus. Men. *captaq; ac direpta caſtra.* Sed Put. Pet. tres Pall. *pugnam capta ac direpta confeſtim.* omiſſa voce *caſtra.* Forſan fuit: *poſt Cannenſem pugnam caſtraque direpta confeſtim.* Mox Put. *ſed premebat eum Mopſiorũ factio.* Certe ferri nequit *Compſanorum*, nam pars utraque Comſani. Eoque & ſtatim legendum: *quum Mopſii* vel *Mopſiani urbe exceſſiſſent.* etſi illic optimus codex: *Compſam urbem exceſſiſſent.* Cluverius legit: *accitus in Hirpinos à Trebio*: deinde: *premebat eum Statianorum factio.* Ibidem: *quacunque apte poterat*: conſentientibus pluribus aliis: tum, *ni mare propinquum*: &, *juvenes capti caſique ſunt*: denique, *Pœnum abſterruere*: Put. & melior Petavianus.

Cap. 3. *Odiſtis ſenatores. nam ſenatũ omnino non habere*] Put. Pet. Pal. *odiſtis ſenatores. non ſenatum omnino habere non vultis.* Eodem cap. *Video quæ ſententia de hoc ſit data. Ejicitur pro malo atque improbo. bonum ſenatorem atque juſtum eligite.* Verbum poſtremum, ut & ſuccedaneum ejus, *ſubſtituite*, quod Lipſius protulit, nuſpiam inveni. Et puto decurtatum eſſe ſermonem ita diſtinguendum: *Ejicitur. Pro malo atque improbo bonum ſenatorem & juſtum. Primo ſilentium* &c. Quomodo plane Barberinus codex. Sic Cicero Philipp. 6. *Populi Romani igitur eſt patronus L. Antonius. Malam quidem illi peſtem. clamori enim veſtro adſentior.* Plinius in epiſt. *Primo impudentiam hominis, qui venerit ad ægram, cujus marito inimiciſſimus, ipſi inviſiſſimus fuerat.* Adde

P. Victorium ad illud in epiſtola Servii Sulpitii lib. 4. familiarium: *& rogaret, uti medicos. Coegi, & è veſtigio* &c. Non enim ovum ovo ſimilius.

Cap. 4. *Plebem adfari*] Put. *plebem aduari*. Lege cum Salmaſio: *adulari*. Mox: *ſecundum eam in litem judicem dare.* Lipſius vidit ſenſum & orationem fecit Latiniorem refingendo: *ſecundum eum litem judices dare.* Sed vera lectio ſuppeditatur à Put. & Pet. meliore: *eas cauſſas ſuſcipere, ei ſemper parti adeſſe, ſecundum eam litem judices dare, quæ magis popularis.* Ita plane illi duo, niſi quod una abundante litera: *eamilitem.* Pronomen *eam* intelligit partem ex commate præcedenti. Ibidem: *contemtum legum, magiſtratuum ſenatuſque*: copulativam exeſſe jubent optimi. Rurſus: *ne id extemplo efficerent.* Pronomen in iiſdem deſideratur. Scribe: *ne extemplo deficerent.* quomodo & nonnulli veteres clare.

Cap. 5. *Aut in ruinis poſtero die amiſſis*] Quas quæſo *ruinas* hic finxerunt ſibi? Solus eas fulcit Put. in quo: *autuinis poſtero.* Emenda: *aut in acie aut binis poſtero die amiſſis caſtris.* Vide libro præcedenti. *Sed pœne bellum*, non Lipſiani modo eſt, ſed omnium meliorum librorum. Ibidem: *quod fœdus æquum dedimus, quod leges noſtras* Optimi quique libri, *dediſtis*, & *veſtras*. Haud dubie verum eſt: *quod fœdus æquum dediſtis, quod leges veſtras.* Recurre ad lib. 7. *Noſtras* tolerari poſſet, ut reſpiceretur ad leges à L. Furio prætore datas, cum illi hoc pro remedio ægris rebus diſcordia inteſtina peterent: de quo lib. 9. Sed illud magis decet plenam libertatem dedititiis redditam. Lib. 45. *liberos eſſe jubere Macedonas, habentes urbes eaſdem agroſque, utentes legibus ſuis, annuos creantes magiſtratus.* Inferius

Put. & Pet. *His infandis paſtos epulis.* non *hos.* Non agnoſco damnum pulchri ſenſus in illo: *prolapſum clade Romanum imperium.* Nam & ſic apud ſocios loquuntur lib. 27. *tum quidem quæ temere agitaſſent, ea prodendi imperii Romani fore:* Et inferius hoc libro: *illum Romani finem imperii fore.* Omnes etiam libri: *arbitror ex Campania ſcripſiſſe.* itaque adſentimur Lipſio reponennendum: *ſcribi poſſe.* Statim ſcribe: *jam pecuniæ adfatim eſt frumentique: ſi parem fortunæ veſtræ fidem habetis, nec Annibal ſe viciſſe ſentiet nec Romani victos eſſe.* deletis τῷ *qui* & τῷ *ſe* poſteriori. Ita enim volunt Put. & Pet.

Cap. 6. *Hac oratione conſul dimiſſis*] Nihil mutant libri. Repone tamen: *Ab hac oratione conſulis dimiſſis redeuntibuſque domum legatis.* Vt ſequenti: *Ab hac concione legati miſſi ſunt.* lib. 37. *Ab hac voce ad diripiendam urbem paſſim diſcurrerunt.* Lib. 44. *Ab his præceptis concionem dimiſit.* Nomen legati Campani in Put. eſt *Vbius Virrius.* non *Sabius,* non *Vibus.* At lib. 26. idem integrum eſt. *Vibius Virrius.* Mox: *quin ipſe confecto bello.* Put. Pet. tres Pall. *quin quum ipſe confecto.* Statimque duo priores: *deportet, & Italiæ imperium.* Iidem: *ac pars major ſenatus.* Propius finem: *Latinorum quondam poſtulatio erat,* Put. Pet. unuſque Pal. cum Aldina: non *poſtulationi.* Infra cap. 22. *ipſorum quondam poſtulatum Latinorum.* Sed ibi ſubaudi, huic poſtulationi.

Cap. 7. *pacemque cum eo his conditionibus fecerunt*] Nec Put. neque ulli alii boni Gall. aut Pall. codices habent τὸ *his*: & jure deleri puto. Sed & optimi *conditionis*: hoc librarii erratum in principe, indeque propagatum, de quo ſupra. Scribe ergo: *pacemque cum eo conditionibus fecerunt.*

Sic lib. 24. de Hannone : *Is conditionibus ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, ut coloniam* &c. Cicero pro Quinctio : *annum & ſex menſes nihil petit, quieſcit, conditionibus hunc, quoad poteſt, producit.* Salluſtius Iugurth. *ſibi per Dabarem ex Sulla cognitum, poſſe conditionibus bellum poni.* Pomponius Mela: *ad dirimendum conditionibus bellum.* In illis conditionibus: *ut ſuæ leges, ſui magiſtratus Capuæ eſſent,* Put. Pet. melior non *Campanis* : quamquam parum intererſit, ut infra ad lib. 27. videbimus. Men. & tres Pall. *Campaniæ.* Statim optimi : *trecentos ex Romanis captivis.* Vtique melius, quam *captivos*, ut vulgatur : nam & apud Pœnum hi jam captivi erant. Item : *Hæc pacta : illa inſuper quam quæ pacta erant* : omnes ſcripti & veteres edd. non *alia.* Tum, *velut cuſtodiæ ſuæ cauſſa* : deeſt iterum in omnibus pronomen. Ibidem : *ne quid eo die ſeriæ rei gereret* : Modii feliciſſima eſt conjectura, ſatis firmata vetuſtiſſimo Put. in quo *ſererei.* Eandem formulam aboleverant imperiti lib. 26, 17. *Illum diem religioſum Carthaginienſibus ad agendum quidquam rei ſeriæ eſſe.* Sic enim nos ex optimis libb. Illi *feriatum eſſe.* Denique meliores noſtri : *viſenda urbe.* non *viſendo urbem.* Sic lib. 2. *plus dignitatis comitiis ipſis detractum eſt Patribus ex concilio ſubmovendis, quam virium additum plebi.* Quod alius diceret, *Patres ſubmovendo.* Lib. 3. *ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iiſdem tribunis plebis creandis ſequerentur.* Lib. 21. de elephantis : *Excidere quidam in flumen, ſed pondere ipſo ſtabiles quærendis vadis in terram evaſere.* Cicero : *gratiam quoque nos inire ab eo defendenda pace arbitrabamur.* pro *defendendo pacem.* Vterque infinitis locis. Plautus Epidico : *Quum mili-*
ta-

litabam, pugnis memorandis meis Eradicabam hominum aureis. id eſt, pugnas memorando meas. Fruſtra alii *memorandas* conjiciunt.

Cap. 8. *Minios Celeres Stenium Pacullumque*] Pu. Pet. melior, Men. Pal. *Ninnios.* Cæterum hoc & ſequenti capite, non Livius, ſed Lerna atque Hydra conſederant: domuimus tamen omnia fere monſtra adjuti à Put. aliiſque fidis libris, ut explicitum latius in Obſervationibus. Veræ lectiones ſunt in contextu: nam hic tamen habuimus obſequentes & fidas operas. Tantum in fine reſtat eximium portentum, cujus faciendi quanta fuit librariis editoribuſque audacia, tanta conficiendi nobis eſt deſperatio. Ita vero optimus codicum: *Tu patria ferrum, quo pro te armatus hanc arcem hoſtrimini quoniam parens extorquet, recipe.* Concurrite omnes augures.

Cap. 10. *Brevi caput Italiæ omnis Capuam fore*] Libri, *omni.* Plautus Aſinar. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.* Mox: *cum cæteris populis Romanum.* non *populum.* Ibidem: *Habetis eam libertatem.* Sigonius: *Habetis en libertatem.* Non male: ſed noſtri omnes utravis voce carent. Ut & pronomine medio in illis: *Hæc eo vociferante.* Scribimus ergo: *Hæc vociferanti.* Poſtea omnes: *quæ tum in ditione regum erant.* Nuſpiam additur *Ægypti*, quod excidiſſe ſuſpicabatur Lipſius. Sine cauſſa: nam ditio regum ſæpe Romano imperio opponitur. Tacitus 2 annal. *turbabantur nationes, pleriſque Romanum, aliis regium imperium cupientibus.* Idem alibi: *ſe pro umbra regum prætorem & leges victis impoſiturum.* Statim malo: *quum eum docuiſſet.*

Cap. 11. *Q. Fabius Pictor à Delphis Romam rediit*] Libri ſcripti: *Q. Fabius Pictor legatus à Del-*

Delphis. Deinde omnes melioris notæ: *res veſtræ meliores facilioreſque erunt, magiſque ex ſententia.* Non ullus horum *feliciores*, quod intruſit Sigonius. Terentius Adelphis: *quam vos facillime agitis, quam eſtis maxime potentes, dites, fortunati, nobiles.* Virgilius: *bello Egregiam & facilem victu per ſecula gentem.* Plautus Curcul. *Nugas garris. CV. ſoleo, nam propter eas vivo facilius.* Epidico: *Quam facile & quam fortunate evenit illi, obſecro, mulieri.* Cicero 6. famil. 5. *Res & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ ſunt, quæ quidē quotidie faciliores mihi & meliores videntur.* Sic Tacitus in vita Agricolæ: *augeatque quotidie facilitatem imperii Nerva Trajanus.* Quod non debuit mutare Pichena, neque, etſi fortaſſe moneri nolint, debuiſſent mutantem ſequi accurati novæ editionis procuratores: nihilo magis, quam debuerunt ſollicitare: *clementiam ac juſtitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora.* Qui quando, quod olim rogabant qui dici poſſet, id nunc neſciiſſe videri nolunt, ſciverint ſane quantum non videri volunt neſcire: quod autem nunc etiam ita ſentire ſe nos voluerunt ſcire, norint & ipſi non pœnitere eum, qui fecit, ut neſciiſſe videri nolint, etiam clementiam & juſtitiam in imperiis tolerari, etiamque ad ſecunda ſuſtinenda patientia opus eſſe. Sed his latius docendis jam ſuus locus adſignatus eſt. In eodem reſponſo Delphico: *lucris meritis donum mittitote.* Scaliger ad Feſtum, *lucaris meriti:* quod vellem ipſe explicuiſſet. Mss. nihil mutant. An vitium è notis ortum, quas non ceperint maleque interpretati ſint librarii, & voluit auctor: *lubentes merito donum mittitote?* An ſervabimus potius vulgatam, & *lucris meritis* eſt, lucris perceptis, quæ deorum nutu & ſtrenua virtute promeriti eſtis?

Sta-

Statim adjecimus è Put. & optimis ſolummodo: *laſciviam à vobis prohibetote.* Denotat hic *laſcivia* irreligioſam exſultationem in rebus ſecundis, atque ex ea deûm incuriam atque oblivionem. Ab iiſdem eſt: *his omnibus divis:* (ab ſolo Put. *juſſumque ab templi antiſtite*) & *coronam Romæ in aram Apollinis:* item, *quæque deficiebant:* &, *à fratre exponit.* Illud præclarum: *Magiſtrum equitum, quæ conſularis poteſtas ſit.* non, ut vulgo à magiſtellis, *qui conſularis poteſtatis ſit.* Sic lib. 8. noſter: *pareantque ei conſules, regia poteſtas.* lib. 24. *puellis ut ſaltem parcerent, à qua ætate etiam hoſtes iratos abſtinere.* Lib. 30. *Suffetes, quod velut conſulare imperium apud eos erat.* Etiam ex Put. Pet. & Flor. melioribus eſt, *partim Samnitium.* Adde 3. Obſerv. 2. In ipſo fine: *verum eſſe grates deis immortalibus agi haberique:* legendum diximus ſupra ad lib. 3, 40.

Cap. 12. *Quo propius ſpes belli perficiendi.*] Libri, *ſpem*, ut diximus ad lib. 8, 32. *Sit*, nempe ipſe Annibal. Ibidem Put. Pet. Men. duo Pall. *magnam vim frumenti, pecuniæ, abſumi.* extrita copulativa. Spernunt etiam in illis: *etiam nunc te pœnitet;* pronomen ab Sigonio ingeſtum. Rurſum non, *gratias diis immortalibus*, ſed *grates:* quod quia poëtis magis quam oratoribus grammaticorum tribuerunt editiones, ubique fere ſcioli deleverunt. Statim: *nunc interroganti ſenatori:* omnes ſine variatione. Sigonius voluit *interrogante ſenatore:* non recordatus phraſis elegantis, *reticere alicui.* Lib. 3. *& ad Valerium negantem ſe privato reticere, lictorem accedere juſſit.* Ovidius lib. 3. met. *quæ nec reticere loquenti, Nec prior ipſa loqui didicit.* Fabius 12. inſtit. or. 6. *At illis & judex tacet & adverſarius obſtrepit.* Ibidem: *quid aliud, inquam, ſi ſpoliatus;* volentibus

omni-

omnibus ſcriptis relegamus *τὸ inquam*. Denique optimus : *factionis Barcinæ*, & ſic fere ſemper.

Cap. 13. *Adhuc multum ſupereſt*] Probi noſtri : *adhuc nimis multum*. Deinde Put. & Pet. *Quum id neſcire Mago diceret* : omiſſo pronomine *ſe*. Item : *in Italiam eſt tranſgreſſus*. Iidem: *quum vincemus quam nunc cum vincimus, dat nemo*. Velim ergo : *quum vincemur, quam nunc dum vincimus*. Ibidem : *& fruſtrantibus nos falſa atque inani victoria multo minus cenſeo mittenda eſſe*. Exterminant *τὸ victoria*, ejuſque vice Put. *falſâ atque inanis que multo*. Put. & Men. *falſa atque inaniaque*. Scribe : *falſa atque inani ſpe multo*. Nempe Mago ipſe dixerat : *quo propius ſpem belli perficiendi ſit*. Denique : *& argenti talenta* omiſſo *τοῦ multa*, ut credibile ſit numerum excidiſſe. M. Antonius Muretus acute legit *M. VC.*ta quod explicat, *mille quingenta talenta*. 16. Var. lect. 8.

Cap. 14. *Et dictator M. Iunius rebus divinis perfectis*] Put. meliorque Pet. *Iunius per rebus*. Scribe omnino : *M. Iunius Pera rebus*. Nam id cognomen dictatoris fuiſſe conſtat. Quod etiam vereor ne corruptum ſit apud Valerium Maximum lib. 7, 6. *Cannenſis autem clades adeo urbem noſtram confudit, ut M. Iunii opera dictatura rempublicam adminiſtrantis ſpolia hoſtium adfixa templis, deorum numini conſecrata, inſtrumento militiæ futura convellerentur*. Sic ex ſcriptis edidit Pighius, elegantius, ut putat, quam vulgo : *opera M. Iunii*. Non equidem admiror prædicatam elegantiam hujus tranſpoſitionis, ſed in ea propiora ad veritatem veſtigia deprehendo. Neque enim dubito, quin ſcripſerit Valerius : *ut M. Iunio Pera dictatura rempublicam adminiſtrante*. Ibidem, ut conjecit Lipſius:

deſcen-

deſcendit edixitq;: plane iidem Put. & Pet. melior. *Capitalem fraudem frauſi* voluit Scaliger ad illud Feſti: *Frauſus erit fraudem, commiſerit.* Plautus: *metuo, in commune ne quam fraudem frauſus ſiet.* Et ſolent in hujuſmodi formulis antiquitatem amare nitidiſſimi quoque ſcriptores. Præter mentem tamen meam hæc varietas in textum recepta eſt: nam omnes Mss. *capitalem fraudem auſi.* Lib. 26. *capitalia auſi plerique.* lib. 27. *auſi tantum nefas.* Illud mirum eſt in optimis pleriſque eſſe *pecunia judicati.* Non ſequor. lib. 6. *centurionem judicatum pecuniæ.* lib. 26. *quoad vel capitis vel pecuniæ judicaſſet privato.* Statimque iterum: *tum Sempronius perduellionis ſe judicare Cn. Fulvio dixit.* Ex quo loco, ſic in optimis Codd. integro, jamdudum ambigo, ſitne eadem antiqua & exquiſita formula reſtituenda lib. 1, 26. *Duumviros, qui Horatio perduellionis judicent ſecundum legem, facio.* Et, *Duumviri perduellionis judicent.* Iterumque: *P. Horati, tibi perduellionis judico.* Nec ſecus lib. 43, 16. *& utrique cenſori perduellionis ſe judicare pronuntiavit.* Quibus omnibus locis vulgo habetur, *perduellionem.* Sed de hoc alias accuratius. Statim duo optimi: *ſeſe exſolvi juſſurum. Ea ſex millia hominum.* Vitioſum eſt eodem capite: *non poſſe, clam ſimulando dilationem.* Barberin. *non poſſe, ſed clam ſimulanda ſimulando dil.* Florentini: *non poſſe, ſecum diſſimulanda ſimulando dil.* Put. Pet. & Flor. optimi: *poſſe ſecunda ſimulanda.* Scribe: *reſiſti multitudini concitatæ non poſſe, ſecunda ſimulando dilationem mali inveniunt.* Sic lib. 2. *& eos ipſos ſedulo audientes ſecunda iræ verba,* id eſt, ſubſervientia, ſubſcribentia. Lib. 8. *tres leges ſecundiſſimas plebei, adverſas nobilitati tulit.* Silius de Petilia: *Infelix fidei miſeraque ſecunda Saguntho.*

Cap.

Cap. 15. *M. Iunius Syllanus erat*] Lege cum optimis: *Silanus*. Statim: *Neapolim quoque, ſicut Nolam, non admiſſus*. Mss. *Neapoli quoque ſicut Nolano omiſſa*. Scribe cum Valla: *ſicut Nola omiſſa*. Niſi fuerit tamen: *Neapoli quoque, ſicut Nola, non admiſſus*. Mox meliores: *præmia atque honores, qui remanerent ac militare ſecum voluiſſent, propoſuit. nec ea ſpe quemquam tenuit* ſuper cæteram mutationem eleganter omiſſa voce *iis*. Plautus Trinummo: *Pater cum peregre veniet, in porta eſt locus*. Vbi Douza: *Patri*. Sed illo modo Mss. Noſter lib. 4. *Ex peregrino ne patritius, deinde conſul fiat; civis Romanus, ſi ex plebe, præciſa conſulatus ſpes erit*. Lib. 10, 25. *hodierno & craſtino die, qui nomina dederitis, mecum ducam*. Vbi quid opus *dederint* Sigonii? Auctiores inde particula boni libri de L. Bantio: *& ſociorũ ea tempeſtate prope nobiliſſimus eques*. Tranſponunt vero, ut edidimus, illa: *utique Cannenſi prælio non prius pugna abſtiterit*: quamquam parum interſit.

Cap. 16. *Clauderentque deinde portas*] Meliores relegant copulam. Iidem: *ut potentes rerum ſuarum atque urbis*. non *potientes*. lib. 21. *ut vix armorum tenendorum potentes eſſent*. Ovidius 2. Amor. 2. *Ille potens dominæ. cætera turba jacet*. Ita notavimus in Mss. & verum videtur contra tot varietates. Pomponius Mela 1, 17. *quod Amazones Aſiæ potentes conſecraſſe dicuntur*. Sic veteres libri, ubi ſuppoſuerunt: *Aſia potitæ*. Sic *regum potens* Lucano, & Ceres *frugum potens* Senecæ, eidemque 1. nat. quæſt. 17. *materiam excipiendarum imaginum potentem*. Inferius: *Moxque dum in ſua quiſque miniſteria*: volentibus iiſdem exegi *moxque*; quod ceu ferrumen male ſibi hærentis orationis inſeruerant male ſeduli. At co-

eodem prorſus modo lib. 27, 14. *duodeviceſimam legionem in primam aciem inducit. Dum alii trepidi cedunt, alii ſegniter ſubeunt, turbata tota acies eſt.* &c. Numerum cæſorum auget Put. nam pro *millia & trecentos* habet *millia & DCCC.* Sic etiam de Romanis: *non plus D. Romanorum amiſiſſe:* ubi vulgo: *non plus uno Romanos amiſiſſe.*

Cap. 17. *Bonaque eorum juſſit publica eſſe*] Præclare Put. *juſſit publica P. R. eſſe.* quod eſt, *populi Romani.* Ibidem: *ne quis tam propinquis hoſtium caſtris Capuam quoque recurrat.* Quis non videt eſſe corruptum? Lipſius: *ne quid t. p. h. c. Capuæ quoque occurreret.* In Put. eſt: *Capuæ quoque orerecurrunt.* A manu ſecunda erat deletum *ore;* inde corruptius alii libri, & tandem exſtructa eſt vulgata. Sed videtur olim: *Capuæ quoque oreretur motus.* Supra: *priuſquam aliquis motus intus oriretur.* Lib. 4. *ne quid novi tumultus in Lavicis oriretur.* Lib. 29. *ne qui motus major in finitimis gentibus populiſque oriretur.* Sæpe autem *oreretur* pro *oriretur* optimus liber. Sic lib. hoc cap. 7. *certaminis oreretur.* Sequenti c. 21. *in Sicilia oreretur.* Ibidem: *partem urbis, quæ citra Vulturnum eſt.* Put. à manu prima: *quæ civulturnum.* Lege: *quæ cis Vulturnum.*

Cap. 18. *Præmittit: primo ſi fiat*] Optimi: *præmittit, ac primo.* Pro illo: *moliri portas & ſeras clauſtraque effringere:* illic eſt: *moliri portas & clauſtra refringere.* Inferius: *Socii Romanorum propugnacula adverſus vineas ſtatuere.* Mox quoque Put. *adverſus omnia humana mala ſæpe ac diu duratum.* non *durantem*, etſi τὸ *ſæpe*, hoc flagitare videatur. Lib. 7. *fluentes luxu ab duratis uſu armorum in Sidicino pulſi agro.* Lib. 30. *exercitum æqualem ſtipendiis ſuis, duratum omnium rerum patientia.* Denique & illi & maxima

ma pars aliorum : *in eas ſe merſerant.* non *immerſerant.* Vt &, *ſcorta balineaque.*

Cap. 19. *Ducto ex hibernis milite*] Libri : *educto.* Mox è gloſſematico Sigonius nobis expatravit ; *quia edictum erat dictatoris :* cum ſcripti & editi priores, *prædictum.* Tacitus 13. ann. *ne pugnam priores auderent, prædicit.* Reſtituimus alibi Valerio, eſtque elegans, ut ibidem oſtendimus. Rurſus : *ſi palam frumentum importaret, videbat:* non, *importare vellet, videret.* Et de hoc ſimilibus pluribus conjunctis alibi. Porro : *Nuces tamen fuſæ.* non, *Nuces inde fuſæ.* Ponitur eleganter iſta particula, quaſi aliud membrum cum relato ejus, *etſi*, præceſſiſſet. Plenus eſt ſenſus: Quamvis intendiſſent cuſtodias Pœni, tamen nuces fuſæ fefellere & excipiebantur. Sic Silius Italicus lib. 7. de Pallade : *atque adſuetum caſſide crinem Involvi tum comta tamen.* ut emendamus 1. obſerv. 17. Integre eſt : atque adſuetum involvi caſſide crinem, quamvis rariſſime comat, tum tamen comtum habens. Etiam *lamna anea* optimus ille, ut & fere *vincla* alibi.

Cap. 20. *Conſulere ſibimet ipſos in præſenti fortuna*] Optimi : *conſulere ſibimetipſos in reliquum præſenti fortuna juſſerunt.* id eſt, in futurum, dum præſens fortuna duraret.

Cap. 21. *Priores ex Sicilia Otacilii propratoris*] Put. *Totacilii.* Lege : *Titi Otacilii.* Mox : *ipſum graviter ſaucium in diſcrimine ultimo vitæ eſſe.* Ita Put. & Petav. ille melior. Lipſianus, Menardi, duo Pall. *graviter ictum ſaucium.* Pal. tertius : *ictum ſauciumque.* Lipſius conjicit : *graviter relictum ſaucium.* Atqui niſi auctoritas duum vetuſtiſſimorum impediret, reciperem plane alterorum codd. ſcripturam ſine ulla præterea conjectura. Quid enim opus ? *Graviter ictum ſaucium,*

tium, uti jam ante, *armatis dimicantibus, vagus errans*, & ſimilia notavimus. Iam attigi: *juſſique ipſi claſſibus atque exercitibus ſuis conſulerent:* monuique ſcribendum ex genio ſtyli Liviani, *conſulere.* Nec tamen ocioſas putes literas ſequentes, ultimam certe accipe pro prænomine ejus, cujus mentio ſtatim ſequitur, ſcribeq;: *conſulere. T. Octacilius ad unicum ſubſidium* &c. Vide ad lib. 1. Non lõge meliores: *in ſtipendiũ quanti argenti opus fuit:* non *quantum*. Item: *L. Æmilius Papus, qui conſul.* exprimunt, quẽ recte intellexerat Sigonius. Omnes vero: *qui ceciderant pugna Cannenſi*, non *in pugna.*

Cap. 22. *Incertamque fidem id tactum*] Scribe: *id iactum.* lib. 6. *quum omiſſo diſcrimine, vera an vana jaceret, theſauros Gallici auri occultari à Patribus jecit.* Lib. 37, 25. *Ad hoc colloquium utrimque ventum eſt: jactæ ſunt pacis conditiones.* Ita plane Mss. Sic & ſæpe Livius jactare.

Cap. 23. *Tum ex iis, qui ſpolia ex Romano*] Vt recitat Sigonius: *tum ex his, qui magiſtratus cepiſſent, qui ſpolia:* omnes boni libri; nec quidquam verius emendatione ejuſdem negativam interponentis, quæ & nobis ad conſpectum veteris ſcripturæ naſcebatur. Cæterum & optimus liber: *qui ſpolia ex hoſte fixa domi haberent aut civicam Romanam accepiſſent.* Quod indicandum duxi, etſi nondum vulgatam mutandam judicem. Nec longe Put. Pet. Men. tres Pall. *cum ingenti approbatione hominum.* non *omnium.*

Cap. 24. *De ſe pauca ac modice loquutus*] Optimi: *ac demodice.* An *permodice?* Ibidem: *nova clades nuntiata, alia ſuper alia cumulante in eum annum fortuna.* Plures: *alia ſuper aliam.* Sed unus ex Pall. clare, ut conjiciebam: *aliam ſuper aliam.* Referuntur enim ad *cladem* hæ voces. Hinc boni, quamvis parum refert: *Litanam Galli vocabant*

bant. Tum, *in agros hoſtium induxerit :* hoc vero neceſſarium. Mox optimi: *omni vi*, *ne caperetur, dimicans, occubuit.* non *obnixus.* Ibidem: *idque ſacrum vas iis erat, quo ſolennibus libarent, poculumque idem ſacerdoti eſſe ac templi antiſtitibus.* Freinshemius ut ſuperfluum delet τὸ *eſſe*; ego potius τὸ *erat*, & hoc refero ad illa, de quibus ad lib. 6, 27. Cæterum & hinc malim apud Florum lib. 3, 4. *libare diis ſanguinem humanum :* quam *litare.* Tacitus 16. annal. *poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens, propius vocato quæſtore, libemus, inquit, Iovi liberatori.* Nec ignoro apud Martialem, *litare ſanguine.*

Cap. 25. *Proſpera modo eſſet, ſicut ſperaret, fortuna*] Optimi: *modo eſſent, ſicut ſperaret, futura.* Sequitur egregia reſtitutio curæ noſtræ & Put. debita: *duone conſulares exercitus ſatis firmati tanto bello ſufficerent, inibatur ratio.* Sic peſſime correctores, quum in Mss. & ante Vallam eſſet: *ne ſecundo conſ. exerc. ſat. firmi ad tantum bellum efficerentur.* Vnde Valla: *nec quomodo conſul.* Melius certe quam illi, judice quoque Sigonio. Put. *quaeſitum eſtnecundo conſulares.* Manus ſecunda inter *E* & *C* adjecerat interlinearem ſyllabam *SE.* Inde ortum & propagatum in ſequiores omnes libros: *ne ſecundo.* Vera eſt autem, quam edidimus: *nec, unde conſulares exercitus ſatis firmi ad tantum bellum efficerentur, inibatur ratio.* Ad phraſin illuſtrandam Cæſar 1. de Gall. *regno occupato per tres potentiſſimos ac firmiſſimos populos.* lib. 5. *Senones, quæ eſt civitas in primis firma & magnæ inter Gallos auctoritatis.* lib. 7. *cohortes, quas minime firmas ad dimicandum eſſe exiſtimabat.* Varro lib. 2. de ruſt. 10. *mulieres eſſe oportet firmas, quæ in opere non cedant viris.*

Ovi-

Ovidius lib. 3. Faſtor. *Inde datæ leges, ne firmior omnia poſſet.* Sic meliores Mss. ubi ſubſtituerunt *fortior*: lib. 7. metam. *qui quamquam milite, quamquam claſſe valet, patria tamen eſt firmiſſimus ira.* Nam *fortiſſimus*, quod non male videntur habere libri quidam Berſmanno, alterius eſt explicatio. Columella quoque, ut ſemper, eleganter lib. 6. *major prægnantibus adhibenda cura eſt, largoque paſcuo firmandæ.* Eodem: *& defecto viridi pabulo & largo ordeo firmandus.* Iam Salluſtii, *exercitum argento fecit*, notum eſt ex crebra Arruntii imitatione Senecæ reprehenſa. Noſter lib. 25. *ſummaque trium & viginti legionum eo anno effecta eſt.* lib. 31. *donec & ipſe quinque millia ſocium ac nominis Latini effeciſſet.* Mox laudet Glareanus: *De exercitu eos qui ex fuga.* Plerique veteres: *De exercitu Marcelli eorum qui:* aut eodem modo deleta voce *Marcelli.* Sed Put. & Pet. *De exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga.* Iidem ſtatim: *niſi qui ſtipendiorum.* non *quod.* Et puto rectius. Miles dicitur *eſſe ſtipendiorum legitimorum*, qui ſtipendiorum legitimorum numerum confecit.

Cap. 26. *Publius & Cnæus Scipiones inter ſe partiti*] Sigonius in veteri ait eſſe *partitis* ut legebat Glareanus: unde ſcribit ille: *partiti ſunt copias*, vel *partitis copiis.* Sed optimi noſtri & Pall. tres: *P. & Cn.* (intellige, *Publio* & *Cnæo*) *Scipionibus inter ſe partitis copiis, ut Cnæus terra, Publius navibus rem gereret: Aſdrubal Pœnorum imperator.* Deeſt enim etiam τὸ *mari* cum copulativa. Statim ſcribe: *procul ab hoſte, intervallo ac locis tutus.* Sic enim optimi. Iidem: *Chalbum nobilem Tarteſiorum ducem*, quod recte probat Glareanus. Tum, *caſtris ſetetenentem.* non *detinentem*, quod vix eſt hoc ſenſu Latinum. Corrige: *caſtris ſeſe*

tenen-

tenentem. lib. 31. *Intra muros deinde tenentibus milites Athenienſibus.* Denique: *qua eliceret hoſtes ad certamen.*

Cap. 27. *Vrbem Aſenam, quo fines*] Omnes, ut & Sigonianus *Aſcuam.* Dehinc: *ut palatos ſine ſignis hoſtes.* Ibidem: *quem ut adeſſe tumultuoſi nuntii refugientes ex ſpeculis ſtationibuſque attulere.* Optimi: *adeſſe tumultuoſe nuntiares fugientes.* Poſſis ſuſpicari τὸ *attulere* à mala manu eſſe, & ſcribendum: *quem ut adeſſe tumultuoſe nuntiavere refugientes ex ſpeculis ſtationibuſque, ad arma conclamatum eſt.* Putaverunt fartores deeſſe ſubſtantivum, ideo fecerunt *nuntii*, & poſtmodum illud adjecerunt. Præterea boni: *tamen primo ipſa audacia.* non *tum.* In literis Aſdrubalis: *quem relinqueret prope eos imperatores eſſe Romanos.* Ita plane Put. Scribe: *quem relinqueret pro ſe: eos imperatores eſſe Romanos.* Denique: *cui ſi omnia proſpere evenirent.* Idem, Pet. Men. carent particula *ſi.* Nempe fuit: *cui ut omnia evenirent.* Tale vitium apud Cæſarem lib. 2. de bello Gall. in principio: *qui Germanos diutius in Gallia verſari nollent, ita populi Romani exercitum hiemare atque inveteraſcere in Gallia moleſte ferebant.* Nam & ſenſus & Græcus interpres volunt: *qui ut Germanos.* Vſus particulæ idem apud eundem lib. 3. de Gall. *ac jam ut omnia contra opinionem acciderent, tamen ſe plurimum navibus poſſe.*

Cap. 28. *Illico Romani finem imperii fore*] Tres Pall. Men. Andreana atque Aldina: *illis Romani.* Pet. melior: *illus.* Put. vere & elegantiſſime: *illum Romani.* Lib. 2. *ita cæſi in medio prædatores, neque ad pugnam viribus pares, & ad fugam ſeptis omnibus viis: finiſque ille tam effuſe vagandi Etruſcis fuit.*

Cap. 29. *Peditum pars ante ſigna locata*] Pet.

Men. tres Pall. *pars inter ante ſigna.* Put. *velitum pars interanteſignalos locata.* Vnde ſcribendum haud dubie : *velitum pars inter anteſignanos locata.* Sic lib. 30. *vias patentes inter manipulos anteſignanorum velitibus complevit.* Lib. 38. *Quod ubi Romani viderunt, expediunt ſeſe ad pugnam. ante ſigna modico intervallo velites eunt.* Ibidem; *utroque Romani,. ut qui pulſis tandem mediis & numero & robore virorum praſtarent, haud dubie ſuperavere.* Liber optimus: *pulſis tantdantem mediis.* Scribe : *ut qui pulſis jam tum mediis.* Vel, *jam ante.* Nam præcedit : *quum vix pila conjecta eſſent, retulit pedem media acies.* Iterum : *caſtra Romani cepere, atque inde diripuere.* Optimi jubent induci τὸ *inde.*

Cap. 30. *multorumque ſanguine ac vulneribus*] Optimi : *Multo ſanguine.* Melius, ut hinc exordium capiat nova periodus. Etiam tres Pall. & Aldina : *multoque.* Ibidem : *ſutrinæ poſtremo coriis.* Put. *ſuetaeque poſtremo.* Eoque alludunt omnes alii exhibendo *ſueteque* aut *ſuetemque*, ut & erat ante Vallam, qui conjecit, *ſcutorumque.* Vulgatum eſt ab Andreana. Salmaſius ita concinnabat : *abſumtis enim frugum alimentis, carniſque omnis generis quadrupedum, ſuetaque poſtremo coriis.* Scribe etiam cum Put. *armantem eum multitudinem ſollicitantemque ſocios.* Inferius : *quum primum magiſtratum iniſſet.* Put. *cumiboiniſſet.* Additum inter ordines verſuum : *No.* Vnde Pet. & Flor. meliores, Pal. Barber. *cum ibono iniſſet.* Alter Pal. *cum primo iniſſet.* Men. *cum ibone iniſſet.* A peſſima manu alter Petav. *cum in bono augurio magiſtratum iniſſet.* Fortaſſis : *ut Tib. Sempronius conſul deſignatus, quam primum meminiſſet ad populum ferre.* Statim : *ut duumviros eſſe juberent ædis dedicandæ cauſſa* : à Valla & Sigonio

gonio eſt, qui poſterior quorum librorum vett. auctoritatem obtendit, illi ſacres ſinceri, ut ajebant antiqui, non ſunt. Put. *ut quae Fabium duumvirum eſſe juberent.* Pet. & Flor. *ut Fabium duumvirum.* quemadmodum & priſcæ editiones. Barber. Pall. Men. Pet. alter: *ut duumvirum.* Vera ſcriptura eſt: *ut Q. Fabium duumvirum eſſe juberent ædis dedicandæ cauſſa.* Sic ſæpe Livius. Lib. 2. de æde Caſtoris Latino bello à Poſtumio dictatore vota: *filius ejus duumvir ad id ipſum creatus dedicavit.* Lib. 6. *Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata eſt à T. Quinctio duumviro ſacris faciundis.* Lib. 34. *ædem Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali dedicavit Q. Martius Ralla, duumvir ad id ipſum creatus.* Lib. 36. *Iuventatis ædem in Circo Maximo C. Licinius Lucullus dedicavit.* Sed ait Glareanus manere debere pluralem numerum, quod & T. Otacilius creatus ſit ædi Mentis dedicandæ: ideoque ſcribendum, *ædium dedicandarum cauſſa.* At prædixerat Livius, Fabium poſtulaſſe ab Senatu, ut ædem Veneris Erycinæ, quam dictator voverat, dedicare liceret: non etiam, Otacilium de æde Mentis. De quo ergo uno inſtituerat loqui, de eo ſolo pergit. Quod autem poſtea duarum ædium dedicandarum cauſſa duumviros creatos narrat, minime cum his pugnat. Hic enim mos hiſtoricorum eſt, cujus & alibi Glareanum Sigonius admonet, multa reticere, quæ ex conſequentibus narratis facta intelligantur. Cogitandum igitur occaſione hujus mentionis à Fabio illatæ, etiam Otacilium de æde ab ſe vota ſermonem moviſſe, & par decretum tuliſſe. Eodem cap. Put. & Pet. melior: *Plebeji ludi ædilium M. Aurelii Cottæ & M. Claudii Marcelli ter inſtaurati. Circumacto.* Vbi vulgo: *ludi à M. Aurelio Cotta & M. Claudio Mar-*

Marcello ter inſtaurati ſunt. Iidem ſtatim: *Marcello pro conſule imperium eſſe.* non *proconſuli.*

Cap. 31. *Vt eo anno duplex*] Repone ex Put. Pet. Men. duob. Pall. *ut quo eo anno.* Ponitur pro conjunctione τὸ *quo.* Alludunt alii libri, qui fere omnes habent *quo* expuncto τῷ *eo.* Ibidem: *qui milites ad Cannas fuiſſent. Inde de exercitibus ita decretum eſt.* Put. *Cannas fuiſſe ide exercitibus ita decreverunt.* Supra *ide* adjectum à ſecunda manu N. Hinc fecerunt liberales: *Inde de exercitibus.* At debebant: *fuiſſent. De exercitibus ita decreverunt.* Cur autem, *decretum eſt,* ſubjecerunt? Nempe quia præcedenti periodo: *Senatus decrevit.* Hoc ſapere eſt. At inferius, ubi habent optimi: *accipiendum deducendumque inde in Siciliam:* τὸ *inde* omiſerunt. Iterum, ubi illi: *quem maxime vultis:* fecerunt, *quemque maxime.*

Cap. 32. *Conſules exercitus inter ſe diviſerunt*] Locus miſere adfectus. Put. *Coſſ. exercitus inter ſeſetiuſſerunt Favio exercitus trani cui M. Iunius dictator præterfuerat evenit Sempronior volones que fierent.* Eodemque modo Pet. niſi quod *intereſſe* & *tradi.* Cui conſentiunt Flor. Palatinuſque unus. Suſpicor duobus vocibus eraſis veram ſcripturam eſſe: *Conſules inter ſeſe juſſerunt, Fabio exercitum tradi, cui M. Iunius Pera dictator præfuerat, Tib. Sempronio volones, qui fierent & ſociorum viginti quinque millia. M. Valerio* &c. Dicit conſules ita inter ſe comparaviſſe, ut juberent &c. Illud *præterfuerat,* revocabat in mentem mihi propoſitam ſuperius conjecturam veriſſimam in cognomine dictatoris. Videtur enim illud *ter* abundans corruptum primo ex *Per:* ut & illic: *Iunius per rebus:* deinde cum in vicinia nullum aliud verbum eſſet, cui adjungi poſſet, interjecerunt librarii τῷ *præfuerat.* Ait etiam *volo-*

nes, qui fierent, quo modo & Andreana Aldinaque: nam qui antea lecti erant, in exercitu manebant Iunii dictatoris, uti conſtat ex prioribus. Mox Put. Pet. tres Pall. *quoties in Senatum vocaſſent:* quemadmodum alibi, *advocare ad concionem, advocare in conſilium*. Lib. 9. *Ad conſules mæſtos, ne advocantes quidem in conſilium, ſua ſponte legati ac tribuni conveniunt*. Lib. 37. *Conſul poſteaquam detrectari certamen vidit, poſtero die in conſilium advocavit quid ſibi faciendum eſſet*. Inferius Put. *veterem prætorem inde A. Cornelium*. Ibidem Put. Pet. duo Pall. Men. *gravi tributo & collatione iniqua frumenti preſſos*. non *oppreſſos*. Nomen principis Sardi *Ampſicora* vel *Hampſicora* & hic & ubique faciunt optimi, non *Harſicora:* id quod propius accedit ad Silii *Hampſagoras*. Statim de Aſdrubale, ignorant: *cognomento calvum:* nec opus eſt, quum idem exſtet cap. 34. Ibidem: *ante Kalendas Iunias primus*, ut Sigonius voluit, omnes fere, non *Iulias*. Et optimi: *qui non invexiſſet, ejus*. non *invexiſſent, eorum*.

Cap. 33. *Cum Annibale & Pœnis erat*] In optimis nomen ducis cum copulativa non exſtant. Dein omnes: *ad Laciniæ Iunonis templum egreſſi ſunt:* & habeo, cur nondum plane hæream Lipſio τὸ *templum* pro gloſſemate delenti, licet ſequenti cap. ſit: *eodem ad Laciniæ Iunonis*. Ibidem Put. & Pet. *hoſtem pro hoſpitibus*. Scribe ergo & *hoſtes*. Statim: *itineraque cum cura demonſtrent:* abeſt omnibus copulativa ut & Sigoniano. Et, *aut Romanus aut hoſtes*, optimi. Item: *amicitiam jungit legibus his: ut Philippus*, Put. Pet. Men. nam perperam poſtremæ particulam omittunt. Denique optimi: *quaque inſulæ ad Macedoniam*.

Cap.

Cap. 34. *Q. Valerius Flaccus Corcyraeos ad perſequendam retrahendamque navem*] Quomodo Corcyræos? quum ſtatim: *tradunt ſe Romanis*. Put. *cercyros*. *Cercyri* ſunt cercuri. Salmaſius. *Cercurus* genus navis apud A. Gellium 10, 25, Plautum Mercatore & Sticho, Lucilium citante Nonio. Noſter lib. 33. *cum claſſe centum tectarum navium, ad hoc levioribus navigiis cercuriſque ac lembis ducentis proficiſcitur*. Appianus Libycis, de Romanis tertium Punicum bellum molientibus: *ναυσὶ δ' ἐφέροντο πεντήκοντα μὲν πεντήρεσιν, ἑκατὸν δ' ἡμιολίαις, ἀφράκτοις δὲ καὶ κερκούροις καὶ στρογγύλοις πολλοῖς*. Ibidem: *ubi celeritate victi ceſſerunt*. Probi omnes: *vinci ſenſerunt*. Recte quidem, nam intelligitur *τὸ ſe*. Non multo poſt: *litera quoque ab Annibale ad Philippum inventa de pace inter regem Macedonum Pœnumque ducem*. Put. *inventa & pactae & pactis inter*: cum virgulis tamen, quæ *& pactis* cancellabant. Itaque Pet. melior: *& pactae*. Lege: *inventa & pacta pacis inter regem Macedonum Pœnumque ducem*. Mox: *legatos ſeparatim cuſtodiendos*: boni fere omnes, *partim*. Sed & optimi: *neve quae communicatio*. In illo: *ad bellum ac defectionem omnes ſpectare*: in melioribus deeſt præpoſitio. Quia utroque modo Livius alibi, cur vetuſtiſſimis libris non obſequeremur?

Cap. 35. *Ne quid ab Romano novi periculi eſſet*] Solus Put. hic nos adjuvit: *ab Romanouenove*. Verum eſt in textu: *ab Romano Pœnove periculi*. Porro optimi: *ea maxima pars volonum erant*. Deinde Put. *inter quae maximamerat curacura duci*: omiſſo *τῷ concordiæ*, quod & Pet. & Men. prorſus ignorant. Scribe primum: *maxima inerat tum cura duci*. Salluſtius: *prorſus multa facetiæ multuſque lepos inerat*. Deinde iidem tres:

ne qua exprobatio. Noris, lector, vocem *concordiæ* omnino à battologo quodam adjectam, qui neſciebat τὸ *itaque* non hic eſſe cauſſale, ſed poſitum pro *& ita.* Quid enim integrius? *Inter quæ maxima inerat tum cura duci, itaque legatis tribuniſque præceperat, ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunæ diſcordiam inter ordines ſereret.* Nihil profecto. & pudor ſit ſartoribus iſtis. *Exprobratio cuiquam* verbali regente caſum verbi, eſt exprobratio cuiquam facta. Vt apud Plautum: *verbis velitationem fieri compendii volo.* Id eſt, velitationem, quæ fit verbis, fieri compendii volo. Sic apud Ciceronem, quod jam notavimus: *eruptio Mutinæ,* pro eruptione Mutinæ facta. Etiam Put. Pet. inferius: *pridie quam ſtatum ſacrificium:* non *ſtatutum.* Mox: *nec procul inde in occulto Marius Alpius edixituticui ſummus magiſtratus erat Campanis cum* XII *malorum habebat caſtra.* Sic, Put. Pet. Men. Pall. duo Medicei, Barberin. paucis apicibus forte, quos annotaſſe nihil intereſt, differentes. Scribe: *nec procul inde in occulto Marius Alfius Medixtuticus (ſummus magiſtratus erat Campanis) cum duodecim millibus armatorum habebat caſtra; ſacrificio apparando & inter id fraudi inſtruendæ intentior quam muniendis caſtris aut ulli militari operi. Triduum* &c. Nam τὸ *in* vel *is* & *fuit*, quibus auctores vulgatæ, optimi noſtri abjurant. Laurentius Valla præivit. Vir propter ſumma merita haudquaquam adſpergendus à nobis illa macula, qua voluerunt quidam, præter *Medixtuticus*, quod Valla præcepit, nihil ad hunc locum boni attulit: Nam ſi gloſſema eſt: *ſummus magiſtratus erat Campanis:* erit etiam gloſſema libro 30. *Senatum itaque Suffetes, (quod velut conſulare imperium apud eos erat) vocaverunt.* Aut lib. 35. *per*

apocle-

apocletos autem (id vocant ſanctius concilium, ex delectis conſtat viris) id agitabant, &c. Eodem capite: *ne quis enuntiare poſſet, à ſexta ad decimam diei horā coactis militibus* [illegible] *curare.* Put. *ne quis enuntiare.* [illegible] *coepta & an decuma diei horam.* Sic Pet. uterque & Men. Barberin. & quatuor Medicei cum Aldina: niſi quod omnes, *ad decimam diei horam.* Quippe in vetuſtiſſimo libro τοῦ *an* poſteriori literæ virgula tranſſutæ D. ſup... ſcriptum eſt. Me vero prima illa manus ambiguum relinquit, *ante decimam*, an *ad decimam*, an *ab decima diei hora*, (quo maxime inclino) probare malim. *Enuntiare cœpta*, ut apud Silium *prodere cœpta.* Infra: *nocte*, *ne cujus interventus cœpta impediret, mortem ſibi conſcivit.*

Cap. 36. *Qui ſuper Capuam ac Tifata habebat caſtra. nec eum provida viri*] Put. Pet. Pal. *antifatis.* Scribe: *ſuper Capuam in Tifatis.* Infra: *caſtraque Annibalis, quæ in Tifatis erant.* Quid autem *provida viri opinio?* Suſpicabar aliquando *provida veri.* Sed Put. *provida fuituiri.* Scribe: *nec eum provida futuri fefellit opinio.* Tacitus 6. ann. *jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum.* Ibidem: *Campanorum dato præſidio*: debetur Lipſio, juvantibus optimis noſtris, in quibus: *Campanorum duo præſidio.* In iiſdem: *ſaucios vehiculis portari jubet.* non *tolli portarique.* Et, *Ipſe Hamis vacua ab hoſtibus.* non *ad Hamas.* Nec longe: *perpopulatoque agro Cumano.* Item, *Vulturnum flumen traducere*, ut Aldina. Denique: *auſpiciis repetendis Romæ:* vox ultima ſpernitur ab optimis libris.

Cap. 37. *Ingentem turrim admotam urbi*] Abeſt τὸ *turrim.* & jure, cum ſtatim ſequatur: *aliam turrem.* Ita enim Put. Idem cum pluribus: *propugnatores mœnia atque urbem.* Deinde: *eru-*

ptio ex oppido ſimul duabus portis ſtationes fudit: non comparente τῷ *facta* in Put. Pet. duob. Pall. Tum Put. Pet. tres Pall. *Ad mille trecentos Carthaginienſium caeſi, undeſexaginta vivi capti.* Iterum duo optimi: *ex improviſo oppreſſi fuerant.* Sequitur: *Poſtero die Annibal elatum ſecundum conſulem.* Duo Pall. carent τὸ *elatum*: tertius totius vocis unicam tantum literam habet: *Annibal à ſecunda.* Put. & Petav. *Annibaletum ſecunda.* Scribe: *Annibal latum ſecunda.* Inferius, ſi fides optimis libris, ex oppidis tribus tres homines fecerunt editores. nam ita Put. & Pet. *Et ex Hirpinis oppida tria, quæ à populo Romano defecerunt, vi recepta per M. Valerium prætorem, Vercellium, Veſcellium, Sicilinum, & auctores defectionis ſecuri percuſſi.* Infra lib. 24, 44. mentio fit *Iovis Vicilini*, quod templum in Compſano agro ſit. Quis ſit ille aut cur ita dictus, non meminiſſe ait Glareanus. Etiam Caſſium illum Spurium, qui regnum Romæ adfectavit circiter annum ab V. C. 251. aut alterum conſul, *Viſcellinum* dictum fuiſſe notum eſt. Statim etiam eidem: *exercituſque Curiam reductus.* non *Cumas.* Scribe: *exercitus Luceriam reductus.* Vide Sigonium.

Cap. 38. *Iuſſuſque Q. Fulvius militibus Varronianis*] Vt Sigonius, Put. Pet. Men. tres Pall. *juſſuſque P. Valerius.* Ibidem lege: *Pecunia ad claſſem tuendam bellumque Macedonicum ea decreta e[illegible]uæ Ap. Claudio in Siciliam miſſa erat, ut redderetur Hieroni regi: ea per L. Apuſtium Tarentum eſt devecta.* Nam priore loco Put. & Pet. clare *ea*, poſteriore: *regi ex per L.*

Cap. 39. *Captiva navis una ex iis, quæ Romam miſſæ erant ex curſu fugit*] Scribe cum optimis: *ex curſu refugit.* nam & alii, *excurſo refugit*, vel

excuſſa refugit. Lib. 44. *Brunduſii legatos jam eſſe, bis ex curſu Dyrrhachium rejectos.* Ibidem: *itaque ignarus de iis quæ cum Annibale.* Put. *ignarus ex quæ.* Adjecit manus altera inter lineas *nec.* Vnde Pet. *ex haec.* Men. *ex hiis ignarus.* Scribe: *itaque ignarus rex quæ cum Annibale legatis ſuis conveniſſent.* Intelligitur *eorum.* Poſſis dubitare an ex gloſſemate ſint illa: *cui Scotino cognomen erat.* Nam verus ille Σκοτεινὸς multis ætatibus ante Philippum Demetrii filium vixit: niſi homo ineptus æmulatione prioris hoc ſibi cognomen adſcivit. Alter legatorum Philippi dicitur vulgo: *Crito Berræus.* Put. *boenſotius & Soſitheus.* Ambiguum relinquit fueritne *Beræus* an *Bœotius.* Illud malo. In aliis quoque libris mirifice contortum id nomen: nam Pal. *Critobo Euſotis.* Alter: *Crito boeuſetis.* Tertius: *Cribotoeſis.* Andreana atque Aldina: *Crito Boreuſetis.* Ibidem meliores adjecta particula: *Campanique permulti capti.*

Cap. 41. *Bellique ejus haud dubie concitator.*] Optimi, *concitor*: quam vocem & lib. 37, 45. ex Mss. reſtitutum ivimus: *Thoantem quoque Ætolum concitorem Ætolici belli.* Habent & Tacitus Iuſtinuſque & Ammianus. Iidem *ne cujus interventus cœptampediret.* Scribe: *ne cujus interventus cœpta impediret.* non *cujuſquam* & *cœptum*, ut vulgo. Etiam: *ſtipendium quæſtoribus, frumentum ædilibus*: abſque copula. In illis: *levique armatura certamine in alto commiſſo*: deeſt optimis τὸ *armatura*, nec niſi ſtulte adjicitur. Statim iidem: *Bomilcar cũmilibus ad ſupplementum Carthagine miſsu, elephantiſque*: non habent *quadragintaque.* Corrige: *Bomilcar quatuor millibus ad ſupplementum Carthagine miſſu, elephantiſque & commeatu Locros acceſſit.* Nume-

rum ſupplevimus ex cap. 13. ſupra: ubi etſi vulgo legitur: *quadraginta millia Numidarum:* tamen Put. peinde ut Lipſianus, ∞ ∞ ∞ ∞. Neque offendat quemquam defectus præpoſitionis. Sic enim lib. 5. *reſtat ut jam novis copiis veniant.* Lib. 10. *Etruſci omnibus copiis aderant.* Lib. 27. *advenit Livius peditum omnibus copiis.* Denique vix credo ſanum eſſe: *æſtu ſecundo Locros trajecit.* nam Put. & Pet. *aeſtuquacſuo.* Tres etiam Pall. & Men. *æſtuque ſuo Locros.* Latet aliquid.

Cap. 42. *Ad unum modo ictum vigentem velut jaculo*] Put. *velutaculegemiſſo.* Scribe: *velut aculeo emiſſo.* Ut Freinshemius quoque conjecit ex Curtii illo lib. 4. *ubi primum impetum effudit, velut quadam animalia, amiſſo aculeo, torpet.* Cicero pro Flacco: *mortuus eſt aculeo jam dimiſſo ac dicto teſtimonio.* Plutarchus Pericle: καθάπερ κέντρον εἰς τοῦτον ἅμα πληγῇ τὸν θυμὸν ἀφεικότων τῶν πολλῶν. Ibidem: *Non ergo ſecundis rebus noſtris gloriabimur.* Put. duo Pall. aliique meliores: *Non ego ſecundis rebus noſtris gloriabor.* Et ſic reſtituendum. Inferius: *præſidiumq; miſſum nobis erit & Nolæ ademeris.* τὸ *erit* in pleriſque libris non comparet. Lipſius: *miſſum nobis & Nolæ idem erit:* explicatque, præſidium quod mittes, idem erit & nobis propugnandis & Nolanis premendis. Sed ut Latinum ſit: *præſidium erit Nolæ,* ἀντὶ τοῦ, *Nolanos vexabit,* non perſuadet. Put. *præſidiumque miſul nobis & Nola ademdem erit.* Scribe: *præſidiumque ſimul nobis & Nolæ ademtum erit.* Videlicet quum Nolani præſidiarii cæſi & præda facti fuerint Numidarum, ut illi augurantur.

Cap. 43. *Ibi caſtris haud procul poſitis*] Vox *ibi* deficitur in optimis, & eſt eorum, qui multa hujuſmodi inferſerunt, ubi oratio minus cohære-

re

re bonis hominibus viſa. Ibidem Herio dat nomen *Pettium* optimus codex, non *Petrium*. Inferius: *Ipſorum magis quam Annibalis intereſſe, capta an tradita Nola potiretur.* Spernunt omnes boni libri τὸ *magis*, ut jam diximus.

Cap. 44. *Haud plus quam triginta, Romanorum nullus*] Vox ultima quæritur in Put. & Pet. qui & habent, *Romani*. Videtur excidiſſe numerus quantillus. Mox lege ex iiſdem: *quamquam utraque pars avidi certaminis erant, eo die tenuerunt ſeſe tamen munimentis.* Ad lib. 1. diximus quoque hic ſcribendum: *pugna abſtinere, ni ab ſe ſignum accepiſſent.* Denique Put. Pet. Men. tres Pall. *& duces hortabantur:* nec ſecus Andreana atque Aldina.

Cap. 45. *Qui pugnant*] Libri: *pugnent*. Tum, *vino & ſcortis.* Item Put. & Pet. *exprobrandam hoſti Marcellus.* Forte: *exprobrando in hoſtem Marcellus.* Statim: *arma ſignaque eadem ſe ajebat noſcere.* Expunge voluntate optimorum τὸ *ajebat.* Etiam Put. Pet. Men. tres Pall. & Aldina: *tirone milite ac Nolanis ſubſidiis inultus nos jam iterum laceſſit.* quod & Sigonius vult, non *fultus*. Iidem ſcripti: *ferrum nunc hebet.* Andreana: *ferrum non habet.* Aldina: *ferrum nunc habet.* Optimi quoque: *Enim minor eſt res:* ut fuit ante Vallam.

Cap. 46. *accedentibus ad ardorem pugnæ*] Repone cum optimis: *accendentibus ardorem pugnæ.* Ibidem: *Hoſtium plus mille cæſi eo die, capti mille ſexcenti & ſigna.* Sigonius: *Hoſtium plus vel cæſi eo die vel vivi capti quinque millia.* Et eundem ſane numerum edidit Plutarchus, qui vertiſſe Livium videtur. Put. *Hoſtium plus vel cauſſa eo die vivi capti de & ſigna.* Scribe: *Hoſtium plus* V C I Ↄ. *cæſa eo die, vivi capti ſexcenti, & ſigna.* Hoc verum eſt: nam repetitum *vel* non niſi in

admodum recenti libro invenimus, eſtque factorum, non Livii. Ibidem: *Ager Hiſpanis in Hiſpania, Numidis in Africa poſt bellum virtutis cauſſa latus datus eſt.* τὸ *latus* non habet Put. à manu prima; poſtea adſcriptum eſt *locus*, ut fere habent ſcripti poſt illum antiquiores: quidam ut magis aptum redderent, fabricarunt: *& locus datus eſt.* Inde vulgata propagata videtur. Poſt pauca: *præſidio, quod per hiberna ad tutandum locum ſatis eſſet.* Put. Pet. Men. *ad petendum locum.* An fuit *tenendum*? Libro ſequenti: *ad tentandas urbes, quæ præſidiis tenebantur Romanis.* Eodem capite juvimus eleganter Livium, ubi vulgo: *Inter multos nobiles equites acerrimus erat Iubellius, cognomine Taurea.* Omnes enim libri alicujus meriti: *Inter multos nobiles equites Campanos Cerrinus Iubellius erat, cognomine Taurea.* Eam gentem nobilem Capuæ fuiſſe apparet ex lib. 39. *nam & viros eam primam ſuos filios initiaſſe, Minium & Herennium Cerrinios.* Ibidemque Minius ille *Cerrinus* vel *Cerrinius* (etenim variant ſcripti) his appellatur.

Cap. 47. *Equum in viam Claudius egit*] Put. Pet. Men. Pal. *delegit.* Scribe, *dejecit*, ut reliqui duo habent Pall. Cæſar 1. Civil. *Lucretius & Altius de muro ſe dejecerunt.* pro demiſerunt. Statius 7. Thebaid. *magno cum fragmine ripæ Cunctantem dejecit equum.* Ibidem: *quam ſatis certam communis exiſtimatio eſt:* Vallæ hæc conjectura. Men. tres Pal. *quam ætatis communis certe exiſtim.* Put. Pet. *quam vetatis communis certe.* Suſpicari queas ſcripſiſſe auctorem: *rem (quam veram, taceo; communis certe exiſtimatio eſt) mirabilem certe adjiciunt.*

Cap. 48. *Legiones dum duxiſſet*] Scribe: *quum duxiſſet.* Ibidem: *aut exercitum aut provinciam*

reti-

retineri poſſe. Quidam libri: *teneri.* Put. *ateneri.* adjecto ſuperius ab altera manu novo T. Petav. *atteneri.* Pal. *attineri.* Et illo vel hoc modo ſcribendum. Etiam optimi: *nemo omnium erat, quin & vera ſcribi.* non, *qui non & vera ſcribi.* Mox: *verum quum ipſum tributum:* ignorant τὸ *verum.* Item: *indicandas populo publicas neceſſitates, cohortandoſque.* Denique puto etiam legendum: *Hæc prætor in concione, edixitque qua die.*

Cap. 49. *Vnum ne alii triennio eo publicani eſſent*] Auream hujus loci correctionem adſtruximus in parte altera Obſervationum: *unum, ut militia vacarent, dum in eo publico eſſent.* Put. *unum miliia vacarent tum in eo publico eſſent.* Vulgatum eſt à Valla. Sequitur: *ab hoſtium tempeſtatiſque vi publico periculo eſſent.* Sermonem Latiniſſimum vitiat Sigonius inſerendo *tuta.* Noſter lib. 25. *quia publicum periculum erat à vi tempeſtatis in iis, quæ portarentur ad exercitus.* Cicero 1. famil. 4. *Ego tibi à vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum, præſtare nihil poſſum.* lib. 6. ad Attic. 1. *impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti, rem illam ſuo periculo eſſe.* Mox: *nec quidquam deſideratum, ac ſi ex opulento ærario, ut quondam, alerentur.* Put. *nec quicquam ſi ex op.* Vox autem *deſideratum* in omnibus ſcriptis deſideratus, neque eam Valla invenit: quod ſane antequam vidi, in adſpectu vetuſtiſſimarum membranarum eadem prope conjectura naſcebatur mihi, quæ & illi nata eſt. Nos enim: *nec ſequius quam ſi ex op. ærar.* Ille autem: *nec ſecus ac ſi ex op.* Intelligitur, conducta & præbita ſunt. Habet autem Vallæ lectionem Andreana Mediolanenſis. Inter duces Illiturgim oppugnantes pro *Amilcare Bomilcaris filio* in melioribus eſt: *Annibale Bomilcaris filio.* Item: *Inter hæc trina caſtra,* &c, *triniſ-*

que

que caſtris eo die potiti ſunt. Sic Cicero, Cæſar, Ovidius, alii. Scribe etiam: *& tum juventa abundante.* nam in Put. & Pet. eſt *juvente*, non *juventute*. Denique: *ſupra tredecim millia hoſtium caſa, ſupraque tria capta.* Put. melior: *ſupra capta*, reciſis mediis. Put. *ſuprati capta.* Lege: *ſupra duo capta* Siglis fuerat perſcriptus numerus.

AD

LIB. XXIV.

CAP. 1. *Loco ſuperiore caſtra ponit, unde agros*] Put. & Pet. *ſuperiore caſto unde agros urbem poſſet*. Etiam tres Pall ignorant τὸ *ponit* & ſervant ἀσύνδετον. Lege & diſtingue: *Dux ipſe loco ſuperiore capto, unde agros urbem poſſet conſpicere, Bruttiorum cohortem adire muros atque evocare principes Locrenſium ad colloquium juſsit.* Inferius: *urbs pariter & portus in poteſtate Locrenſium eſſet.* Plerique libri: *urbs pariter & Pœnis portus.* Sed præclare Put. *urbs pateret Pœnis, portus in poteſtatem Locrenſium eſſet.* Manus ſecunda ſupra *PAT* adpoſuerat *RI*. Inde omnes libri vitiati. Etiam melior Pet. Men. duo Pall. habent *poteſtatem*.

Cap. 2. *Lataque omnibus disjectis mœnibus partitas ſtationes*] Sana hæc omnia præſtare nolim. Pro *partitas* Put. *paraſſet*, appoſito alio *S* interlineari. unde meliores poſt hunc *paraſſet*. Videtur voluiſſe: *raras & ſtationes*. Tamen ſupereſt, quod diſpliceat. Τὸ *omnibus* variam lectionem puto τοῦ *mœnibus*, eoque delendum. Sic fuerit: *& in vaſta urbe lateque disjectis mœnibus*

bus raras & ſtationes cuſtodiaſque ſenatorum ac plebis eſſe.

Cap. 3. *Præterfluebat muros, procul iis quæ inhabitabantur*] Laurentii Vallæ eſt, quum antea legeretur: *præterfluebat & agros*: quomodo fere in ſcriptis reperimus. Put. *præterfluebat etaros, procul iis, quæ habitabantur*. Superius addidit manus altera τὸ G. inde manavit in alios. Conjiciebam: *flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat Æſaros*: omiſſis τοῖς *procul iis quæ habitabantur*, pro gloſſemate τῶν *extra frequentia tectis loca*. Strabo: πρώτη δ' ἐστὶ, Κρότων ἐν ἑκατὸν καὶ ν' σταδίοις ἀπὸ τοῦ Λακινίου, καὶ ποταμὸς Αἴσαρος καὶ λιμήν. Ovidius lib. 15. *Met.*, *pete diverſi lapidoſas Æſaris undas*. Et poſt ibidem: *Invenit Æſarei fatalia fluminis ora*. Eſt tamen Livii lib. 2. *vicorum, quibus frequenter habitabatur*. Et lib. 36. *arcem extra muros quæ frequentius prope quam urbs habitabatur*. Ideo diſplicet hæc ſectio & veriſſimam judico Salmaſii conjecturam: *extra frequentia tectis loca præterfluebat; & arx procul iis, quæ habitabantur*. Scriptum fuit *etarcs*. inde factum *etaros*. Sic infra hoc capite: *Et arx Crotonis*. Idem Put. *etaros Crotonis*. Porro ſtatim optimus liber hanc lectionem ſuggerere videtur: *& arx procul iis, quæ habitabantur, ſex millia aberat. In urbe nobili templum ipſa urbe erat nobilius*. Sed ea tolerari non poteſt: non enim Laciniæ Iunonis templum Crotone fuit, ſed in promontorio Lacinio, quod tot ſtadiis ab illa urbe locat Strabo: neque video cur Iunonis Laciniæ templum urbe antiquiſſima & aliquando Italiæ prima ſit nobilius. Hoc potius largiamur optimo libro, ut reponamus: *& arx procul iis quæ habitabantur. Sex millia aberat inde urbe nobili tem-*

templum nobilius Laciniæ Iunonis &c. Cæterum & Caſaubono pro miro adnotatum, centum quinquaginta ſtadiis, hoc eſt, prope novendecim millibus, ſeparare Strabonem, quæ ſex millibus, hoc eſt, ſtadiis quadraginta & octo, diſtare ait Livius. An aliquid corrigendum? ut aut Strabo ſcripſerit: ἐν πεντήκοντα καὶ ᾱ σαδίοις, quæ ſex millia trecentos quinquaginta faciunt: aut Livius: XVIII *millia aberat?* An potius ita conciliabimus, ut Strabonem maritimum iter, quod circumvectio reddit longius, Livium terreſtre perſequutum dicamus? Non longe: *ſeparatimque egreſſi cujuſque generis greges nocte remeabant ad ſtabula.* Liber optimus ignorat *greges*, ut & qui bonitate illi proximi: ſic autem ibi: *ſeparatimque egreſſui cujuſque generis nocte.* Scribe: *ſeparatique greges ſui quique generis nocte remeabant.* Iam diximus ibidem ſcribendum: *Fama eſt aram eſſe in veſtibulo templi, cujus cinerem nullo unquam moveri vento.* Plinius lib. 2, 107. *In Lacinia Iunonis ara, ſub divo ſita cinerem immobilem eſſe, perflantibus undique procellis.* Mox, quamquam parum intereſt, meliores: *una parte imminens mari*: deinde: *& muro cincta eſt.* Sed illud non inſuper habendum: *Ea tum arce ſatis, ut videbatur, tuta optimates tenebant.* Sic plane Put. Pet. Men. non *eam arcem tutam.* Nam Livio *tenere alicubi* eſt idem, quod tenere locum alicubi, ut infra pluribus. Sic lib. 31. *Inde Caſſandream patentes; primo ad Mendin, maritimum civitatis ejus vicum, tenuere.* Vbi perperam præpoſitionem delet Glareanus. lib. 32. *Qua abſciſæ rupes erant, ſtatio paucorum armatorum tenebat.* lib. 44. *ipſi obſcura nocte ſimplici ordine, quum poterant, proxime litus tenentes intrarunt urbem.* Inferius: *miſſis ad id ipſum legatis.* Put. *accipeum* lega-

legatis. Et ſane ſufficit : *impetraverant & ab Annibale, miſſis ad ipſum legatis*. Denique libri optimi : *Ita Crotonem exceſſum eſt*.

Cap. 4. *Late id ingenium*] Haud dubie corruptum, ſed medicina haud ſane in promtu. Put. *Acetas it ingenium & tutores*. Manus ſecunda inter *A* & *S* ſuperpoſuerat *T E*. Vnde Pet. melior: *aetates*. Men. & tres Pal. *atatis*. Salmaſio videbatur: *Ea atas, id ingenium, & tutores*. Ibidem: *viroſque ſuos Andronodorum & Zoilum*. Scribe: *Andranodorum & Zoippum*. Illud eſt à Put. qui ſemper ita confirmatque Polybius, hoc à Polybio hic quidem, ſed in aliis locis ſatis confirmat Put. ut monebimus. Tranſtulit autem Polybium Livius in hac parte quoque hiſtoriæ, Ἐκχωρήσαντος τοῦ Θεράσωνος, οἱ περὶ τὸν Ζώιππον καὶ Ἀνδρανόδωρον. Sic utrumque nomen ubique apud noſtrum reconcinna. Ibidem eleganter optimi : *liberare animum & convertere ad publicam privata curam*. hoc eſt, ita ſtatuere de domo ſua ut præcipue reipublicæ conſuleret, & illius ſtatum hujus commodo attemperaret. Statim Put. *tutores numero quindecim pueri relinquit*. non *pueros*. Mox mirifice ſibi indulſerunt correctores, ubi aliqua difficultas occurrebat, inſerendo quidquid liberet : *Poſt hac mandata quum exſpiraſſet, tutores prodeunt : teſtamento prolato pueroque in concionem* &c. Hic fidiſſimi libri τὸ *poſt* & τὸ *prodeunt* prorſus ignorant. Suſpicor ſcribendum : *in qua edoctus eſſet. Hac mandata, antequam exſpiraſſet, tutoribus. Teſtamento prolato*, & quæ ſequuntur, ſatis bene diſtinctione ſic mutata cohærentia. Niſi malis: *Hoc mandato quum exſpiraſſet, tutores teſtamento* &c. *funus faciunt regium*. Secus enim τὸ *tutores* non habet, cui jungatur. Nec longe omnes : *depo-*

nendo

nendoque tutelam ipſe quae cum, vel *ipſeque cum*. Repone: *deponendoque tutelam ipſe, quæ cum pluribus communis erat.*

Cap. 5. *Succedendi tanta caritate Hieronis*] Optimus: *ſuccedenti tantæ*. Bene, ſed totum ſit: *ſuccedenti tantæ caritati Hieronis*. id eſt, qui ſuccederet tam caro Hieroni. Ibidem: *Hunc tam ſuperbum apparatum habitumque convenientes ſequebantur mores, contemtus omnium hominum ſuperbæ aures.* Noſtrorum vetuſtiorum nemo τὸ *mores* habet, neque invenit Valla, qui conjectat *convenientia*. Sed opus non eſt: quum enim hoc adjectivum numero reſpondeat omnibus, quæ ſequuntur, tyrannidos notis, in genere poſitum eſt proximæ, nempe *contemtus*. Adde notata ad lib. 30, 34. Statim: *tutoribus etiam difficiles*: hoc adjectivum fatetur addere quoſdam Valla, ſeque illis adſentiri. Boni libri omnes vocem illam reſpuunt. Deeſt tamen alia, cujus veſtigia deprehendimus in Put. *contumelioſa dictariaditus non alienis*. Scribe: *contumelioſa dicta, rari aditus non alienis modo, ſed tutoribus etiam: libidines novæ.* Sic lib. 3. de decemviris: *jam haud diſſimulando ſuperbiam, rari aditus, colloquentibus difficiles.* Rurſum Put & Pet. *convertebant animum adoleſcentium conjuratio.* Refinge: *interdum in ſe convertebant animum adoleſcentis. Tum conjuratio.* Etiam *Theodotum* ubique iidem, non *Theodorum*. Iterum: *ab latere inde eos nominat tyranni.* Verba *inde eos nominat* à Put. Pet. Reg. tribus Pall. pluribus Florent. & fido quoque abſunt: nec eſſe Livii oſtenſum eſt in Obſervationibus edendis.

Cap. 6. *Cum Annibale nobili adoleſcentulo Hippocrates & Epicides*] Put. aliique: *aduleſcente*. Deinde, *Epicydes*. Recte, eſt enim Ἐπικύδης apud

apud Polybium & Pauſaniam lib. 6. Inferius: *Siciliam ſibi omnem cedi.* Optimi: *Sicilia ſibi omni cedi.* Vtrumque ſatis Latinum. lib. 32. *Achais non Argis modo, ſed etiam Corintho ceſſurum.* Martialis 12. epig. 96. *Cede ſuam pueris, utere parte tua.* Mss. bonæ notæ: *Cede ſua pueris.*

Cap. 7. *Vni ex iis, Indigemeni fuit nomen*] Memineris, ubicumque hoc nomen in præſente hiſtoria occurrit, ſcribere cum antiquiſſimo librorum, quem pleriſque locis ſequuntur melior Petav. & duo optimi Medicei: *Dinomeni, Dinomenem, Dinomene.* Eſt enim Græcum Δεινομένης, & manſit integrum in vulgatis cap. 30. mitius corruptum cap. 23. ubi *Deomenem* expreſſerunt. Sed Put. & Pet. *Dinomenen.* non *Dionem,* ut Sigonianus. Ibidem: *tela conjiciuntur, per quæ tamen.* Put. *in quæ tamen.* Scribe: *inter quæ tamen.* Eodem cap. *ſors prærogativæ ante juniorum exiſſet.* Quia Mss. omnes: *anteſiludiorum.* ſcripſimus: *Atrienſi juniorum.* Quemadmodum & capite ſequenti præclare reſtitutum eſt: *Præco Atrienſem juniorum in ſuffragium revoca.* ubi edebatur ante: *Prærogativa juniorum in ſuffragium revocata:* Mss. autem habebant: *Praeconienſem juniorum in ſuf. revoca.* De quibus late diximus in Obſervationibus.

Cap. 8. *Aut bellum cum eo hoſte haberemus*] Put. & Pet. *bellum cumque hoſtem.* Scribe: *aut bellum eumque hoſtem.* Statim: *in quo negligentiæ aut errori locus eſſet.* Put. *neclegentiæ laxior locus.* Pet. recentior: *negligentiæ laxior.* Pet. melior. & Pal. *neglegentiæ arxior.* Men. *neglegentior aptior.* & in margine: *anxior.* Vides unde vulgata exierit. Forte: *negligentiæ laxiori locus eſſet.* Deinde lege cum optimis: *Claudius eſt oppoſitus.* Mox: *provocantem in ponte Anienis Manlium.*

lium. Put. *Anienet Manlium.* Scribe : *Anienis T. Manlium.* Ibidem : *tum repente lectus.* Melius boni libri : *tamen repente lectus.* Et inferius: *providendum ac præcavendum vobis* , non *nobis.* Statim : *In minore experti, T. Otacili , operam tuam ſumus.* Put. *In minore te experti T. Otacilipemuſus.* Duo Pall. *te experti T. Octacili ope* (alter *opere*) *ſumus.* Scribe : *In minore te experti, T. Otacili , re ſumus.* Non longe : *cur te potiſſimum ducem Annibali hoſte opponant.* Put. *oppugnabant.* Scribe cum Salmaſio : *opponamus.* Iterum optimi : *quibus ſacramento liberi veſtri dicant :* non *ſacramenta noſtri.* Notæ phraſes : *ſacramento rogari , adigi , dicere.* Noſter lib. 41. *exauctorati qui ſacramento dixerant.* Denique vulgo : *triſte exemplar :* nos , *triſtu ad recordationem exempli :* idque firmavimus , ubi de Anienſi juniorum diſſeruimus.

Cap. 9. *Aqua magna & nives eo anno*] Put. clare : *Aqua magna bis eo anno.* Manus ſecunda adjecit ſuperius *NI* inde Pet. *Aqua magna nivis:* & omnes fere ſcriptæ : *Aqua magna nives.* Adjecerunt poſtea , ut vata vibiam ſequitur , copulam.

Cap. 10. *Lanuvii in æde intus Iunonis Soſpitæ*] Put. *Ianiin æde intus Soſpitæ Iunonis.* Omnino ſcribi placet Salmaſio : *Lanuvii æde intus Soſpitæ Iunonis.* Sic in vett. inſcriptionibus ; *intus ædibus.* Non longe: *Et in vico Iſtrico:* Put. Pet. Men. *Et in vico Inſteio.* Tum Put. *in foro bovario ſanguine pluviſſe.* Et ſic ſemper. Quorum alterum ab ipſo Livio eſſe confirmat auctoritas Priſciani. Inferius : *qui quum in Ianiculum iviſſent.* Vt monuit Lipſius, optimi quique libri : *qui tum in Ianiculo eſſent.* Statim : *quorum pulvinaria Romæ ſint.* Put. & Pet. *Romae exſint.* Scribe : *Romæ eſſent.*

Cap.

Cap. 11. *Ad claſſem circa Brunduſium & duas urbi præſidium relinqui*] Put. *Brunduſium relinquidbas urbi præſidium relinquidbas urbi præſidio eſſe.* Scribe reſectis ſuperfluis & una litera mutata: *ad claſſem circa Brunduſium relinqui, duas urbi præſidio eſſe.*

Cap. 12. *Puteolos quique ibi præſidio erant*] Elegantius. Put. *quodque ibi præſidii erat.* Sic voluit enim, nam revera *præſidi* eſt. Eodem alludunt alii, in quibus: *quoque ibi præſidio erat.*

Cap. 14. *Querentium, numquamne liberi militaturi eſſent*] Put. *enunquam liberi.* Scribe: *querentium, en unquam liberi.* Scitiſſimum loquendi genus, de quo viſe ad lib. 30, 22. Ibidem: *ſed univerſos Patres, quos conſultos ab ſe:* jam ſupra ad lib. 1. adnotatum. Rurſus: *armis expediendis quod reliquum diei fuit, conſumſerunt.* Put. Petav. Men. *que relicum (vel reliquum) communi poſtero.* Scribe: *armis expediendis diei reliquum conſumunt. Poſtero.*

Cap. 15. *Gracchus in aciem copias eduxit*] Meliores, *educit.* Item: *Decem ſeptem millia peditum*, reciſa copulativa. Præterea: *ut quiſque hoſtem impigre occiderat, primum capite ægre inter turbam tumultumque abſcidendo.* non *capita abſcindendo.* Senſu eodē, ſed genere loquendi exquiſitiore, de quo & ſupra. Cicero Bruto: *Antonius conjectura movenda, aut ſedanda ſuſpicione aut excitanda, incredibilem vim habebat.* Pro Milone: *gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis.* Livius lib. 31. *quum priorem populationem ſepulchris circa urbem diruendis exercuiſſet.* Sed & τὸ *quique* antiquum. Cicero: *ſi qui familiam meam de fundo dejecerit: ſi qui mihi præſto fuerit cum armatis.*

Cap. 16. *Sicut pugna impeditior*] Put. Petav. Men.

Men. duo Pall. *inexpeditior.* Infra aliquantum: *niſi quibus morbus cauſſa erit.* Put. & Pet. *niſi que morbus.* Scribe: *niſi queis.* Duæ literæ interciderunt.

Cap. 17. *Hoſti parat, ne moram dimicandi faceret.*] Put. & aliquot boni: *parat, nec moram dimicandi facere.* Ita refinge. Ibidem: *Romanorum minus quadringentis.* Put. Pet. Men. *romanis.* Significant, ut videre facile, *Romani minus quadringentis.* Iidem: *increpitus*, ut Sigonius.

Cap. 18. *Res Romana domi quam militiæ gerebantur*] Put. *Romana* & *gerebatur.* Ibidem ſtatim *vitia, quæ velut diutinis morbis ægra corpora ex ſeſe gignunt, nata bello erant.* Put. *ſignunt, acanata bello erant.* An forte: *tunc enata?* Inferius: *additumque inerti cenſoriæ notæ.* Put. *additumque tamerici cenſoriæ.* Omnes alii meliores eam vocem corruptam habent. Pet. Men. Aldina: *merci.* Andreana: *mercique.* Forte: *additumque tam meritæ cenſoriæ notæ.* Mox: *quam pulſus Italia hoſtis eſſet.* Tres Pall. & Andreana: *Italia omnis hoſtis.* Clamant ſcilicet ſcribendum: *quam pulſus Italia omni hoſtis eſſet.* Non tamen hoc in Gallicis notavi. At Put. aſyndeto ibidem: *omnia perinde agerent locarent, ac ſi.*

Cap. 19. *Neque ſatis inceptis ſuccederet*] Sic & lib. 40. *ſi facinori eorum ſucceſſerit, mortem meam idem tu perſequi non poteris.* lib. 45. *militiamque ſi talibus ſuccedat ducibus, horridiorem aſperioremque bellantibus futuram.* Tamen in Put. & Pet. eſt *inceptu.* Delibera maliſne hoc accipere pro *inceptui* (nam & in præfatione totius operis, *fœdum inceptu*) an ſcribere *inceptum.* Nec longe: *tenuit, ne incepto abiretur.* Put. & Petav. *ne inmerito incepto* Duo Pall. *ne in momento incepto.* Tertius evidenter: *ne irrito incepto abiretur.* Hoc verum.

Fue-

Fuerat in primævis, *irrito*: inde iſta moſtella. Silius Italicus: *Irritus incepti.* Noſter lib. 31. *cum multis vulneribus repulſi, irrito incepto regreſſi.* lib. 26. *abſcedere irrito incepto, & movere à Capua ſtatuit caſtra.* lib. 29. *quum nequidquam omnia experiēs obſediſſet Vticam, abſcederet inde irrito incepto.*

Cap. 20. *Quam à Benevento acceperat*] Put. Petav. *ab Beneventum.* Scribe cum Sigonio: *ad Beneventum.* Mox etiam mutata ſimul diſtinctione: *Conſules Marcellus retro, unde venerat, Nolam rediit; Fabius in Samnium.* non *Conſul*, ut vulgo. Statim: *perusti populatique late agri.* Deeſt iiſdem & Pall *populatique.* Inferius: *neque uſquam via exceſſum eſt.* Put. Pet. Men. *uſqueiam vim exceſſum.* Videntur voluiſſe: *neq; uſquam viam exceſſum eſt.* Vt ſuperius lib. 3, 1. *urbem exceſſiſſent.* lib. 2, 37. *factoque ſenatuſconſulto, ut urbem excederent Volſci.* lib. 25. *ne diverti quemquam aut excedere ordinem agminis paterentur.* Deinde: *niſi ad conciliandos Tarentinorum animos fieri.* Put. *uſi.* Illi codices, ex quibus, *ſed ad*, probat Sigonius haud dubie vitiati: nam ea notione particula *niſi* apud Plautum, Terentium, Ciceronem, noſtrum frequens. Subjungitur: *Cæterum quum prope jam mœnibus acceſſiſſet.* Put. Pet. Men. duo Pall. *quum prope modo quis acceſſiſſet.* Si nihil aliud, arcent τὸ *jam.* Pal. tertius: *prope muros.* Niſi malis: *quum propemodum muris ſucceſſiſſet.* Mox: *Tarentum triduo antequam Annibal ad mœnia accederet, à M. Valerio proprætore, qui claſſi ad Brunduſium præerat, T. Valerius legatus miſſus. Is primorum juventute conſcripta* &c. Hic primum Put. Pet. Men. *Tarenti*: dein ablegant illa, *T. Valerius legatus*, quæ & abſunt libro Sigonii recte ſuſpicantis, ſi quid judico, M. Livium potius nominari debuiſſe: porro omnes, *priore*, non *primorum*:

&

& ita quidem Put. *praeerat miſſus ibi ſin priore conſcribta juventute.* Repone igitur: *Tarenti triduo antequam Annibal ad mœnia accederet, à M. Valerio propratore, qui claſſi ad Brunduſium praerat, miſſus M. Livius, primore conſcripta juventute, diſpoſitiſque ad omnes* &c. Patet ergo locum non habere, quod conjiciebat vir doctus: *Is Tarentinorum.* Ibidem: *praebuit ad tentandum. Sicque diebus aliquot.* Put. *ad tentandumque diebus,* deleta particula intermedia. Scribe: *ad tentandum. Quare diebus aliquot.* Rurſum probi: *ſimulata lenitas nihil dum profuerat:* ubi vulgo *nondum.* Statimque Put. *Salapiam viventi frumentum.* Pet. *Salapiam ut venti frum.* Men. *Salapiam ut vendi frum.* deeſt autem omnibus *τὸ eoque.* Scribe: *Salapiam ut venit, fiumentum.* Denique non habet optimus: *jam media aeſtas:* ſed, *jameniaeſtas.* Totum ergo locum ſic reconcinna: *Tum quoque intacto agro Tarentino, quamquam ſimulata lenitas nihil dum profuerat, tamen ſpe labefactandae fidei haud abſiſtens, Salapiam ut venit; frumentum ex agris Metapontino atque Heracleenſi (jam enim aeſtas exacta erat, & hibernis placebat locus) comportat.* Nam, *haud aſſiſtens,* quod ingerit Sigonius, nec in ſcriptis eſt, & ſenſus refutat.

Cap. 21. *Dulce auditum nomen*] Ab conjectura noſtra eſt *auditu.* Mox Mss. optimi: *ſpes facta ex pec. regia largitionis militi atque fungendae potioribus ducibus.* Vnde exſtruxi: *Deinde libertatis reſtitutae dulce auditu nomen crebro uſurpatum, ſpes facta ex pecunia regia largitionis militi, militiaque fungendae potioris ducibus.* Vulgatum ſenſu caret: noſtrum firmavimus alibi. Etiam optimi: *travecti per Tycham.* non *tranſvecti.* Rurſuſque, *Theodotus & Soſis:* non *Theodorus.*

Cap.

Cap. 22. *Ex principibus unus nomine Polyneus*] Scribe: *Polyanus*. Πολύαινος. Etenim inferius hoc capite: *ex qua pridie Polyneus*: Put. clare, *Poltanus*. In ejuſdem concione: *Servitudinis indignitatiſque homines expertos adverſus notum malum irritatos eſſe*. Sic Mſs. ut & vulgati. Lipſius conjicit: *Servitii tædium*. Poſſis &, ut credo, propius: *Servitii pœnas indignitateſque*. Vox tamen eſt apud Feſtum: *Eritudo, ſervitudo*. Ibidem: *portæ inſulæ pateant, reddat præſidium*. Liber optimus: *portas inſulæ apeat*. Quaſi ſignificet *aperiat*. Satis tamen placet vulgatum, dummodo ſcribas deinceps: *recedat præſidium*. Inferius: *Paullulum ſumeret ſpatii ad conſultandum ab legatis*. Put. Pet. optimuſque Flor. *paullum*, dein omittunt τὸ *ſpatii*, quod inſeruerunt, qui ſenſum, non ſcripturam veterem, conſiderabant. Alioquin pronum fuiſſet: *paullum ſumeret moræ ad conſultandum*. Nempe τὸ *moræ* hauſit vox præcedens. In verbis Andranodori ad Theodotum ac Soſim: *niſi communi concordiæ conſulitis*: à Valla eſt, cujus ex pluribus conjecturis alieniſſimam ab antiquis apicibus editores ſunt ſequuti. Put. & Petav. *faciet concordiæ*. Alii *faciem*. Verum eſt igitur, quod idem Valla conjecerat: *niſi paci & concordiæ conſulitis*. Sic lib. 37. *Vinci ſuam temperantiam Romana cupiditate pacis & concordiæ cauſſa regem paſſurum*. Quod ſequitur: *ne libera efferatur reſpublica*: & ſervant omnes libri & probare tamen non poſſum; etſi norim allegare Sigonium è lib. 28. *meo unius funere elata populi Romani eſſet reſpublica*. Alius hoc generis eſt. Scribe: *evertatur*.

Cap. 23. *Poſtero die comitia prætoribus creandis habita*] Optimus: *prætorum*. Vnde non abſurde ſuſpicatur Salmaſius: *comitia prætorum*

crean-

creandi. Quale apud Comicum Captivis: *Nominandi tibi iſtorum erit magis quam edundi copia.* Noſque reſtituimus apud Servium ad principium lib. 9. Æneidos: *Pilumnus & Pithumnus fratres fuerunt dii. Horum Pithumnus uſum ſtercorandi adinvenit agrorum, unde & Sterculinus dictus.* Ita membranæ Andinæ. Ibidem: *Qui auditis iis, quæ Syracuſis acta erant.* Non habent *iis* optimi. Inferius: *ubi ne ſuſpecti obſervarentur.* Immo *obverſarentur*: vel quia ſequenti cap. *dum regiis ſtipendiis paſtus obverſaretur miles.* lib. 31. *magnam partem eorum palam Carthagini obverſari dici.* lib. 35. *legatusque Romanus ne alieno tempore incommodus obverſaretur, Pergamum conceſſit.* Poſt aliqua: *crimina ſerebant in ſenatum optimateſque: moliri clam eos atque ſtruere.* Put. Pet. *ut moliri.* Tres Pall. *& moliri.* Scribe: *id moliri clam eos atque ſtruere.* Deinde cum duobus illis: *ut Syracuſæ per ſpeciem reconciliatæ ſocietatis in ditione Romanorum ſint.* non *reconciliandæ* & *deditione*, ut vulgo.

Cap. 24. *Turbata omnia nova atque incognita libertate eſſent*] Egregie Put. Pet. Pal. *atque incondita.* Sic lib. 15. *inconditam inermemque aliam turbam adveniſſe.* Lib. 26. *potiſſimum ratus Syracuſanis, nova pace inconditas componere res.* Lib. 30. *exercitu omni prope novo atque incondito.* Sic *libertas incondita* incompoſita, nondum legibus certoque ſtatu civitatis formata ac firmata. Quem *Themiſtium* vulgati, is libro optimo ſemper aut *Themiſius*, aut quod rectum puto, *Themiſtus.* Ibidem meliores: *cui & alia arcana committere adſuerat.* non *adſueverat.* Inferius: *quamférociter minitantem in veſtibulo curiæ corpora conjuratorum eo metu compreſſerunt.* Videtur excidiſſe vox, *expoſita*, hoc modo: *minitantem expoſita*

poſita in veſtibulo curiæ corpora. An *projecta*? an denique, *viſa in veſtibulo*. Mss. nihil juvant.

Cap. 25. *Quid enim ſua ſponte feciſſe Hieronymum*] Videtur inſititium τὸ *feciſſe*. Statim: *Tutores ac magiſtratus ejus ſub aliena invidia regnaſſe.* Qui *magiſtratus ejus*? an quos ipſe crearit, aut quibus munera mandaverit? Non placet. Scribatur: *Tutores ac magiſtros ejus*. Revereor ſane veteres libros, ita tamen ut illorum ſcripturam nunquam prævertam ei, quam ipſos auctores reliquiſſe credibile eſt. Lib. 22, 15. Put. exhibet: *ferociter concionantem magiſtratum equitum*. Quod ſi quis ab ipſo Patavino profectum exiſtimet, is me, jam nunc prædico, ſentire ſecum ne poſtulet. Idem fidiſſimus omnium liber hic *magiſtratos*. quod mihi quidem certum indicium eſt Livium ſcripſiſſe *magiſtros*, & duas literas vacare. Nam aut *magiſtratum* pro magiſtro aut *magiſtratos* pro magiſtratibus ut dixiſſe noſtrum utique credam, aliis quam adhuc factum eſt, doceri me oportet. Parum etiam evincit apud me doctiſſimus Gruterus, quod pleriſque jam perſuaſit, auctores attentius loquutos promiſcue *magiſterium* & *magiſtratum* uſurpaſſe. *Magiſtri* ſunt, ut ait Feſtus, pagorum, ſocietatum, vicorum, collegiorum, equitum: ludorum præterea & conviviorum: denique doctores artium: eorundem ergo dignitas *magiſterium*, non *magiſtratus*. Fruſtra oſtentat ex Suetonii Caligula, *magiſteria ſacerdotii*: etenim ſacerdotum collegia ſunt, non magiſtratus. Fruſtra ex ejuſdem Domitiano: *Minervæ, cui collegium inſtituerat, ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur.* Diſerte enim id *collegium* vocat, cujus ſodales nemo vocaret *magiſtratus*. Nec juvat ex Symmacho lib. 4. epiſt. 45. de cenſura: *Nolo mireris graviſſimum ordinem magiſte-*

ſterium reſpuiſſe. Etenim cenſor dicebatur & *magiſter morum*: eoque reſpectu Cenſura *magiſterium morum*: etſi in hoc *magiſtratus* & *magiſterium* concurrant, quemadmodum & in magiſtro equitum. Illius magiſterium morum & hujus magiſterium equitum facit ſane ambos magiſtratus populi Romani: non tamen illum *magiſtratum morum*, hunc *magiſtratum equitum* geſſiſſe dices. At vero ad Plautum Bacchidibus: *Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo*: quid opus vel meminiſſe ſemibarbarorum corruptorum, *ex magiſtratu*, niſi ut exſibiletur, quum illud conſtanter habeant libri antiquiſſimi. Nihilo potior apud me duorum Senecę codicum auctoritas, qui epiſt. 15. *Accedunt peſſimæ notæ mancipia in magiſtratum recepta.* Nam duo alii Gruteri cum membranis, quas ipſi inſpeximus, & longe pluribus, quas alii conſuluerunt: *in magiſterium*, ut omnis vulgata. Appulejus ſane *ædilis magiſterium* dixit lib. 1. metamorph. (nam quæ alia ex illo adnotant in hunc uſum vocis male ſeduli, ipſo adſpectu refutes licet) ſed nempe Appulejus, qui plurimis delectatur neque Plauto neque Livio probatis. Eodem capite inferius, ut voluit Sigonius, optimi codices: *ut omnes regiæ ſtirpes interficerentur.*

Cap. 26. *Heraclea erat filia Hieronis, uxor Soſippi.* Put. *Zoipſi.* Ibidemque plane: *ſi quis Zoippo nuntiet.* Hic eſt ille *Zoippus*, qui ſupra male *Zoilus* appellabatur. Atque hinc confirmatur noſtra ſententia ex Polybio hoc nomen corrigendum, & ubique ſcribendum *Zoippus*, variato tamen caſu. Patetque error Sigonii facientis in ſtirpe Hieronis regis, præter Demaratam & Heracleam, tertiam ei filiam ſine nomine, uxorem Zoili. Nam nec maritus nec uxor in rerum natura

tura fuerunt. In de precatione ejuſdem Heracleæ Put. *inviſam tamen ſtirpem regiam eſſe.* Ibidem inferius: *Averſis auribus animiſque caſſe ne tempus tereretur (ferrū enim quoſdam expedientes cernebat) tum omiſſis* &c. Qui hiſce ſanitatem conſtare adfirmet, ei nos mentem & judicium in literis conſtare negabimus. Lib. 38. *quum averſis auribus pauca loquuti eſſent.* Lib. 41. *quum concione advocata fugam è caſtris A. Manlii adverſis auribus militum jactaſſet.* Tale quid & hic deeſſe putes. At ego τὸ *caſſe* abſque vitio eſſe non facile concedam: nec facit huc illud ex lib. 2. *incaſſum miſſæ preces.* Libri juvant hactenus, ut Put. Pet. tres Pall. immo fere quidquid meliorum cum Andreana Aldinaque careant τῷ *enim.* Vide an ſit melius]: *Averſis auribus animiſque (nam ne tempus tereretur, ferrum quoſdam expedientes cernebat) tum omiſſis pro ſe precibus.* Primam vocem plane ut participium, non tantum ut adjectivum nomen, poſitam intellige, quaſi foret expreſſum: *Quum omnium aures animique averſi eſſent.* Statim jam ſupra monitum legendum eſſe ex Put. Pet. Men. Pall. *à qua ætate etiam hoſtes iratos abſtinere.* Vide ad lib. 1.

Cap. 27. *Statutus eſt comitiis dies*] Put. & Pet. *eſſent.* Forte: *Statutus eſt inde comitiis dies.* Ibidem: *non populari modo, ſed militari quoque turba.* Optimus: *turbus.* Scribe: *turbis.* Porro: *Prætores diſſimulare primo & trahendam rem eſſe.* Put. & Pet. *& trahenda re eſſe.* Recte, ut puto. Senſus eſt, in eo eſſe, id agere, ut extraherent rem. Nec longe: *quo evaderent motus ex cædibus tyrannorum orti.* Put. & Pet. *quoniam evaderent.* Men. *quam evad.* Lege, ut Pal. unus: *quonam evaderent.* Dehinc optimi: *prodi Romano Syracuſas.* non *Romanis,* de quo genere ad priores libros di-

ctum eſt. Sic & ante: *Ad Murgantiam tum claſſim navium centum Romanus habebat.* Subſequitur: *At vero Appius ad oſtium portus, quid aliæ partis hominibus animi accederet opperiens, in ſtatione habere cœpit.* Put. à manu prima & Pet. alter: *quo aliæ partis hominibus animus accederet, in ſtatione.* Nam in optimo correctrix manus *quid* pro *quo* fecit. *Opperiens* nuſquam, uti nec in Pet. meliore, nec Men. qui pariter *animus.* Palat. quidem *aliæ partis hominibus animus.* Nec dubito illud *operiens* in iiſdem non repertum, etſi ſileat excerptor. Enimvero re diligenter expenſa deprehendimus veram lectionem diſtinctione & unica præterea litera mutata: *Vt vero Appius naves ad oſtium portus, quo aliæ partis hominibus animus accederet, in ſtatione habere cœpit; ingens in ſpeciem criminibus vanis acceſſerat fides.*

Cap. 28. *Vbi quum alii alio tenderent, nec procul à ſeditione*] Omnes Gallici: *tenerent:* iidemque cum tribus Pall. præpoſitionem *a* cancellant. *nullius civitatis ſtatum fortunatiorem gratioremve fore.* Sive *gratior* ſive *gravior* (nam utrumvis habent vulgatæ) ſtatus non poteſt eſſe ad guſtum ſapidi palati. Put. *creatiorem.* ſine τὸ *ve:* quod & alii omnes libri ignorant. Scribe: *ſtatum fortunatiorem ac certiorem fore.* Cicero lib. 9. famil. 8. *Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu civitatis, hæc inter nos ſtudia exercere poſſemus.* Salmaſio tamen placebat: *ac beatiorem.* Nec contra tendo. In contextu perperam eſt omiſſum *fortunatiorem.* Vnus quidem noſtrorum ea voce minor eſt, ſed haudquaquam primæ auctoritatis. Put. & meliores habent. Statim: *ſi alia alio trahat res.* Quæ res trahat, & quid tandem trahat? Eximius ille Put. iterum: *ſi alialio trahant.* Quod ſane eſt: *ſi alii*

alio trahant res. Idem: *pars utraque ſuos exercitus* non *unaquæque.* Statim: *utra ſocietas ſit utilior, longe minoris adeo rem momenti conſultatione eſſe: tamen Hieronis potius quam Hieronymi auctoritatem ſequendam.* Sigonius: *ad conſultationem.* Pet. Men. unuſque ex Pall. *longe minorem adeo res momenti conſultationem eſſe, ſed tamen.* Put. & Pet. melior: *eam longe minorem acleores momenti conſultationem eſſe ſet tamen.* Quis dubitet veram eſſe lectionem: *utilior, eam longe minorem ac levioris momenti conſultationem eſſe: ſed tamen Hieronis?* Vti plane integreque unus è Pall. juſſeramuſque edi, ſed operæ, ut ſæpe alibi, nos deſtituerunt. Eodem cap. *Quum ſæpe acta res eſſet mediis certaminibus.* Put. *maenis certaminibus.* Scribe: *magnis certaminibus.* Mox non placet: *mittique eum eis legatos:* ſed nihil juvant ſcripti.

Cap. 29. *Dies haud ita multi interceſſerant*] Noſtri & præcipue Put. *interceſſerunt.* Addunt etiam pronomen: *Quæ legatio peropportuna viſa.* Opportune, exiſtimo.

Cap. 30. *Ab ira inter conditiones pacis interfecta*] Lectio à Lipſio introducta auctores habet omnes noſtros. Vulgo: *ob iram.* Ibidem: *nec quemquam puberem arbitrari ſupereſſe.* Put. Pet. melior. Men. *quicquam.* Scribe: *nec quicquam puberum.* Mox: *Erroris ſpeciem haud vanam mendacio præbuerant verberati ac ſecuri percuſſi tranſfugæ.* Quid eſt *ſpeciem erroris præbere mendacio?* Si velimus defendere, non poteſt explicari aliter, quam ut ſit extenuare mendacium & efficere, ut pro errore habeatur. Sane Livius ſcripſit: *Terroris ſpeciem haud vanam mendacio præbuerant.* id eſt; ut hoc mendacium vim terrendi haberet, fecerunt verberati illi. Petav. melior clare: *Terrori.* Mendum in contrarium ſuperius ſuſtulimus.

Rurſus: *capti ad Thraſymenum inter auxilia Romanorum:* omnes Gallici & Pall. non *Romana.* Statim: *ex ſignis armatorumque habita.* Clamat omnis ratio: *armorumque.*

Cap. 31. *Comprendi vincirique catenis juſſerunt Hippocratem.*] Omnis ſcripta bonorum librorum lectio: *injicique* (vel *inicique*) *catenas juſſerunt Hippocrati.* quod cur mutarent, cauſſa non fuit. Ibidem: *à Cretenſibus clamor eſt ortus.* Iam dictum, quia in optimo eſt *Crentibus*, veriſimile eſſe *Cretibus* ſcripſiſſe Livium. Deinde: *Prætores Syracuſani Marcello ſuo ſalutem.* Duæ poſtremæ voces veteres libros nullos habent fundos, & ſane quod ſequitur: *Secundum ſalutem;* ſpuriam arguit alteram. Put. & Pet. *Syracuſanos.* Verum eſt ergo: *Prætores Syracuſani Cos. Marcello. Secundum ſalutem* &c. Iidem: *cum tanto clamore ad arma diſcurſum eſt:* Item, *adequitaverint Syracuſas:* &, *impetuſque in Syracuſanos milites fiebant.* ut alibi monitum.

Cap. 32. *In curiam introductus movit*] Pet. *monuit.* Pal. Men. *ammonuit.* Put. *monuit haud vani quidam homines palã ferre perbene.* Pet. quoque & Men. *ferre*, non *ferrent.* Scribe: *monuit, haud vane quoſdam homines palam ferre, perbene detectum* &c. Vt dictum eſt ad lib. 1. Ibidem: *apud militares pæne omnes partemque magnam plebis.* Plurimi: *ad militares ſenes omnes.* Quidam: *ad militares ſerius omnem.* Put. *ad militare ſenus omnem:* Scribendum: *ad militare genus omne partemque magnam plebis.* Sic lib. 44. *Agrianes & Peneſtæ Illyrii vocantur, bellicoſum utrumque genus.* Eodemque libro: *Thraces navibus ſe committere non auſi, domos dilapſi, & alia militaris generis turba.* Cicero lib. 4. famil. 7. *neque te conſilium civilis belli ita gerendi, neque copias*

pias

pia Cnai Pompeii, nec genus exercitus probare. Inferius: *Sed ſurdæ adeo omnium aures concitatæ multitudinis erant, quod non minore intus vi.* Put. *Sed ſurda ad hominum aures.* Manus ſecunda *ac* adpoſuerat. Non male, ut puto: Scribendũ enim: *Sed ſurda ad hac omnia aures concitatæ multitudinis erant, nec minore intus vi quam foris portæ effringebantur, effractiſque* &c. Nam ſic quoque concinnat cætera Put. habetque conſentientem meliorem Petavianum.

Cap. 34. *Quæ propius quidem ſubibant naves*] Put. Pet. Men. *quaedam,* non *quidem.* Recte, modo ſic explices: *Quædam naves quæ propius ſubibant.* Habet elegantiam non tralaticiam hæc vocum tranſpoſitio una cum Pleonaſmo. Sequitur mox: *in eas tollendas deſuper murum eminentem ferrea manus firma catena illigata quum injecta prora eſſet, gravique libramento plumbi recelleret ad ſolum.* Suum cuique: Sigonius (à quo, prope dixerim, jejune laudem eam avertit Fulvius) hic egregiam operam Livio præſtitit. Nam Put. *tollennoe ſuper murum eminente.* Vides unicam trajiciendam eſſe literam ad veram lectiodem conſtituendam: *in eas tollenone ſuper murum eminente ferrea manus.* Eſt autem *tolleno* machinæ genus, ut deſcripſit Vegetius, quoties trabi in terram præalte defixæ in ſummo vertice alia tráſverſa longior dimenſa medietate connectitur eo libramento, ut ſi unum caput depreſſeris, alterum erigatur: idque ad onera levanda, ſive ſit aqua è puteo, ſive quidvis aliud. Plinius 19, 4. *Hortos villæ jungendos non eſt dubium, riguoſque maxime habendos; ſi contingat, profluo amne; ſi minus è puteo rota organiſve pneumaticis vel tollenonum hauſtu rigatuve.* Ita namque legendum ex veſtigiis ſcriptæ lectionis. *Tellenones, telones, tollones*

voces ſunt barbaræ & nihili. Fruſtra ex Plauti Rudente citant ſive *telones* ſive *tollones*. Eſt enim error Hermolai, qui in depravatum codicem inciderat: *ſi Ptolomæo gratia eſt, hanc urnam cape mulier:* & corrigebat infeliciter, *tolloni*. Nunc enim recte legitur: *Heus ſis, Ptolemocratia, cape urnam hanc tibi. Muliercula hanc neſcio quæ huc ad me detulit.* act. 2. ſc. 5. Nec felicius in Columellæ loco: *Aut fons illacrimet putei non ſede profunda, Ne gravis hauſturis tollentibus ilia vellat:* Ptolomæus Flavius, *tollonibus*. Petrus Pithœus conjecit: *Ne labor hauſturis tendentibus*. Vel, *latus*, Omnia fruſtra. Scribe mecum: *Ne gravis hauſturo tolleno tibi ilia vellat.* Reſtat autem mendum in illis Livii *gravique libramento plumbi recelleret ad ſolum:* etſi nihil ſcripti juvent. Non poteſt verbum *recelleret* referri, niſi ad nominativum priorem *ferrea manus*. Atqui ea ineptiſſime dicitur *recellere ad ſolum:* levatur namque in altum, poſtquam proram navis comprehendit, ipſum autem illud libramentum, ut pondere depreſſum trahat ſurſum ferream manum una cum præda prehenſa, recellit ad ſolum. Vides neceſſario ſcribendum eſſe: *quum injecta proræ eſſet, gravi libramento plumbi recellente ad ſolum ſuſpenſa prora navim in puppim ſtatuebat.* Corvus ille vel manus ferrea tollenone ſuper murum eminente, cui firma catena eſt alligata, demiſſa injicitur proræ: quo facto πτέρνα τῆς μηχανῆς ſeu grave libramentum plumbi, machina vel tormento elevatum dum manus illa deſcendit, relinquitur naturali ſuo motui (qui eſt deorſum tendere) & recellit ad ſolum: hoc cadente viciſſim adſcendit manus ferrea, proramq; prehenſam attrahit, ſuſpenditque, atque ita navim in puppem ſtatuit. Tum remittitur manus διά τινος χαστηρίας,

ελας, ut ait Polybius. Feſtus: *Recellere, reclinare, & excellere, in altum extollere.* Poſtea ſcribendum cum libris optimis: *ita unda adfligebat, ut, etiamſi recta reciderat, aliquantum aquæ acciperet.* Illud enim verbum, ut & Sigonius vidit, pendet à voce *manus*, non ab *unda*, ut putarunt, qui fecerunt *adfligebant*. Implicatior ſermo eſt per crebros ablativos: ſic igitur accipe: manus ferrea per libramentum plumbi, quod ad ſolum recellit, furſum levata quum ſuſpendit proram, navim ſtatuit in puppim: dein remiſſa eadem manus ferrea navim cadentem ita adfligebat unda &c. Propria notione τοῦ *adfligere*, ut cum dicimus *adfligere terræ, ſolo*. de qua non ſine commodo ſummi ſcriptoris nos etiam aliquid in Obſervationibus. Mox lege: *omniſque vis eſt eo verſa, ut totis viribus.* Hoc ſignificant libri, quamvis omnes vitiati, & ipſe Put. qui habet: *omniſquae ipſeſe adverſa.* Libro ſequenti: *& exercitum ejus ſe acciturum; totumque eo verſuros bellum.* Deinde Put. *non ſolum miſſa tormento.* non *tormenta*. Veriſſime. Curtius lib. 4. *validis aſſeribus corvos & ferreas manus cum uncis & falcibus illigaverant, ut quum tormento aſſeres promoviſſent, ſubito laxatis funibus injicerent.* Auctor lib. 8. de bel. Gall. *undo tormento miſſa tela in hoſtium cuneos conjici poſſent.* Noſter lib. 44. *ubi propius ripam hoſtium ſubiſſent, tormentis miſſa etiam ad ultimos perveniebant.* Et eodem libro: *qui in navibus erant, ſaxis tormento emicantibus percutiebantur.* Appulejus lib. 8. *& velut quodam tormento inquieta quiete excuſſa.*

Cap. 35. *Pelorum atque Herbeſum*] Optimi, *Helorum.* nam & urbs Siciliæ ἕλωρος Plinius lib. 32, 2. *Sed quæ veteres prodidere in ſtagnis, nos in piſcinis admirati in Eloro Siciliæ caſtello,*

non procul Syracuſis. Statim: *dedentibus ipſis recepit.* Put. uterque Pet. Men. *recipit.* Deinde Put. & Pet. melior: *Megara vi capta diruit.* Atque ita repone. Plautus Mercat. *Sed quam capiam civitatem cogito potiſſimum: Megara, Eretriam, Corinthum.* Et noſter ſupra: *Megaris caſtra movent.* Ibidem optimi: *Nequaquam cum quantis copiis ante tenuerat.* Elegantius & verius. Mox: *profectus Carthaginem, adjutuſque ibi*, quod conjecerat Lipſius, plane Put. immo & minoris dignitatis libri. Quod vulgo eſt, *accituſque ibi*, recte ſolœciſmi appellant Valla & Lipſius; recte etiam Villiomarus *ubique ire*: Velleji ævo utique, fruſtra obnitente malæ cauſſæ Titianæ patrono Alberico Gentile lib. 2. de nuptiis.

Cap. 36. *Ad flumen Anatim*] *Anatis* fluvius eſt Africæ, at Siciliæ *Anapis*. Sic ergo ſcribe. Et apud Ovidium 2. de Ponto, El. 10. *Quaque ſuis Cyanen miſcet Anapis aquis.* Non *Anapus.* Ibidem: *Nec diutius Pœni Syracuſis morati ſunt.* Put. & Pet. *ad Syracuſis.* Forte: *ad Syracuſas.* Vt *ad urbem, ad exercitum eſſe.* Statim: *duplici facile numero claſſe adventantibus Romanis.* Cur mutarunt quod perſpicue codex antiquiſſimus: *claſſem habentibus.*

Cap. 37. *Et tum intenderant cum ad cavendum omni cura tot audita proditiones*] Multo ſcitius Put. *ad cavendi omnia curam.* Poſt paullo: *Romanum patere; aperte ac propalam placuerat agendum* Put. *patere patuerat agendum*, reciſis tribus vocibus, quæ & aliis omnibus, quos conſuluimus, abſunt. Nihil ergo propius conjectura Lipſii: *palam erat agendum.* Ibidem Put. & Pet. *Præſidio decedere apud Romanos capital eſſe:* idque è noſtro imitatus Silius: *Pravetitum namque & capital.* Rurſum: *Tum Pinarius ait illis, ſi ad con-*

conſulem gravarentur mittere. Put. *Tum Pinarius adilliſi ad.* Sic vere antiqua manus: nam ſecunda *l* & *S* interlineare adjecit, unde ortum vulgatum. Sed Livius ſcripſit: *Tum Pinarius: at illi, ſi ad conſulem gravarentur mittere, ſibi ſaltem darent populi concilium.* Formula elegans frequenſque Livio. Lib. 1. *Si tua re ſubita conſilia torpent, at tu mea ſequere.* Lib. 3. *ſi vos urbis, Quirites, ſi veſtri nulla cura tangit, at vos veremini deos patrios.* Eodem: *ſi plebejæ leges diſplicerent, at illi communiter legumlatores ſinerent creari.* Lib. 9. *ſi nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices confugiam.* Lib. 10. *ſin collega quid aliud velit, at ſibi L. Volumnium darent adjutorem.* Plautus Captivis: *Si ego hic peribo, atque ille, ut dixit, non redit; At erit mihi hoc factum mortuo memorabile.* Curtius lib. 4. *ſi id conſilium damnaret, at ille divideret ſaltem copias.* Valet particula *At* idem quod *tum.* Neque aliter lib. 10, 19. *Bellona ſi hodie nobis victoriam duis, aſt ego templum tibi voveo.* Vbi neſcio quid cornicatur Fulvius Vrſinus, monens legendum eſſe, *aſti.* Virgilius 1. Æneidos: *Si genus humanum & mortalia temnitis arma, At ſperate deos memores fandi atque nefandi.* Statim: *utrum paucorum ea denuntiata, an univerſæ civitatis eſſent.* Put. & Pet. *denuntia*, deinde *eſſet.* Videntur flagitare: *denuntiatio eſſet.* Subjungitur: *Conſenſu in poſterum diem concio edicitur.* Verbum ultimum optimi non habent. Scribe: *conſenſa in poſterum diem concio. Poſtquam* &c. Aut certe: *Conſenſa in poſterum diem concione, poſtquam ab eo colloquio* &c.

Cap. 38. *Convocatis militibus: Credo ego*] Put. Petav. Men. *convocatio quibus credo ego.* Latet aliquid, quod nec fugere me puto, ſed explicando

alium

alium locum deſtinavi. Scribe: *conſenſa in poſterum diem concione, poſtquam ab eo colloquio in arcem ſe recepit, cōvocatis ocius, credo ego vos audiſſe, milites, inquit.* Vide ad lib. 30, 7. Et de verbo *conſenſa* ad lib. 4. 35. Arnobius lib. . *numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata ſunt, ex quibus res omnes conſenſum eſt eſſe concretas.* Dubitabam eſſetne hoc eadem forma reſtituendum lib. 1, 32. *quandoque pars major eorum, qui aderant, in eandem ſententiam ibat, bellum erat conſenſu fieri ſolitum, ut fecialis haſtam ferratam aut ſanguineam praeuſtam ad fines eorũ ferret.* Quæ ſine controverſia corrupta ſunt, nec ſcio quomodo emendes, niſi placeat: *bellum erat conſenſum. Inde fieri ſolitum.* Non hinc longe in oratione Pinarii: *Hac occulta fraude cautio eſt: qua quia adhuc minus cuiquam ſucceſſit, aperte ac propalam claves portarum repoſcunt.* Put. *Haec occultam fraude cautio eſt quam ſi adhuc ſumus cui quoniam parum ſuccedit.* Eodem fere modo Petav. & Men. & tres Pall. Scribe ſecure: *Hac occulta in fraude cautio eſt, qua uſi adhuc ſumus: cui quoniam parum ſuccedit, aperte ac propalam.* Vnus ex Pall. clare, *qua uſi.* Vide ad hujus libri cap. 13. quo minus dubites de phraſi Liviana. Rurſus: *& cavete ne quiſquam ex iis ſuperſit.* Et hic de ſuo liberales fuerunt fartores. Scribendum: *& cavete quiſquam ſuperſit, à quibus aut vis aut fraus timeri poſſit.* Sic Put. Petav. Men. duoque Pall. niſi quod *quicquam.* ibi. Subauditur *eorum*, quam ellipſin adeo uſitatam Livio concoquere non potuerunt. Mox etiam meliores: *ſuperi inferique dii.* non *ſuperni.*

Cap. 39. *Ad obſidenda itinera claudendoſque oppidanis exitus*] Alii: *claudendoſque oppoſiti exitus.* Pet. melior: *opſiti.* Pal. *obſiti.* Put. *oppinitis.*

tu. Scribe *claudendoſque oppidi exitus.* Ibidem: *pleraque eadem, quæ pridie prius dixiſſet.* Relegant boni libri τὸ *prius.* Non longe: *ſuperne in adverſam concionem clamore ſublato decurrunt.* Scribimus, *averſam:* ut erat ſane à militibus in concionantem præfectum Romanum verſa concio. Deinde: *nihilo remiſſiore militum ira, quod jure turbam inermem cædebant.* Put. *quod jureeam inermem.* Apparet abundare τὸ *jure* in vulgatis: nam *jureeam* corruptum eſt ex unica voce *turbam.* Sub finem Put. Pet. aliique probi: *claſſi caſtriſque præficit veteribus,* non *præfecit.*

Cap. 40. *Levibus biremibus centum viginti*] Scripti omnes Gallici, Italici, duo Pall. *lembis biremibus:* ut dictum in commentario de ſeſtertiis. Paullo poſt: *neque mœnibus neque viris neque armis validam.* Illi: *neque viris atque armis.* Adi 2. Obſervat. 14. Mox: *hoſtemque haud dubium Romanis terra aut maritimis viribus arceret.* Fulvius Urſinus ſine dubio legendum ait ex V. C. *maritimis urbibus.* At ego valde dubito, nec uſpiam illud mihi præterquam in uno Pal. inventum. Put. *Romanis maeactgrra maeacterra ac maritimis.* Videtur excidiſſe *Macedonem* (nam *Maceten* Livianum vix puto) hoc modo: *hoſtemque haud dubium Romanis Macedonem terra maritimis viribus arceret.* Sic certe gratiam aliquam ſermo habet. Sequitur: *M. Valerius præſidio loci ejus relicto T. Valerio legato, cum claſſe inſtructa.* Vetuſtiſſimus cum Pet. *M. Valerius* ∞ ∞. *præſidioque eis T. Valerio legato cum claſſe.* Etiam Men. & Pet. alter τοῦ *loci* & *relicto* ignorant, habent autem: *M. Valerius præſidioque ejus T. Valerio.* Forte ſcribendum: *M. Valerius duobus millibus, præſidioque eis T. Valerio relictis, cum claſſe.* Sic Cæſar lib. 5. de bello Gall. *& præſidio navibus*

Q. Ar-

Q. Arrium præfecit. In illis: *quod recedens inde reliquerat Philippus*: vocem ultimam ubique deſidero. Forſan excidit vocula *rex*, fuitque: *quod recedens inde rex reliquerat.* Præterea Put. *pollicitus* ∞ ∞. *delectorum militum.* Ex eodem, Pet. Men. Pal. promſimus: *cum præfecto ſocium Q. Navio Criſta:* (quod nomen & apud Siliū eſt lib. 10.) ubi vulgo: *ſocium Nævio Criſpo*: &, *juventutem Apolloniatium*: quippe alibi quoque & prima & tertia forma hanc vocem inclinat. Inferius: *plus tamen hominum aliquanto captum*: ubi vulgo: *hoſtium aliquantum.*

Cap. 41. *Agmenque Romanum impune incurſatum*] Fulvius: *importune vexatum.* Quod certo ſcio Livii non eſſe. Put. *impune inverſatum:* neque aliter duo Pet. duo Pall. & Men. Aut vera eſt vulgata, aut ſcribendum; *impune divexatum.* Statim: *ceſſere inde Romani propius pacata loca.* Sigoniani codicis lectio: *per prius pacata*: eſt à correctore, qui genus loquendi non intelligebat. Noſtri omnes illud ſervant. Prope finem: *plus decem millibus hominum captum*, Put. & Petav. ſed τὸ *hominum* repetitum eſt ex præcedente verſu.

Cap. 42. *Iam enim non milites ſolum*] Abſolvunt omnes τὸ *enim.* Vlcus habent illa: *Sed gens nata inſtaurandis reparandiſque bellis Magone ad conquiſitionem militum fratre miſſo, brevi replevit exercitum, animoſq; ad tentandum de integro certamen fecit.* Cujus enim fratre? Aut quis eſt Mago frater? Annibalis, ni fallor, appellat alterum fratrem Magonem Livius. Sed cur ille κατ᾽ ἐξοχὴν *frater*? Neque de illo *gens nata* recte enuntiatur *animos fecit*, ſi obſervaveris, ut alibi Livius ea phraſi utatur. Vide ad lib. 22, 26. De vitio certus ſum; medicinæ admodum incertus. An pla-

placet: *Sed gens nata inſtaurandis reparandiſque bellis Magonem ad conquiſitionem militum Annibalis fratrem miſit: brevi replevit exercitum* &c. Omnes enim Gall. duoque Pall. *Magonem:* & deinde optimi, *fratrem iſſe.* Cohæret oratio ut lib. 1, 23. *Ea res ab ſtativis excivit Metium: ducit quam proxime ad hoſtē poteſt.* Vbi vide quæ diximus. An mavis: *Sed ut in gente nata inſtaurandis reparandiſque bellis Mago ad conquiſitionem militum fratre miſſo.* Statim nec placet: *Alii plerique milites:* & probabiliter Valla: *Galli plerique:* Mss. tamen nihil mutant. Mox Put. *iiſdem animis quibus pr. orta eodemque.* Pet. *prius orta.* Men. & unus Pal. *quibus P. R. orta.* Alii: *quibus orta.* An, *iiſdem animis quibus priores eodemque eventu.* Ibidem: *& ſpolia plurima Gallica fuere: annuli aurei, torques armillæque.* Put. *fuere alirci torques armillæque.* Forte vacat τὸ *annuli*, quod Pet. melior & Men. ignorant, & fuit: *fuere: aurei torques armillæque.* Nomina regulorum Gallorum in Put. *Mœnicoepta* & *Viſmaro.* De Saguntinis: *quos vis reliquerat belli.* Put. & Pet. *quos & ſuis.* Alii: *quos & vis,* vel *jus.* Forte: *quos ex iis vis reliquerat belli.* lib. 25. *quaſdam ex eis damnatas in exilium egerunt.*

Cap. 43. *Propter conjurationem deſerendæ Italiæ ad Cannas factum*] Put. *deſēreddactus italiaeat cannas.* Pet. *deſerte aetus Italiæ ad Cannas.* An ſcribendum: *deſerendæ Italiæ Cannuſii factum.* Vide ſupra lib. 22, 52, & 53. De Tuditano ædili: *per medios hoſtes erupit. Comitiis perfectis.* Put. & Pet. *per medios hoſtes auxiliis comitiis perfectis.* Pal. *hoſtes auxiliis erupit. Comitiis.* Hæc vox, *erupit*, ſine dubio eſt malorum correctorum. Iſto autem moſtello *auxiliis* res parva dictu abſconditur: quippe Livius ſcripſerat: *per medios hoſte,*

eva-

evaſit. Ea vox corrupta in *evaxit*; dein omiſſo primo elemento *auxit*, poſt mutato ultimo *auxil*; generavit tandem *auxiliis*. Vnus Pal. ſimul cum hoc portento neſcio unde verum hauſit: eſt enim ibi: *auxiliis evaſit*. Dignius animadverſione, quod ſequitur: *Comitiis perfectis ab Q. Fabio Conſule deſignati*. Nam Put. *Comitiis perfectis authere Q. Fabio*. Men. *auctere*. Pet. & Pal. *auctore*. Atque hæc vera ſcriptura eſt. Significat conſulem principem id conſilium dediſſe, quod deinde relatione facta dictiſque ſententiis in ſenatuſconſultum tranſiit. Sic lib. 7. *Conſul Popilius auctor Patribus ſcribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli eventus ſubſidium eſſet*. Lib. 26. *magna pars ſenatus, principe ejus ſententiæ T. Manlio Torquato, cenſerent*, Epitome lib. 48. *Quum locatum à Cenſoribus theatrum exſtrueretur, P. Cornelio Naſica auctore, tamquam inutile & nociturum publicis moribus, ex S. C. deſtructum eſt*.

Cap. 44. *Bellum undecumque cum Annibale*] Vacat *undecumque*, quod Put. Petaviani, regius, Men. tres Pall. non agnoſcunt. Statim Put. Petav. Men. *exercitum unus cumque ipſe*. Pall. *exercitum undecunque*. Ex qua vitioſa ſcriptura illud enatum. Scribendum vero fuerat: *& exercitum, unus quem ipſe Sempronius habuerat, alter quem Fabius conſul*. Intellige, conſulibus mandati. Mox: *juriſdictionem Attilio collegæ prætori urbano mandarat, ut Luceriam provinciam*. Put. Pet. Men. Pal. *mandata Luceriam*. Pal. alter: *mandatam Luceriam*. Integrum ſcilicet eſſe: *M. Æmilius prætor, cujus peregrina ſors erat, juriſdictione M. Attilio collegæ prætori urbano mandata, Luceriam provinciam haberet*. Subaudi hic quoque è præcedentibus, *mandatum*. Ibidem: *C. Teren-*

rentio cum legione una, cui jam diu praerat, Picenum. Put. & omnes Gall. Pall. τὸ *cum* & *diu* relegant: iidemque conſenſu *legio*, non *legione*. Emenda: *C. Terentio legio una, cui jam praerat, & Picenum.* Deinde: *Murus ac portæ tacta, & Aricia etiam Iovis ædes de cœlo tacta fuerat.* Put. & Gall. omnes, *fuerant*. Dele τὸ *tacta* gloſſema ſcholaſtici hominis, & ſcribe: *Murus & portæ* (nempe Vrbis) *& Aricia etiam Iovis ædes de cœlo tacta fuerant.* Iterum: *in Iovis Vicilini templo, quod in Compſano agro eſt*. Pet. *Compſino*. Alter: *Comptino* Put. *Comptino*. An forſan: *Pomtino*. Vterque etiam optimus: *Viſilini*. Denique notabile gloſſema: *non ſubmoventes patrem*: ſuſtulimus ibidem auctore Lipſio, & quod nulli codices ſcripti ullius numeri id agnoſcerent.

Cap. 45. *Caſsius Altinius Arpinas*] Volueram: *Daſius Altinius*: quemadmodum infra: *primum de fuga Daſii*: cujus mutationis aliarumque hoc capite (inprimis inſignis iſtius: *novam referre proditionem proditu olim; qui aliunde ſtet ſemper, aliunde ſentiat, infidus*: quod repoſuimus auctoribus vetuſtis pro illo fatuo: *ut proditio pro ſeptemvirali judicio eſſet ſemperque aliud ſentiret, infidus*) accurate copioſeque rationes reddidimus in Obſervationibus ad edendum, Deo volente, paratis.

Cap. 46. *Vbi quum à mille fere paſſibus*] Put. *ad fere paſſibus*. expuncto τοῦ *mille*. ut & plane Pet. melior. Scribe: *à quingentis fere paſſibus*. Numerus litera D. ſignificabatur. Iidem pluresque boni: *ex interiore parte aut clauſtra refringere jubet, aut tenentes partem urbis*. Quaſi velint duo hæc diverſa imperia eſſe, quorum alterutro, quod facilius res præſens monſtraret, defungerentur. Itaque mox omnes *portam tenuerunt*. Videtur

tamen

tamen melius eſſe: *& clauſtra refringere jubet & tenentes*. Levia ſunt illa: *ad fallendum adjuvit. imber ab nocte*: cur tamen ſuum auctori invideamus? Illud elegans: *ſtrepitum molientium portam exaudiri prohibuit*. Sic enim optimi pro *demolientium*. lib. 6, 11. *non contentus agrariis legibus fidem moliri cœpit*. id eſt, labefactare. Fruſtra Sigonius, *demoliri*. lib. 9. *num montes moliri ſede ſua paramus*. lib. 25. *neque tranſilire, neque moliri objecta onera facile erat*. Tacitus 1. annali: *concurſuque ad januam facto moliuntur fores*. lib. 2. *curſant per urbem, moliuntur templorum fores*.

Cap. 47. *Quam ob noxam Romanorum, quod ob meritum Pœnorum*] Refinge cum Put. & Pet. *quod aut meritum*. Quo & cæteri alludunt. Præclarum eſt: *ignaros omnium ſe venum à principibus datos Pœno, captos oppreſſoſque à paucis eſſe*. Vbi vulgo: *datos, pœne captos*. Illud habent optimi. Ibidem: *in templis Fortunæ ac Matris Matutæ & Spei extra portam late vagatus ignis ſacra profanaque multa abſumſit*. Put. uterque Pet. abolent τὸ *Spei*. & certe importunum eſt.

Cap. 48. *De ratione belli gerendi*] Optimi: *gerundi*. Statim iidem: *quam multarum rerum ipſe ignarus eſſet, ex comparatione tam ordinatæ militiæ animum advertit*. Dolabella ad Ciceronem lib. 9. famil. 9. *Quamobrem quid aut ille ſperare poſſit aut tu, animum adverte pro tua prudentia*. Cæſar lib. 1. de bello Gall. *Poſtquam id animum advertit, copias ſuas Cæſar in proximum collem ſubducit*. Eodemque propius finem: *eam partem minime firmam hoſtium eſſe animum adverteret*. Lib. 4. *atque id frater, qui jam prælio exceſſerat, procul animum advertiſſet*. Iterumque: *quod ubi Cæſar animum advertit, naves longas*, &c. Et poſtea: *ex omnibus partibus tela conjici ani-*

animum advertit. Lib. 7. *nec facile adiri apertos ad auxiliandum animum advertebant.* Sic conſtanter omnibus his locis membranæ Andinæ. Salluſtius Iugurth.c.69. *Vaccenſes ubi animum advertere ad ſe vorſum exercitum pergere.* Eodem c. 93, *animum advertit inter ſaxa repentes cochleas.* Nam & ſic utrobique meliores libri. Mox: *magiſter rei militaris remaneret.* Put. *reſideret.* Petav. Men. Pal. *rediret.* Petav. & Pal. alteri *reſideret.* quod an genuinum ſit, conſidera. Ibidem: *armandi ornandique & inſtruendi eos artem ignorare:* Put. Pet. uterque, Reg. Men. non *ordinandi.* Non temere eſt. Lib. 27. *Poſtero die armati ornatique ad edictum aderant.* Lib. 40. *tribuniſque militum imperat, ut ornari omnes copias peditum equitumque & decurrere jubeant armatas.* Tacitus 3. hiſtor. *Flavianus exercitus, ut ad prælium intentus ornatuſque.* Sic contra *deforme agmen* lib. 9. de exarmatis & ſub jugum miſſis ad furculas Caudinas: *ipſa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte triſtior fuit.* Et lib. 41. *vix mille & ducenti ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos ſecum eduxiſſent, inventi ſunt; cætera deformis turba, velut lixarum calonumque.* Iterum ſtatim Put. *omnia velut forte congregata turbaſuaſca ac temeraria eſſe.* Vnde ſagaciter, quod editum eſt, deprehendit Salmaſius: *Omnia, velut forte congregata turba, veſca ac temeraria eſſe.* Etenim *veſcus* ſive à *ve* & *eſca* copulatum, ut placet A. Gellio lib. 16, 5. ſive à *veſcor*, ut ſit quaſi adeſus, idem quod infirmum, gracilis, tenuis, victus, ſubtilis. Lucilius: *faſtidioſum & veſcum vivere.* id eſt, infirmus, corpore male ſano. Afranius: *puer eſt veſcis imbecillus viribus.* Virgilius 3. Georg. *veſcas ſalicum frondes*, id eſt, *victas & tene-*

teneras: nam veſcum hoc eſt proprie, unde & tela aranearum veſca vocantur. Sic puto ſcripſiſſe Servium, non *ſiccas & teneras.* Telæ autem *veſca* quid aliud quam ſubtiles? Eidem Virgilio 4. Georg. *veſcum papaver:* non quod eſui eſt, ut interpretatur Servius frigido epitheto & contra proprietatem vocis; ſed quod Plinius lib. 20, 19. de una ſpecie cæteris comparata effert, & de omni verum eſt, ſi cum aliis ſeminibus compares, exile. Prorſus ita Lucretius lib. 1. *mare qua impendet veſco ſale ſaxa pereſa.* Non ob edendi intenſionem, ut cenſet Gellius, ſed vel ſubtili; vel molli, quale eſt ſal ſive ſalum maris. Ovidio *veſca farra*, quæ opponuntur grandibus. Ibidem: *qui ad regem remanſit:* auctoritate veterum librorum ſcripſimus, de quo ad lib. 7, 7. Sic autem Andreana quoque & Aldina. Nec video, cur Sigonius ingeſſerit: *Cum duobus Romanis relata Numidaſque legatos:* quamvis non aliter Aldus ante illum. Ut, inquit, præter Romanos legatos quos remiſit. Numidas & ipſum legatos miſiſſe intelligamus. Eſt enim idem ſenſus, & aliquanto planior, in vulgata prius: *Cum duobus Romanis relata* (id eſt, reſponſa) *Numida legatoſque in Hiſpaniam miſit.* Quis non videt legatos ab Numida rege miſſos eſſe alios ab duobus Romanis? Quis dubitet eoſdem fuiſſe Numidas? Adeo ſæpe nodum in ſcirpo quærimus. Scripti omnes hic leviter corrupti. Put. *cum duobus Romanis relata Numidis legatos.* Alii fidi, ut & Andreana: *relata Numida legatos.* Fuit: *relata Numida & legatos.* Rurſus: *qui intra portas ſeu præſidia Carthaginienſium auxiliares eſſent.* Verba duo, *portas ſeu.* Put. & Petav. antiquior omittunt, neque ego ſane illa morer. At mox: *& operi aliiſque juſtis militaribus:* conſtans eſt om-

omnium veterum librorum ſcriptura de qua in Obſervationibus. Vulgo obtinet gloſſema, *inſtitutiſque.*

Cap. 49. *Septem & decem annos natum*] Optimi cancellant τὸ *&.* Statim: *ejus regnum opulentius, quam quod accepiſſet.* Iidem: *latius opulentiuſque regnum quam accepiſſet.* Quod una defectum litera, cætera verum eſt. Scribendum namque: *ut jam tum appareret, latius regnum opulentiuſque, quam accepiſſet, facturum.* Prope finem mirum eſt vel ſine Mss. neminem vidiſſe ſcribendum: *eadem mercede, qua pacta cum Carthaginienſibus erat:* ut clare duo omnium optimi. Qua mercede juventus pacta erat. Denique perperam ὑποστιγμὴν poſuerunt poſt *trecentos.* poſt quam vocem etiam τὸ *inde* relegant omnes fere boni libri. Scribe: *& nobiliſſimos Hiſpanos ſupra trecentos in Italiam ad ſollicitandos populares, qui inter auxilia Annibalis erant, miſerunt.*

AD

LIB. XXV.

CAP. 1. *Tumultuario exercitu coacto*] Put. Pet. *exercitu actu coacto.* Forte: *exercitu raptim coacto.* Ibidem: *nec jam in ſecreto modo atque intra parietes ac poſtes contemnebantur Romani ritus.* Videtur hæc lectio propagata à Cœlio Secundo Curione. Nam Pall. tres, Pet. recentior, Men. *parietes ab hoſte tenebantur:* Aldina & Mediolanenſis atque earum traduces, *parietes ab hoſteque temnebantur:* Pet. melior, *parietes aboſtenebantur.* Quæ orta ſunt

ſunt ex eo, quod non intelligeretur ſcriptura vetuſtiſſima codicis Put. *parietes abotetebantur.* Scribendum autem: *atque intra parietes abolebantur Romani ritus.* Eleganter dicit *aboleri* pro non coli, omitti. Vt apud Tacitum, quum Nero Britannicum, Britannicus Domitium ſalutaviſſent, queritur Agrippina: *ſperni adoptionem, quæque cenſuerint Patres, juſſerit populus, intra penates abrogari.* Sunt autem duo hæc verba communis ſæpe ſignificationis. Vnde *abolere magiſtratum alicui* dixit noſter lib. 3. *tentationemque eam fore abolendi ſibi magiſtratus.* Pro quo lib. 27. *& jam de imperio abrogando ejus agebat.*

Cap. 3. *Ementiti erant facta naufragia*] Put. Pet. uterque, Reg. duo Pall. *falſa naufragia:* quod cur ſpernam, cauſſæ nihil video, nec me offendit ille, ſi quis eſt, pleonaſmus: *ementiti falſa.* Statim Put. *in veteres, quaſſaſque naves.* non *quaſſatas.* Deinde quos vidi vetuſtiores: *cui certandæ quum dies adveniſſet.* non *cujus.* Sed maxime laudabile, quod reſtituimus pro eo: *publicani per vacuum vi ſummo occupato loco in eos irruperunt.* Prima earum, quibus uti mihi licuit, Andreana τὸ *occupato* & *in eos* exhibuit. Nam Valla invenit: *vi ſummo loco irruperant:* conjecit autem: *vi ſummoto eo*, vel *vi ſummoto inde cuncto irruperunt.* Pall. *in ſummoto loco in eo* aut *eos.* Put. *in ſummoto loco irrup.* Sed optimus Put. *in ſummotolocuneo inrup.* Vbi duæ literæ ſunt ſuperfluæ. Scribendum enim: *publicani per vacuum vi ſummoto, cuneo inruperunt.* Sic infra cap. 8. *cum ſibilo dediſſet ſignum.* Put. & duo poſt illum probiſſimi: *ſibiloco dediſſet.* Vult autem Livius per illud *vi ſummoto*, quum vi populum ſummoviſſent. Sic *incedere ſummoto* breviter eſt populo per lictores ſummoto lib. 28, 27. *lictor apparuit, ſum-*

moto inceſſerunt. Ita enim fidi codices, quod etiam, quum non intelligerent, mutarunt. Altera phraſis Livio frequentiſſima. Lib. 2. *eo nixi corporibus armiſque rupere cuneo viam.* Lib. 7. *cuneo deinde in medium agmen perrumpunt.* Lib. 34. *hoſtes acri impetu velut cuneo perculerunt.* Vegetius illuſtrat lib. 1, 26. *quo facto in trigonum (quem cuneum vocant) acies ipſa mutanda eſt.*

Cap. 4. *Damnari ſe ab ingratis civibus paſſum eſſe*] Put. Pett. Men. Pal. *ſe arbitratis.* Lege: *ſe ab iratis:* quod plane exhibet unus è Pall. Credibilius eſt utique immoderato adfectui, quam pravo animo dedecus id Conſules delegaſſe. Lib. 22. *hoſtium ſe telis potius quam ſuffragiis iratorum civium caput objecturum.* Lib. 2. de Coriolano: *Ipſe quum die dicta non adeſſet, perſeveratum in ira eſt. Damnatus abſens.* Sub finem querelæ: *Hæc quum ab optimo quoque pro atrocitate rei jacta eſſent:* ſcribo omnino, non *acta*, quamvis ſilentibus libris. Reviſe ad lib. 23, 22. Quintilianus lib. 9, 2. *Eſt & jactus ſine perſona ſermo.* Vidit hoc quoque Fulvius. Statim ſcribe cum melioribus: *vimque eam contra rempublicam & pernicioſo exemplo factam, ſenatus decreſſet.* Ibidem Put. *Tribuni pl. locaverunt, plebeſque ita ſcivit.* Sincerum eſt: *Tribuni plebem rogaverunt, plebeſque ita ſcivit.* Adde Sigonium.

Cap. 5. *Iuvenis in eo certamine devicit*] Put. & Pet. *certamine vicit.* Item: *ſeptemdecem annis*, & *ſeptemdecem annorum.* Et è paribus minutiis: *Cannenſis reliquiæ cladis hic exercitus erat.* Ibidem: *in plateis foriſque & conciliabulis.* Put. *in pacis foriſque.* Lege: *in pagis foriſque.*

Cap. 6. *Et ſanguine noſtro vulneribuſque magiſtratibus ſatisfacturos eſſe*] Quem non offendat illud *magiſtratibus*, aures veterum lectione ſubactas

actas

actas habentem? Poſſe legi ſuſpicatur Lipſius: *magiſtratibus & ſenatui.* Atqui hoc nihilo melius. Dein tale quid ſubſtituendum hariolatur: *ſanguine noſtro vulneribuſque magis quam precibus noſtris ſenatui.* At infeliciſſime, ut fere ſemper, ille cogitavit ad Tacitum: *magis reatibus.* Put. Petav. Men. Pal. *vulneribuſque noſtratui.* Forſan: *& ſanguine noſtro vulneribuſque, nos patriæ ſatiſfacturos eſſe.* Mox Put. *ſuſcenſuiſtis* & *ſuſcenſetis.* Idem cum Petav. *de imperatore meo.* Corruptiſſimum eſt: *cui poſt fugam actam ſit per omnes annos prorogatum imperium.* Quid eſt enim *agere fugam?* Put. *poſt fugam actannis per omnes.* Sed manu ſecunda prius *N* mutatum in *M*, & poſt *S* ſupraſcriptum *I*: unde libri alii ſcripti: *poſt fugam actam niſi per.* Quomodo & Laurentius Valla citat, & culpat vulgatæ architectos. Sed ipſe nihilo felicius: *non deſperaverit de republica conſul poſt fugam actam.* vel, *profligata acie.* Repone: *cui poſt fugam ab Cannis per omnes annos prorogatum imperium.* An potius: *poſt fugam ad Cannas.* Nam & ſic loquitur lib. 22. *Fuga namque ad Alliam ſicut urbem prodidit, ita exercitum ſervavit.* Non longe inde: *An vobis veſtriſque liberis ignoſcitis facile, P. C. in hac vilia capita ſæviret conſuli.* Sic Put. Pet. Men. Redundat una litera & ſcribendum: *in hac vilia capita ſævi? & conſuli primoribuſque* &c. Sic Horatius: *Inachiam ter nocte potes, mihi ſemper ad unum Mollis opus?* Mox omnes meliores: *ad furculas Caudinas.* Rurſus ibidem: *unde conſul cum equitibus quinquaginta fugit.* Omnis ſcripta lectio: *L X X*: quod reſtitui & hic & libri 23 49 & 50. capitibus jubet Polybius: τῶν μὲν γὰρ ἑξακισχιλίων ἱππέων ἑβδομήκοντα μὲν εἰς Οὐενουσίαν μετὰ γαΐου διέφυγον. Etiam Put. & alii plures: *quod reipublica*

blicæ nos reſervaſſemus. Iuſtinus lib. 2. *recedant & ſe ad meliora patriæ tempora reſervent.* Noſter lib. 1. *alios concitat populos, ſuis per ſpeciem ſocietatis proditionem reſervat.* Denique: *congredi cum hoſte liceat, & pugnando:* veteres, non *oppugnando*, quod hic non convenit. Sed etiam de ſententia Salmaſii diſtingue & ſcribe: *Operæ pretium habent libertatem civitatemque. Pro ſervis ſaltem ad hoc bellum emtis vobis ſimus. Congredi cum hoſte liceat, & pugnando quærere libertatem.*

Cap. 7. *Senatui nihil videri rempublicam committendam eſſe*] Longe rectius ſubindicant Put. & Pet. exhibendo: *ſenatum nihil videretur reſpublica committenda ſit.* Scribe uno elemento mutato: *ſenatum nihil videre, cur reſpublica committenda ſit.* Frontinus 4. ſtrateg. *Senatus negavit ſibi placere committi his rempublicam, quam deſeruiſſent.* Vbi malo ex Livio: *qui deſeruiſſent.* Iidem, Pal. & priſca editio: *donec hoſtis in terra Italia eſſet.* non *intra Italiam.* Mox Put. & Pet. *plebiſque ſcitu*, quod cur ſpernerem, quum ne Cicero quidem refugerit? Omnes autem libri: *uni ſacris conquirendis doniſque perſignandis.* Eaque lectio firmatur infra hoc libro: *Vates hic Martius illuſtris fuerat, & quum conquiſitio priore anno ex SC. talium librorum fieret.* Lib. 7. *quum piaculorum magis conquiſitio animos quam corpora morbi adficerent.* Lib. 40. *C. Servilius pontifex maximus piacula iræ deum conquirere juſſus, decemviri libros inſpicere, Conſul Apollini, Æſculapio, Saluti dona vovere.* Tacitus in vita Agricolæ: *electus à Galba ad dona templorum recognoſcenda, diligentiſſima conquiſitione fecit, ne cujus alterius ſacrilegium reſpublica quam Neronis ſentiret.* Gutherius *coinquiendis*: quod probare non poſſumus. Ab eadem origine *inquino* & *coinquo*, vel *coinquio*, cujus

ſimplex eſt apud Varronem. Ergo utrumque proprie eſt violare & contaminare. Sed uſus obtinuit, ut inprimis diceretur tum de profana ſilva tum de luco, quum ſilveſcentes nimium & incommode rami amputabantur, atque ita contactu ferri arbores violabantur. Alfenus IC. l. 29. Locati: *In lege locationis ſcriptum erat: redemtor ſilvam ne cadito, ne coinquito, ne deurito, neve quem coinquere, cadere, urere ſinito.* Paulus l. 5. Arborum furtim cæſarum: *Cadere eſt non ſolum ſuccidere, ſed etiam ferire cadendi cauſſa: coinquere eſt deglabrare.* Ita ſcribendum, non *cingere* vel *ſtringere*, adeo non contamur adſentiri Salmaſio, ut ante viſa ab illo doctiſſime, ut ſemper, commentata nobis eadem ſuſpicio mota fuerit. Neque ultimum verbum faciendum *deglubere*, quod Budæo placuit, aut *declavare*, quod Turnebo: neque interpretandum, corticem undique eximere. Neque enim hoc eſt *coinquere*, ſed deputare & coërcere luxuriantem frondem, quod in ſacris proprie arboribus *conlucare*, *ſublucare*, *interlucare*. Glabri ſunt qui pilis carent, quod & fit ſtrictim atque ad cutem tondendo. Sic *deglabrata* arbor, cui comæ & frondes detonſæ. Unde Horatio ilex *tonſa bipennibus*. Inſcriptio vetus: *eorumque. arborum. adoleſcfactarum. &c. coinquendarum.* Alia: *luci. coinquiendi. &c. operis. faciundi.* Ex quibus apparet non dici niſi de lucis & arboribus, nec poſſe tolerari hoc genus loquendi *ſacra coinquere*: niſi illa ſacra ſint luci: unde apud Catonem probabili admodum ratione vir ſummus: *illiuſce ſacri coinquendi ergo.* Nam quod Soſipater *Quinquatrus a quinquendo*, ſeu coinquendo, *id eſt, luſtrando*, ut ait, deductas cenſet; neque hoc ἔτυμον verum judico, neque aliter *coinquere* eſt luſtrare, quam quod detonſis frondibus ramiſque offi-

officientibus lumini amputatis curatur, purgatur & ſubluſtris fit ſilva, ſacras autem arbores non licebat ferro tangere niſi piaculo velut luſtrali ante cæſo. Atque ideo ut *luſtrare urbem, exercitum, arma*, ita & *coinquere urbem, exercitum, arma*, dici haudquaquam patitur Latini ſermonis ratio. De Philea Tarentino: *ocium, quo tum diutino ſeneſcere videbatur:* omnes libri veteres, & miror cur Gruteri eaſque ſequutæ editiones, *diuturno*. Similiter omnes: *miſſique qui ſequerentur, ab Tarracina comprehenſos omnes retraxerunt.* Itaque diſtinguendum. Vulgo: *emiſſique*.

Cap. 8. *Tum publice tum etiam ſingulos*] Put. Pet. Men. *cum publice*. Ejuſmodi levia complura & alibi ſine mentione arbitratu vett. correximus. Mox: *tredecim fere nobiles juvenes Terentini:* omnes veteres, ut Sigonius monuerat. Nomen alterius principum Put. & quilibet antiquiores faciunt *Philemenus* aut *Philomenus*, non *Philomenes*. Polybius vocat Φιλήμενον. Ita refingamus, *Philemenus*, volo, apud Livium, quem à Polybio hic non diſceſſiſſe certus ſum. Inferius Put. & Pet. *Tridui viam aberat.* non *via*.

Cap. 9. *Progreſſos retraherent*] Scripti *pragreſſos*. Vere mox Sigonius: *raptim agmine acto*. Lib. 7. *relictiſque impedimentis caſtrorum valido præſidio, raptim agitur agmen.* Lib. 21. *Scipio raptim ad famam novorum hoſtium agmine acto.* Illud: *interea adeo nihil obedienter curatum eſt:* partim ex Put. & Pet. partim de Lipſii ſagace conjectura præclare reſtituimus. Eſt enim illic: *in cetera adeo nihil obedienter cura eſt.* Poſteriorē varietatem habent & Men. & duo Pall. Scribe ergo: *in cetera adeo nihil ob id intenta cura eſt.* Sic lib. 5. *ab urbe commeatus intentiore quam antea ſubvehi cura.* Et ibidem: *dum cura omnium in*

Vejens bellum incœta eſt. Fruſtra interpretatur vulgatum Sigonius. Nam & Livium apparet de præfecto loqui, non de equitibus, & id Polybius ſatis ſignificat: τῆσγε μὲν ὅλης πράξεως διὰ ταῦτα καὶ μᾶλλον ἀνύποπτος ἦν ὁ Λίβιος. Non longe poſt Put. Pet. Men. *Ea mediterranea regio eſt orientem ſpectabeſt aliquantum intra mœnia includuntur.* vel *ſpectabat.* Ibidem: *refringuntque portam proximam*, antiquiſſimi, non *maximam.* Stare non poteſt commentum Vallæ: *Tarentinos & Afros*: ob rationes quas reddit Sigonius. Sed quod hic doctus vir contra Laurentium præfatur, ſæpe fieri, ut qui ſe locum emendare exiſtimet, is non ſolum non emendet, ſed magis etiam depravet, ac cujuſdam ſenſus ſpecie facultatem cognoſcendæ labis omnem eripiat, id ad ſe primum quoque pertinere (adeo ſumus homines) non animadvertit. Mss. *Tarentinos & infra.* Hinc ille: *& ferentes vias in fora*: teſtatur enim Polybius miſſos Gallos juſſos occupare τῶν εἰς ἀγορὰν φερουσῶν ὁδῶν τὰς διαχυρωτάτας. Sed addit idem Polybius Gallis duces datos Tarentinos: τούτοις συνέστησαν τῶν νεανίσκων δύο πρὸς ἕκαστον μέρος. Hoc expreſſit, ſi quid video, Livius atque ita ſcripſit: *Tum duo millia Gallorum Pœnus in tres diviſa partes per urbem dimittit cum Tarentinis, & itinera quam maxime frequentia occupare jubet.* Quod quidem longe propius ad veterem accedit ſcripturam. Τὰς εἰς τὴν ἀγορὰν φερούσας ὁδοὺς contentus fuit reddere *itinera quam maxime frequentia*, & alioqui τὴν ἀγορὰν agnoſcit modo Polybius, non ἀγοράς. Priſca editio: *Tarentinos & interiora, quam maxime frequentia.* Aurigatur, quo nos perveniſſe putamus.

Cap. 10. *In portum effugit; inde acceptus ſcapha*

pha in arcem confugit] Scilicet placuiſſe ſibi rhetoriſcos correctores in *effugit* & *confugit*. At quis illis dedit poteſtatem ſpernendi, quod habet unicus ille Put. neque ab eo diſcedentes melior Petav. duoque Florentini: *inde acceptus ſcapha in arcem circumvehitur*. Inferius: *claſſis inſtructa ac parata circumvehitur arcem*. Eſt ipſum Polybii verbum: ἐμβὰς, μετὰ τῶν οἰκείων εἰς ἄκραν περιεκομίσθη.

Cap. 11. *Circumluitur, & prealtis rupibus*] Supereſt particula *&*: nam hoc vult, qua mare arcem alluit, præaltis eam rupibus impoſitam eoque ſitu ipſo munitam fuiſſe. Prævertit hoc monere Sigonius, ſed ſupini editores, qui tot ſtigmata ab errante ejus librario inuſſerunt Livio, hic fuerunt immorigeri. Quemadmodum & ſtatim: *loci anguſtiæ eos, impeditaque alia opere jam cœpto, alia apparatu operis morabantur*. Sic enim & hic & illic omnes libri ſcripti. Nec longe: *plurimi in foſſam præcipitati occiſique ſunt*. Put. *praecitavere*. Cui proximus, ſed tamen vitiatus Pal. unus: *ſe præcipitavere*. Nam Livii erat: *in foſſam præcipitavere*. Ut lib. 27. *creditum vulgo eſt, in puteum apertum ex equo præcipitaſſe*. Inferius: *Reliquit tamen modicum præſidium, ut ſimul in faciendo muro adjuvaret*. Aliquid latet: nam Put. Pet. Men. *præſidium ſimul interfaciendo*. At Pal. unus: *præſidium, ut munientes ab impetu Romanorum tuerentur, ſimul interfaciendo muro adjuvarent*. Si placet hoc, ſcribe: *ſimul in perficiendo*. Quod delet Lipſius: *quam obſeſſi*: non auſi ſumus imitari, quod ſic conſtanter omnes. Mox etiam pluſculi, non tamen Put. ſi bene enotavi: *principibus Tarentinorum*. Pro eo: *ſuas, quæ ſinu exiguo interclusæ eſſent, quum clauſtra portus hoſtis haberet, quemadmodum inde in apertum mare evaſuras?*

ras? primum Put. *intus incluſæ ſunt.* Manus ſecunda fecit *incluſas.* Pet. melior: *intus incluſas eſſe.* Ambigo malimne: *quæ ſinu exiguo intus incluſæ ſint:* an, *quas ſinu exiguo intus incluſas eſſe:* ea formula quam adſeruimus Livio ad lib. 1. Illud tamen vetuſtiſſimi libri veſtigiis propius videtur. Deinde iidem: *haberet & quemadmodum.* Scribe: *quum clauſtra portus hoſtis haberet, ecquem ad modum inde in apertum mare evaſuras?* Semper fere antiqui codices, *etquis,* pro *ecquis,* & utatur illo ſane qui malit. Statim iterum: *Vrbem enim in campo ſitam habetis.* Ignorant noſtri τὸ *enim.* Etiam ubique Put. *pæne inſula.* Denique: *circumvehitur arcem & ante ipſum portum ancoras jacit.* Scribe cum Put. & Pet. *& ante os ipſum portus ancoras jacit.*

Cap. 12. *Et quum inquiſitio priore*] Put. Pet. *& quum conquiſitio.* Iam probavimus, & juvat ex lib. 39. *vaticinos libros conquirerent.* Dein ſcribe: *M. Atilii prætoris urbani.* nam Put. & Pet. *urbem.* Nomen autem & hic & ſuperius c. 1. & 5. de ſententia Sigonii, quamvis nolentibus libris, ita concipiendum cenſemus. Clare enim auctor lib. 24. *M. Æmilius prætor, cujus peregrina ſors erat, juriſdictione M. Atilio collegæ prætori urbano mandata, Luceriam provinciam haberet.* Et ne quis putet ejus rei quidquam ex incidenti occaſione mutatum, lib. 25, ubi in ſequentem annum ſortes prætorum recenſentur: *Fulvii Flacci, quæ Luceriæ ſub Æmilio pratore fuiſſent, legiones eſſent.* At fuit qui objiceret Sigonio ex lib. 27, 35. *ludos magnos facere dictatorem juſſit, quos M. Æmilius prætor urbis C. Flaminio, Cn. Servilio Coſs. fecerat.* Ibi tam fuiſſe obliviosum Sigonium ut qui hic Æmilium prætorem urbanum non fert, notaret hunc M. Æmilium fuiſſe cogno-

cognomento Regillum, qui poſtea fuerit flamen Quirinalis. At non hæc Sigonii oblivio eſt, ſed reprehenſoris imperitia. M. Æmilius hic fuit prætor urbis Coſs. C. Flaminio Cn. Servilio, ut patet ex lib. 22, 9. ubi dicitur inter alia ludos magnos votos, eoſque, quoniam Fabium dictatorem belli cura occupatura eſſet, M. Æmilium prætorem ex collegii pontificum ſententia curare juſſum. At ejus M. Æmilii Lepidi, de quo nunc agimus, ſors peregrina, & deinde, ut Luceriam provinciam haberet, fuit Coſs. Q. Fabio Maximo Tib. Sempronio Graccho. Statim Put. Petav. aliique probiores: *manus venerant*. Rectius, & intellige de libris vel carminibus Marcianis. Mendoſa ſunt: *poſtea aucta declarato auctoritas eventu*. Neque integrius Sigonianum: *poſt ea acta editi certo auctoritas eventu*. Omnes vulgares ſcripti: *poſtea eſt aucta, & curato*. Sed Put. *poſtrameacta dediti cum rato*. A quo nihil vel minimum diſcrepant Pet. melior & duo optimi Medicei. Nihili ſit in hac parte Critices, qui non videat veram eſſe, fruſtra Sigonio repudiatam, Vallæ conjecturam: *alterius poſt rem actam editi cum rato auctoritas eventu*. Singulæ phraſes alibi Livio frequentes. Lib. 21. *id ut tutius conſilium ante rem foret, ita acta re ad fidem pronius eſt*. Lib. 26. *ſerum ad impediendam rem actam*. Sed τὸ editum in hujuſmodi religioſis amat. Lib. 21, 62. *hoſtiæque majores, quibus editum eſt, diis caſæ*. Ita Mſs. & ſic reponere memineris: nam male vulgo publicatur, *edictum*. Lib. 22. *quia ita ex fatalibus libris editum erat*. Lib. 40. *Ob ea decemviri juſſi adire libros edidere, quibus diis & quot hoſtiis ſacrificaretur*. Fine hujus capitis Put. Petav. uterque: in *propatulu epulati ſunt*.

Cap. 13. *Qua die id accipiendum*] Omnes

ſcripti: *qua die in caſtris ad accipiendum.* Deinde: *paullo plus quadraginta vehicula miſſa.* Omnes veteres ſcriptique & editi: *quadringenta:* & haud putem nimium eſſe pro magnitudine urbis & frequentia incolarum. Etiam meliores: *cui ea provincia obvenerat*, non *evenerat.* Illis: *profectum frumentatum, duo millia:* interpoſuimus nobile fragmentum ex Putean. Petav. duobus Flor. Barberino: *Hannonem cum exercitus parte profectum frumentatum: per quaſtorem Campanis datum frumentum: duo millia plauſtrorum, inconditam inermemque aliam turbam, adveniſſe.* Nonnulli etiam libri: *frumentum id duo.* An fuit: *ad duo millia?*

Cap. 14. *Et exercitum ejus ſe acciturum, totumque eo verſurum bellum*] Put. Pet. Aldina: *verſuros.* nempe ſe & collegam junctos. Deinde: *cujus præfectus Vibius ereptum vexillum trans hoſtium vallum trajecit.* Put. *Vibius acauſarreptum.* Neque aliter Petav. melior ante raſuram. Scribe: *Vibius Accuaus arreptum.* Sic & infra ſcribendum: *ante alios Accuaus Pelignus.* Nam Put. Pet. tres Flor. *Accaus:* alii, *Acceus* vel *Accejus.* Oppidum eſt *Accua* nominatum Livio libro præcedenti. Inde *Accuaus.* Atque ita etiam reponendum apud Valerium lib. 3, 2. ubi idem *Vibius Acceus* vocatur. Inferius ſcribe: *ab revocando ad incitandos hortandoſque verſus milites.* nam ita meliores. Put. ſolenni errore: *ad revocando:* alii: *ad revocandos.* Rurſus Put. & Petav. *hoſtium occiſa, ſupra ſeptem millia capitum.* non *cæſa*, non *capiuntur.* Nempe mutanda diſtinctio, & vox *capta* ab ſequenti periodo retrahi atque huic connecti debet, hoc modo: *ſupra ſex millia hoſtium occiſa, ſupra ſeptem millia capitum cum frumentatoribus Campanis omnique plauſtrorum*

&

& jumentorum apparatu capta. Et alia præda ingens fuit, quam &c.

Cap. 15. *Et fraudis inteſtinæ & hoſtium inſidiarum ignarus*] Emenda: *hoſtilium.* Et ex Mss. *permiſtoſque & hoſtes urbem invaſuros.* Mox omnes ignorant: *alii urbem tuendam:* continenter vero exhibent: *tenuit; quum inde alii cedendum.* Certe aliquid latet, ni eſt fortaſſis: *quam in fide manendum alii, alii cedendum fortunæ:* nam τὸ *inde* inconveniens eſſe facile videre eſt.

Cap. 16. *Angues duo ex occulto allapſi edere jecur*] Put. *adlapſi anaere jecur.* Petav. *anae rejecur.* Medic. *anere.* Pal. unus & Men. *enere.* Pet. alter. Barber. *lambere.* Pal. *ademere.* Videtur ſcribendum: *adedere*, vel *ambedere.* Valerius Maximus: *angues duo ex occulto prolapſi repente hoſtiæ, quam immolaverat, adeſo jocinore.* Caret omni ſenſu: *atque intentius exta reſerata ſervarentur.* Put. *extareſereſervarentur.* Scribe cum Salmaſio: *atque intentius extares ollæ ſervarentur.* Præclara hæc emendatio eſt. Varro lib. 4. de LL. *Hæ ſunt, quarum in ſacrificiis exta in olla, non in veru, coquuntur.* Plautus Rudente: *Aut aulam extarem.* Adi commentatores. Meminit & Arnobius *ollæ extorum:* ubi quamquam recordor *aulam auri* apud Plautum, dubitavi aliquando an reſcribendum eſſet, *ollam extarem.* Statim: *iterum ac tertium veniſſe tradunt, libatoque jecinore intactos angues abiiſſe.* Gallici omnes ſpernunt τὸ *veniſſe*, dein habent *jocinore.* Lege: *iterum ac tertium tradunt libato jecinore intactos angues abiiſſe.* Obſervavimus alibi non ſemel τὸ *que* in optimo Puteanæo ſupervacaneum. Nec longe omnes: *ab occultis cavendum hominibus conſultiſque.* non *conſiliiſque.* Virgilius 4. Æneid. *Dum conſulta petis, dum noſtro in limine pendes.* Pacta

proditoris Lucani (qui *Flavus* Put. ſemper, non *Flavius*) haudquaquam integra ſunt. Put. *ſi Romanum iis* (Pet. *is*. Men. *his*) *imperatorem* (*ſibi*, quod vulgo additur, ubique abeſt) *tradidiſſet*. Mox: *deducit Pœnum* (Men. *Pœnus*) *in locum paucis Gracchũ adducturum mago ibi pedites equiteſq; armareſet capere eas latebras, ubi ingentem numerum occuleret*. Vltima periodi vox, *jubet*, nuſpiam comparet. Ante Vallam quidam emendarant: *Lucanos, hunc deducere Pœnum in loco, quo ſic Gracchum adducimus*. At Laurentius: *Lucanos dedit, ipſe ſe illo cum paucis Gracchum adducturus*. Sigonius: *dein edit, quem ſit in locum paucis Gracchum adducturus*. Vnus è Pall. *deducit Pœnum in locum, quo erat cum paucis Gracchum adducturus*. Mihi inſpicienti veſtigia Puteanæi codicis ita legi poſſe commode videtur: *ſeducit Pœnum: illo cum paucis Gracchum adducturum: Mago ibi pedite equiteque armatis caperet eas latebras, ubi ingentem numerum occuleret. Loco ſatis inſpecto* &c. *Illo* δεικτικῶς prolatum ſubaudit *loco* ex ſequenti periodo. Ducit Pœnum in lectum & ſecretum locum inſidiarum, atque illo ait ſe adducturum cum paucis Gracchum. Intelligitur τὸ *ſe*, ut & alibi Livio. Poſſet alioquin *adductum iri*. Illud ſincerum puto. Olim oſtendimus legendum ibidem: *ad quam perficiendam ipſius Gracchi opera opus eſſe*: nec mutandum cum Lipſio: *omnium populorum prætoribus*. Inferius Putean. Petaviani, Men. *locum ſe conciliis*, deinde Put. & Pet. *dixiſſe*. non *conſiliis edixiſſe*. Scribe: *locum ſe conſciis dixiſſe*. Nam & *dicere* interdum eſt ſtatuere: ut alibi, *diem ad conveniendum dicere*. Cæſar lib. 5. de Gall. *omnibus hibernis Cæſaris oppugnandis hunc eſſe dictum diem*. Ibidem: *equiteſque undique convocat iis certam diem conveniendi dicit*. Ibidem

dem ſcribendum puto: *duce hoſpite in inſidias præcipitatur.* non *præcipitatus.* Et ex ſcriptis Aldinaque: *ex equo deſilit*, non *deſiluit.* Statimque volentibus Putean. & Petav. *id cohoneſtent virtute.* At eximium eſt, quod reſtituimus pro his: *utrum præſenti torpore pecorum modo inulti trucidentur.* Quid enim eſt *præſens torpor? animos* potius *præſentes* dicimus. Neque apparet ullo torpore in re tam trepida fuiſſe defixos fortes viros. Putean. Petav. uterque, Men. duo Pall. *praeſentes corpora.* Emenda, ut plane eſt in uno Pal. *præbentes corpora.* Lib. 4. *Hic præbituri vos telis hoſtium eſtis, indefenſi, inulti?* Lib. 27. *ſitiſque & calor hiantes cædendos capiendoſque adfatim præbebat.* Lib. 28. *Quod ad fugam impedimento hoſtibus erat, id ad cædem eos velut vinctos præbebat.* Lib. 38. *Thracas præda ipſa impeditos oneribus, & pleroſque, ut ad rapiendum manus vacuas haberent, inermes ad cædem præbet.* Subſequitur: *an toto animo à patiendo exſpectandoque eventu in impetum atque iram verſo, agentes audenteſque.* Vox *animo* non conſpicitur in Putean. Petav. Men. Scribe: *an toti à patiendo exſpectandoque eventu in impetum atque iram verſi, agentes.* Horatius: *totus in illis.* Noſter: *plebs novarum rerum atque Annibalis tota eſſe.*

Cap. 17. *Funeris quoque Gracchi varia fama eſt.*] Amputant τὸ *eſt* Putean. Pall. Pett. Men. At Putean. etiam: *varia ſi fama.* Poſſis, *variavit:* ſed propius, *varia eſt fama.* non poſterius elementum *I* an *T* ſignet in antiquiſſimo codice, ambiguum eſt.

Cap. 18. *multiſque præliis laceſſebant Romanos*] Præliis multis laceſſitos non intelligo, niſi qui ad manus jam venerunt: at Romani ad prælia,

lia, quæ refugiebant, ſollicitabantur. Scribe una litera expuncta: *multiſque præliis laceſſebant Romanos*. hoc eſt, identidem, ſæpe laceſſebant eos; multi erant in laceſſendis prælio Romanis. Pro, *evocari Criſpinum juſſit*, omnes mss. *vocari Criſpinum juſſit*. Etiam Put. & optimus quiſque: *in diſcidio publicorum fœderum*. non *diſſidio*: ne veteres libros deſiderent viri docti negantes, *diſcidium* eſſe diſtractionem, & quidem corporis aut quaſi corporis, *diſſidium* vero diſſenſionem animorum. Neque enim ſi *diſſidere* Propertius alicubi pro longe ſitum eſſe dixit, ideo ſequitur *diſſidium* quoque de corporibus ſemotis dici, quum derivata non ſemper æque late quam primitiva porrigantur. Potuiſſent addere, ubi per hiatum *terra diſſediſſe* dicitur, & ex Silio lib. 7. de Minutio magiſtro equitum: *qui partitis diſſederat ante maniplis*: neque tamen illa nos movent. Multo minus obeſt Terentianum: *valeant, qui inter nos diſcidium volunt*. Non enim hi liticulam aut frigusculum quærebant inter Pamphilum & Glycerium; ſed ut ille hanc defereret, aliam duceret; ut inter eos, verbis Plauti, diſtractio, diſcidium, vaſtities veniret. Itaque pro animo, quo erga eam erat quaſi jam ductam, illos, qui advorſentur, divortium velle ait. Bello fœdus, ſi quod antea erat, rumpitur atque diſcinditur: ideo *diſcidium fœderum* dicimus, non *diſſidium*; neque enim & *diſſidere* fœdus poteſt dici. At apud Plautum in Milite a. 3, 1, *Neque per vinum unquam ex me oritur diſſidium in convivio*: male Lambinus & qui eum ſequuntur, *diſcidium*. Rixam enim ſignificat & contentionem, quæ eſt animorum diſſenſio verbis explicata. Sequitur enim: *ſi quis ibi odioſus eſt, abeo domum*. Si prius *diſcidium* dixiſſet, nunc adfirmaret, quod ſtatim ante negave-

negaverat: abeundo enim à ſodalitio illo *diſcidium* facit. Cicero in Lælio cap. 7. *quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti?* Perperam hic Guilelmius & Gruterus, *diſcidiis.* Amicitiæ enim & concordiæ non opponitur proprie *diſcidium*, ſed *diſſidium*; quod *diſſenſiones & diſcordias* ante dixit Cicero. Philippus ad filios apud Livium lib. 40. *Quoties ego audientibus vobis deteſtatus exempla diſcordiarum fraternarum horrendos eventus eorum retuli, quibus ſe ſtirpemque ſuam, domos, regna funditus evertiſſent?* Cicero ad Atticum lib. 4. epiſt. 1. *te acerbiſſime diſcidium noſtrum tuliſſe.* quod nempe fiebat locorum ſeparatione, amicitia illæſa. Apud Trogum lib. 23. refertur *crudele diſcidium* Agathoclis & uxoris ejus integra concordia & pietate conjugali. In divortio autem etſi plerumque ſit animorum quoque diſſenſus, tamen is proprie non explicatur verbo *diſcidium*, ſed diſtractio tori, domus, familiæ. Tiberius Agrippinam coactus eſt dimittere, quam tenerrime amabat: hoc *diſcidium* fuit abſque *diſſidio*. Idem poſtquam Iuliam duxiſſet, primo concorditer cum ea vixit, mox *diſſedit* (ait Suetonius) & aliquanto gravius, ut etiam perpetuo ſecubaret: *diſſidium* id fuit hactenus, etiam *diſcidium* lecti genialis, nondum *diſcidium* matrimonii. Tacitus 11. annal. 28. *ſed exſcidium procul abfuiſſe.* Pichena *diſſidium*, duplici errore: primum quod *diſſidium* putat eſſe idem quod *diſcidium*; dein quod divortium metuere putat, qui domus *exſcidium* & interitum verebantur. Sed omnium peſſime illi, quibuſcum Guilelmius *diſcidium* vult ſcribi, quoties agitur de amicitia quaſi diſcidenda; *diſſidium* autem, quoties tantum diſſidemus, hoc eſt, ut ait, locorum intercapedine

pedine ſejungimur. Nihil improbandum magis, & miror ſine obelo hoc tranſmiſiſſe Gruterum. Eodem cap. 18. *ſe ab eo, etiam ſi in acie occurrat, declinaturum.* Dele τὸ *ab eo* quæ nec in Gall. nec duob. Pall. habentur. Sed neque illa extra ſuſpicionem ſunt: *palam omnibus, duobus exercitibus audientibus, renuntiare hoſpitium.* nam τὸ *omnibus* Put. & optimi quique refutant. Vereor ne & τὸ *audientibus* ſit inculcatum ab improvido correctore, & fuerit ab Livio: *palam duobus exercitibus renuntiare hoſpitium.* Vt lib. 6. *creditori rem palam populo ſolvit.* Aurelius Victor Schotti Nerone: *amictus nubentium virginum ſpecie, palam ſenatu, dote dicta, in manum conveniret.* Immo maneat vetus lectio: *palam, duobus exercitibus audientibus, renuntiare.* Quod non multum abit ab illo Cæſaris lib. 1. de bello Gall. *quos quum apud ſe in caſtris Arioviſtus conſpexiſſet, exercitu ſuo præſente clamavit.* Quod conjeceramus ad Statium, *hoſti cum hoſte*, ſcripti confirmant omnes. Iidem: *infeſtis equis concurrerunt:* &, *ex equo deſiluit.* Denique: *equum armaque capta & cruentam cuſpidem.*

Cap. 19. *vacua caſtra Romanorum nuntiatum*] Optimus: *caſtra eſſe Romanorum.* Idem conſentientibus Petavianis & Men. *inſignis inter primipili centuriones & magnitudine corporis & animo.* non *animi.* Salluſtius Iugurt. *vultu corporis pariter atque animo varius.* Ibidem: *alterum novum totum & magna ex parte etiam tumultuarium.* Put. ignorat copulativam. Mox etiam Put. & Pet. *ut in nulla pari re duas amplius horas concitata &, donec dux ſtetiſſet, Romanam aciem.* Recte igitur Valla, fruſtra obnitente Sigonio; niſi quod particulam, ſuppoſito *etiam*, mutare non fuit neceſſe. Pall, duo, Flor. Barber. Men. non diſſentiunt,

tiunt, præterquam quod nonnullis excidit *donec*. Illud: *ſed adeo ne fugæ quidem iter patuit*: puto bene conjectum ex Put. & Pet. lectione: *ſed adſeneruae quidem iter patuit*. Statim Put. Pet. *cæteri paſſim alii alia peſte abſumti ſint*. non *ſunt*.

Cap. 20. *Capua à Coſſ. interim ſumma vi obſideri*] Put. Pet. uterque, Men. *iterum*. Vere. Infra c. 22. *Annibal magnifice reſpondit, & antea ſolviſſe obſidionem, & nunc adventum ſuum Conſules non laturos*. Nomen prætoris, non *Mutius*, ſed *Mutinius* exhibent libri: quod cur dubitem debere eſſe *M. Iunius*, ut Glareano & Sigonio viſum. Statim: *ut exercitui per hiemem copia eſſet*. non *ubi*. Et, *ab ſignis diſceſſit*. non *deceſſit*. Cæſar lib. 5. de Gall. *neque ab ſignis diſcedere auderent*. Et iterum: *quod fieri neceſſe erat, ut vulgo milites ab ſignis diſcederent*. Lib. 1. de civ. *ordines ſervare neque ab ſignis diſcedere*.

Cap. 21. *qui ſigno dato ſimul omnes è latebris exſilirent*] Put. Pet. Men. Pal. *exiſterent*. Rectius. Cicero 4. in Verr. *qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exſtitiſſe*. Auctor de bello Africo: *latent enim in inſidiis cum equis inter convalles, & ſubito exſiſtunt*. Ibidem: *agmini ejus extremo ſe offerunt, atque ex collibus primis exſiſtunt*. Ibidem optimi: *prima legio & ſiniſtra ala in primo inſtructa*, de quo dictum ad lib. 10. Item: *quacumque impetum feciſſet hoſtis, perrupturos*. Simillimam mutationem numeri reſtituimus ex libris ſcriptis lib. 7. 35. Mox: *Et Annibal quidem haudquaquam ſimili exercitu*. Mirifice variant hic libri, quia ſcriptores eorum audaciam ſumſerunt non intellectam lectionem veterem interpolandi. Put. *haudquaquam ſimilis dua neque ſimili exercitu*. Significat: *Et Annibal quidem haudquaquam ſimilis dux neque ſimili exercitu*. Infe-

rius

rius Put. Pet. Men. *à fronte pulſa, in tergo atque alis circumventa.*

Cap. 22. *ad id locorum proſpere gererent*] Put. *proſperem gererent.* Forte: *proſpere rem gererent.* Ibidem: *Q. Fulvium collegam invenit, Caſilino omnia importantem molientemque ad oppugnandam Capuam.* Omnes Gallicani: *inde portantem molientem ad opp.* Mox: *Tum ambo conſules circumſederunt urbem.* Optimis exeſt τὸ *conſules:* nec videbitur opus præcedentia recte conſideranti. Statim Put. aliique haud ſpernendi libri, *ad tenendum locum.* non *tuendum.* Dein meliores: *ceteris omnibus copiis ad Capuam deſcendit:* omiſſa præpoſitione *cum.* Vt lib 5. *Profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricaſtinos venit.* Eodemque: *Quid reſtat, niſi ut jam novis copiis veniant.* Lib. 10. *Etruſci contra omnibus copiis aderant.* Lib. 27. *advenit Livius omnibus copiis.* Et hoc libro infra: *quod tanto minoribus ſpe atque opinione omnium copiis veniſſet.* Et hoc libro infra: *Marcellus omnibus copiis urbem ingreſſus.* Statim: *ita tria prætoria circa Capuam erecta, tres & exercitus:* Put. Pet. haud ocioſe, ut puto.

Cap. 23. *Syracuſarum quoque oppugnatio*] Put. duo Petav. duoque Pall. conjunctionem inducunt. Haud longe: *nec fame, quam prope liberi ab Carthagine commeatus alerent.* Duo optimi: *nec fame umquam prope.* Scribe: *nec fame, ut quam prope.* Valet utpote. Inferius: *necati omnes & cruciati ſunt.* Placebit magiſtris ὕστερον πρότερον. Sed ſcripti: *necati omnes concruciati ſunt.* Put. *omnes cum cruciati.* Ergo lege: *necati omnes cum cruciatu ſunt.* Nomen Lacedæmonii, ut vult Sigonius, fac *Damippus.* Nam ita appellat Plutarchus, & omnes libri *Damnippus* aut *Damnippus.* non *Damaſippus.* Mox: *Ætolorum, cujus gentis*

gentis ſocii Lacedæmonii erant. Probiſſimi carent τῷ *gentis.* An, *quibus ſocii*, vel *queis ſocii?* Poſt ſcribendum conjicio: *æſtimandoque ipſe ſecum quid in fronte paterent.* Cæſar 6. de Gall. *Hujus Hercyniæ ſilvæ latitudo novem dierum iter expedito patet.* Lib. 7. *foſſam pedum viginti directis lateribus duxit, ut ejus ſolum tantundem pateret, quantum ſumma labra diſtabant.* Lib. 1. de civil. *ac tantum in latitudinem patebat, ut tres inſtructæ cohortes eum locum implerent.* Lucanus lib. 2. *menſoque, hominis quid fata paterent.* Seneca: *Ætas bene diſponenti multum patet.* Præterea Put. Pet. melior: *ad Marcellum rem* (ſic omnes alii quoque ſcripti) *defert.* *Haud ſpernenda viſa.* Vulgo *refert*, & repetitur τὸ *res* gloſſemate manifeſto. Ibidem: *quo de die epulatis jam vini ſatias principiumque ſomni eſſet*: veriſſima eſt Put. ſcriptura (niſi quod τὸ *de* ibi deficit, neceſſarium tamen) jam producta Salmaſio, & recepta in priorem Elzevirianam, non potuit & nobis non magnopere probari. Lipſium audiemus alibi.

Cap. 24. *paucos tamen eorum comprehenſos in cubilibus*] Put. Petaviani, duo Pall. Men. *impreſſos* vel *inpreſſos*. Videntur velle *oppreſſos*. Sic infra: *tum inter torpidos ſomno paventeſque ad necopinatum tumultum, & inermes in cubilibus oppreſſos illa cædes edatur.* Inferius: *in vaſtæ magnitudinis urbe partium ſenſu non ſatis pertinente in omnia.* Non bonus magiſter Latinitatis eſt ille alioqui magiſter optimus Valla, cum reponit *pertingente*: nec veteres codices habent *pertendente*, ut creditum Glareano, ſed *pertinente*. Et ſic auctor lib. 23. *Hi mores eaque caritas patriæ per omnes ordines velut tenore uno pertinebat.* Lib. 26. *ad plures exemplum quam calamitas pertinebat.* Cæſar lib. 1. Gall. *Belgæ ab extremis Galliæ finibus*

bus

bus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni. Cui frequens id verbum hoc uſu. Salluſtius Iugurt. c. 48. *ex eo medio quaſi collis oriebatur in immenſum pertingens.* Certe poterat ſuſpicari jure Gruterus, *pertingens* eſſe ab commentatoribus, non tamen ut deleretur, ſed ut mulctaretur una litera. Fuerat enim Salluſtii: *in immenſum pertinens.* Prope finem mss. *Syracuſanos, qui intra præſidia Romana, ut ante dictum eſt, fuerant.* Infra: *per domos eorum, qui intra præſidia Romana fuerant.* Neque aliter ſcribendum c. 31. Cicero in epiſt. ad Pompejum: *qui intra præſidia atque arma aliena veniſſent.* Cæſar lib. 7. Gall. *quod intrare intra præſidia periculoſum exiſtimabat.* Statim ante: *priuſquam ſigna Acradinæ admoveret.* Put. & Pet. *Acradinam.* quæ varia lectio notabilis eſt.

Cap. 25. *percommodus ad commeatus excipiendos*] Put. Pet. Men. *percommodeſtus ad.* Significant, quod clare unus è Pal. *percommode ſitus.* Deinde: *inter Neapolim & Tycham nomina partium urbis, & inſtar.* Put. *nomine à partium.* Scribe: *nomina ea partium.* Inferius idem: *inter hac & Philodemus.* Statim, *deducto præſidio*, non *reducto*, libri & poſcit Latinitas. Protenus inde mendum typographicum pervaſit omnes editiones ante noſtram: *Averſis omnibus ad tumulum. Tumultum* & libri & ſenſus dictant.

Cap. 26. *Acradinam inde ternis caſtris*] Meliores *trinis*, ut ante monitum. Mox: *ſpe ad inopiam omnium rerum incluſos redacturum ſe.* Pronomen abigunt Put. & omnes Gall. Vtrum ſubaudire mavis, an legere: *incluſos redactum iri?* Inferius: *non repulit tantum à munimentis.* Præ- vocabulo veniam dant omnes libri Gall. & Pall. Nec longe: *Acceſſit & peſtilentia.* Put. *Acceſſit*

&

& ad peſtilentia. Repone: *Acceſſerat & peſtilentia.* In eadem narratione: *& mors ob omnium oculos eſſet.* Put. Pet. ambo, Men. jubent deleri *omnium*: & cur non pareremus? Iterum: *ut non modo non lacrimis juſtoque comploratu.* Negatio poſterior iiſdem, ut & Sigoniano ac Pall. priſcaque editione exſulat, integro ſenſu. Sic lib. 6. *ut non modo ad tribunatum militum inter patritios petendum, ſed ne ad plebejos quidem magiſtratus capeſſendos ulli animus eſſet.* Lib. 39, 36. *Hoc ego crimen non modo à vobis, Romani, ſed ne apud vos quidem nobis objiciendum fuiſſe arbitror.* Sic vett. nam vulgati adhuc eodem mendo fuere polluti. Statim: *ſimilem quoque mortem exſpectantium.* Gallici omnes non habent *quoque.* Ut neque in eo: *ut ferro potius morerentur, ferro quidam invadebant*: alterutrum *ferro*, poſterius quidem Put. & ambo Petav. prius Men. Et exſulet ſane: nam è Sigoniano non optimo eſt intruſum. Egregia eſt reſtitutio: *Multo tamen vis major peſtis Pœnorum caſtra quam Romana (diu circumſedendo Syracuſas cœlo aquiſque adſuerant magis) adfecerat*: quam ex vett. libris hauſtam alibi defendimus. Poſtea rectius Put. Pet, melior, Pal. unus: *traduxerat in urbem ſuos*, non *adduxerat*.

Cap. 27. *alterum quindecim ab oſtio, & commeatus*] Iure ſuſpectum habent Glareanus & Sigonius. Quod enim illud κατ' ἐξοχὴν oſtium? Put. *abeſteo.* Pet. *ab oſteo.* Statim ante in eadem periodo: *haud in magna oppida*: carent iidem τῷ *in.* Scribe: *Siculi, qui Hippocratis milites fuerant, in haud magna oppida, cæterum & ſitu & munimentis tuta (tria millia alterum ab Syracuſis, alterum quindecim abeſt) eo & commeatus è civitatibus ſuis portabant, & auxilia arceſſebant.* Illud *eo* ſuperfluum videtur: non eſt tamen & propter

uſum

uſum Latinæ linguæ & propter interjecta verba parentheſi incluſa. Plautus Pſeudolo: *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit. Eam circumducam lepide lenonem.* Cato apud Gellium: *ſi ambo pares eſſent, illi unde petitur ei potius credendum eſſe.* Noſter lib. 1. *Qui regno ita potitus, urbem novam conditam vi & armis, jure eam legibuſque ac moribus de integro condere parat.* Eodemque de Lucretia: *cultrum, quem ſub veſte habebat, eum in corde defigit.* Arnobius lib. 5. *partem illam corporis, per quam ſexus fœmineum & ſubolem prodere & nomen ſolet adquirere generi, eam longiore ab incuria liberat.* Vbi male Stewechius & Romani editores, *genericum*; male Behotius, *parte illa corporis*, offenſi repetitione pronominis. Valet igitur *eo* idem quod ea in oppida. Ibidem: *Igitur centum triginta navibus longis & ſeptuaginta onerariis profectus à Carthagine.* Put. ambo Petaviani, Reg Men. *navibus longis, DCC. onerariis*, quod eſt *ſeptingentis*. Certe in ejuſmodi claſſibus poſteriorum numerus plerumque ſolet eſſe major. Apud Polybium lib. 1. Iunius conſul Lilybæum obſidentibus *σιταρχίας παρακομίζων ἔχων ἑκατὸν εἴκοσι σκάφη καὶ τὴν ἀγορὰν σχεδὸν ἐν ὀκτακοσίαις ναυσὶ φορτηγοῖς.* Apud eundem quinto Ptolemæi claſſis Perigeni data habet *καταφράκτους μὲν ναῦς τεσσαράκοντα, φορτηγοὺς δὲ πλείους τῶν τετρακοσίων.* Amilcar divus, quum in Siciliam trajiceret, naves *μακρὰς πλείους τῶν διχιλίων, καὶ χωρὶς πολλὰς ναῦς φορτίδας τὰς κομιζούσας τὴν ἀγορὰν ὑπὲρ τὰς τρισχιλίας* habuiſſe dicitur Diodoro Siculo lib. 11. Quinquaginta longis, quadringentis onerariis in Africam trajecit Scipio, ut conſtat ex noſtri 29: & ducentis onerariis, triginta longis ad eundem contendit Octavius lib. 30. Hic ergo repone

tuto,

tuto, *ſeptingentis*. Inferius: *exercitum ex tota inſula conciri*, iidem, non *ab tota*. Poſtea: *qui onerarias naves retro in Africam repetere juberent*. Put. & Pet. melior delent τὸ *naves*: credimuſque facile illis inſititium eſſe.

Cap. 18. *Quibus ab Epicyde credita res erat*] Put. & Pet. *creditae res erant*. Inferius: *multitudine ad concionem convocata*. Parum intereſt, ſed ne videamur negligentiores Sigonio, quod ille protulit ex ſuo libro, *vocata*, id in omnibus noſtris tantum reperiri atteſtamur. In ipſo fine: *ſi ſimul libertas ab impotentibus tyrannis apparuiſſet*. Et Glareano male tinnit hujus orationis cauda. Put. Pet. ambo, reg. Men. *libertas*. Sed hoc parum juvat. Vnus Pall. *deinde fore, ſimul libertas impotentibus tyrannis aperuiſſet*. Quaſi velit ſubaudiri ex præcedenti membro *occaſionem*. Hoc boni monſtrat, quod inducendum monet τὸ *ſi*. Etenim germanum & integrum eſt: *eam autem qualis illo momento hora ſit, nullam deinde fore, ſimul libertas ab impotentibus tyrannis apparuiſſet*. Vltimum comma explicat, quod ſit illud horæ momentum.

Cap. 29. *Famane credi malis quanta urbs*] Quidquid eſt ſcriptorum; *credi velis*. Nempe τὸ *quam*, quod ſequitur, poſitum eſt pro *magis quam*, quod jam ante apud noſtrum notavimus. Mox Put. *quo quiſque terra quiſque mari venerit*. Alii Gall. *quiſquam*. Statim: *incolumeſque Syracuſas*. Aut nihil aut aliquid ejuſmodi: *Sed ſalvas incolumeſque Syracuſas*: deeſſe notat Sigonius: taxatque Glareanum & alios, qui vitioſum eſſe ſuſpicati ſint dicendi genus, cum ſubaudiatur, *eramus*. Immo jure ſuſpicati ſunt, neque convenit exemplum, quod adfert Sigonus. Tu ſcribe: *tradi*. Ita enim cohæret: *Famane credi velis*, *quan-*

quanta urbs à te capta ſit, quam poſteris quoque eam ſpectaculo eſſe, quo quiſque terra quiſque mari venerit, nunc noſtra de Athenienſibus Carthaginienſibuſque trophaa, nunc tua de nobis oſtendat; incolumeſque Syracuſas familia veſtra ſub clientela nominis Marcellorum tutelaque habendas tradi? Nectuntur *eſſe* & *tradi.* Ibidem: *irati interfecerunt, atque omnia qua in promtu erant, diripuere.* Put. Pet. *interficere,* dein *diripuerunt.* Non diſpliceret: *interficere* & *diripere.* An mavis, *interfecere?* Rurſus: *exſequentibus ſciſcitando mercenariis.* Vox ultima in Putean. Petav. utroque, Men. non reperitur, & commode intelligitur ex præcedentibus. Statim: *aliam ſuam ac transfugarum.* Put. Pett. ambo: *perfugarum.*

Cap. 30. *Quam ſpem eſſe terra marique clauſo*] Sic omnes, ut Lipſii liber, non *ſedem.* Mox Put. & quidquid eſt aliorum, quod quidem vidimus: *qui per eundem illum Hiſpanum ſecretum ab aliis ad Marcellum deductus.* An fuit *ſecretim?* in qua particularum terminatione delicias faciunt antiqui. Deinde: *opportuna loca dividenda prafectis eſſe.* Ignorant omnes noſtri τὸ *loca.* Et cur deeſſe nequeat, ut in aliis infinitis. Sic *plana* urbis, ſic *frequentia*, agmen demitti *in æquum*, caſtra poſita *in plano*, dicuntur. Sunt autem *opportuna*, quæ ad injuriam obnoxia ſunt hoſti, eoque cuſtodiis indigent. Lib. 6. *Romanus cedentem hoſtem effuſe ſequendo, in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit.* Lib. 7. *perculſos pavore rata, ſimul opportuniores, quod intenti cum maxime operi eſſent.* Lib. 8. *alter ſubſiſteret ad prabendam opportunam conſilio urbem.* lib. 24. *prafectumque praſidii haud ſane opportunum inſidiantibus habebat.*. Seneca 1. de ira 11. *cadunt ob nullam rem aliam opportunos quam ob iracundiam.*

diam. Cui eandem vocem reſtituimus ex Mſs. in libro de brevitate vitæ c. 17. *quo altius ſurrexit, opportunius eſt in occaſum.* Vulgo ex gloſſemate: *vergit pronius.* quod uno Pintiani libro debetur.

Cap. 32. *Diripiendaque urbs militi data eſt, cuſtodibuſque*] Neutra copulatio uſpiam conſpicitur in Gallicanis: etiam τὸ *urbs* Put. Pet. utroque Men. reg. abeſt. Quæ tamen vox quum neceſſaria ſit, ſuſpicamur quia loco alio poſita erat, à ſyllabis vicinis hauſtam, & fuiſſe olim: *cuſtodiendamque miſſus: urbs diripienda militi data eſt, cuſtodibus diviſis per domos.* Sic omnino eſt in duobus Pall. Inferius: *triginta millia Celtiberorum ea hieme ad arma excitata.* Plures & antiquiſſimus, *viginti.* Dein. Pet. & Men. *excitati.* Vt lib. 44. *vagi è fuga quinque millia hominum.* Sed quia Put. & Pet. melior: *excitatum*, puto ſcribendum eſſe, *excitorum.*

Cap. 33. *Se ne retinerent*] Put. & Pet. *ſibi retinerent.* Nec aliter tres Pall. Vallam quoque habuit ſollicitum hæc ῥῆσις. Aut enim vult: *quod per tam paucos ibi retinerentur:* aut, *quippe tam paucu ibi retineri.* Campanus: *ſibi ne timerent.* Vnde liquet hos eandem quam diximus ſcripturam in ſuis inveniſſe, quam facile explicamus. Lege: *ſimul ne metus quidem ab Romanis erat, quippe tam paucis, ſi vi retinerent.* hoc eſt, retinere vellent. de quo alibi. Si per vim eos tenere caſtris conarentur Romani, jam ante præceperant animis, nihil eam metuere, quippe qui numero eſſent multo ſuperiores.

Cap. 34. *Maſaniſſa erat juvenis, qui eo tempore*] Put. & Pet. melior pronomen *qui* neſciunt. Inde ſuſpicor & verbum alterum *erat* à mala manu eſſe; ſcribendum vero: *Maſaniſſa erat juvenis,*

eo

eo tempore ſocius Carthaginienſium. Inferius: *dux cautus & prudens Scipio.* Omnes libri ſcripti: *providens.* Cur mutarunt? Seneca lib. 1. de ira 3. *Nulli niſi homini conceſſa providentia eſt, diligentia, cogitatio.* Sic etiam omnes ſcripti, ubi intruſerunt *prudentia.* Sic *providendum & præcavendum* jungit Livius lib. 24. in oratione Fabii. Plinius lib. 9. ep. 13. *Omnia ego ſemper ad Corellium retuli, quem prudentiſſimum ætatis noſtræ ſapientiſſimumque cognovi.* Pall. *pervidentiſſimum* quod verbum neſcio an hactenus cœlo Latino notum, inquit Gruterus. Scribe: *providentiſſimum.* Sic & Tacitus *providentiam ſapientiamque* conjungit. Propius finem: *Fuga confeſtim ex acie duce amiſſo fieri cœpta eſt. cæterum ut ad erumpendum inter Numidas aliaque levium armatorum auxilia haud difficilis res erat.* Præclare optimi: *inter Numidas leviumque armorum auxilia haud difficilis erat.* Nuſpiam τὸ *res.* Scilicet adjectivum *difficilis* referendum eſt ad vocem *fuga* in membro præcecedenti.

Cap. 34. *Non dubia ſpe quum copias conjunxiſſent*] Verba *quum copias* in optimis nullum habent ſui veſtigium: etiam minoris dignitatis libri omnes fere τὸ *copias* ignorant. Adjectum eſt à malis conjectoribus. Debuerant enim dividere voces errore librarii conglutinatas: *non dubia ſpe, quum juncti eſſent, debellari poſſe.* Lib. 23. *ſi Annibali vix per ſe ipſi tolerando Italiæ hoſti, Aſdrubal dux atque Hiſpanienſis exercitus eſſet junctus.* Ibidem: *ſed tamen mœſtum.* Nulli calamo exarati habent *tamen.* Incredibile eſt, quot ejuſmodi fulcra orationis, ut putabant, male conſiſtentis cohærentiſque partim librarii ſemidocti ſequioris ævi, partim primi editores ſtyli Liviani non ſatis gnari paſſim intruſerint. Non bene habet: *Quonam*

nam modo enim Aſdrubalem ac Magonem, niſi defuncto fratre ſuo bello, ſine certamine adducere exercitum potuiſſe? etſi Sigonius ita reponi curarit pro eo, quod ante erat: *niſi defuncto ſuo fratre bello.* Egregie excluſa voce *fratre* Put. & Petav. melior: *niſi defunctos ſuo bello.* nempe Magonem & Aſdrubalem. Lib. 9. *ſummum flagitium fore, ſi alterum exercitum utriuſque victoriæ compotem ſinerent fieri, nec ad ſe ſui belli vindicarent decus.* Dicuntur *defuncti ſuo bello*, qui partem in bello ex voto confecerunt: quod ab illis fieri non poterat, niſi fratre Publio exercituque ejus cæſo & profligato. Statim non ſpernendum ex pluribus: *quomodo autem non obſtitiſſe, aut ab tergo ſequutum fratrem?* deleta altera negativa & diſtinctione mutata. nam à præcedenti ſenſus pendet. de quo genere & dictum in Obſervationibus editis. Inferius notatum Sigonio: *nunc in latera incurſantes:* omnes habent, non *concurſantes*. Et illud frequentiſſimum noſtro.

Cap. 36. *Circumſpectare atq; cogitare dux cœpit*] Mirum eſt non vidiſſe Sigonium, ſcholion hoc eſſe in malo libro τοῦ *agitare:* quod erat in anterioribus editionibus, ſervaturque in Put. & omnibus melioribus noſtris. Ipſæ aures & præcedens particula docere poterant decentius ſequi vocem à vocali quam ab illa conſonante incipientem: quamquam id perpetuum non eſſe ſciamus. Sic lib. 29, 10. *id agitare, quæ ratio tranſportandæ Romam deæ eſſet.* Vbi item ſuppoſuerunt *cogitare*, nonnulli veterem lectionem cum explicatione receperunt: *id cogitare atque agitare.* Vulgare verbum eo ſenſu apud omnes Latinos. Sequitur: *nec ferme quidquam ſatis arduum aut abſciſſum erat, quod hoſti aditum aſcenſumve difficilem præberet.* Put. Pet. melior, Men. *nec futura quidquam.*

Pet. alter: *nec natura quidquam ſatis arduum.* Videtur verum deprehendiſſe: vult enim Livius, nec fuiſſe materiam munitioni, nec locum ita natum, ut quiquam in eo præſidii eſſet non manu facti. In fine: *Cneum tamen magis, quod diutius præfuerat iis.* Optimi, *quo diutius*: recte, nam intelligitur præceſſiſſe *eo.* Vt inferius: *Ibi vero quo longius aberant*, &c. *neglecta magis omnia ac ſoluta invenere.* Lib. 22, 43. *ſimul ut quo longius ab hoſte receſſiſſet, transfugia impeditiora levibus ingeniis eſſent.* Vbi propterea ſprevimus, quod eſt in optimis: *quod longius.* Lib. 26. *& divinatio quædam futuri, quo minus timoris ratio reddi poterat oborti temere, majorem inferens metum.*

Cap. 37. *Prodire ad pugnam ſoliti eſſent*] Sic Aldina & Gallici, quantum memini, præter Put. At vero tres Pall. Andreanaque & ejus ſequaces: *prodire in campum ad pugnam.* Put. *prodire in pœnam.* Poſſes conjicere: *in Pœnum.* Vitioſum haud dubie eſt: *& ipſo minitante & increpante Martio.* Neque enim id erat tempus minarum. Scripti alii, *mulctante*, alii *mulcente.* Put. Pet. & unus ex Pall. *mulcante.* Scribe omnino: *& ipſo inculcante & increpante Martio, quid in muliebres & inutiles ſe projeciſſent fletus potius, quam ad tutandos ſemet ipſos & rempublicam ſecum acuerent animos? &, ne inultos imperatores ſuos jacere ſinerent.* Hoc inculcabat, hoc dicendo frequenter iterabat. Quintilianus lib. 11. inſtit. *Illa tranſcurrimus, congerimus, abundamus, feſtinamus: hæc incitamus, inculcamus, infigimus.* Nec placere poteſt: *diſcurrere ad arma, ac velut accenſi rabie diſcurrunt ad portas.* Forte, *decurrunt*, ut humiliore loco ſitas portas crederemus. Et certe erant humiliores ſemper reſpectu aggeris. Ibidem

Put.

Fu. Petaviani. Men. duo Pall. *aut temerabilis periculoſuſque ſequentium impetus.*

Cap. 38. *Vivunt enim vigentque fama*] Omnes ſcripti: *vivunt vigentque*, omiſſa conjunctione cauſſali: nec putem opus eſſe, ut conjiciamus cum Lipſio, *viventque*. Ibidem: *ut poſtmodum præparati incautos.* Optimi: *poſtmodo.* Inferius: *eo ipſo, quod difficillimum videtur, facillimum erit.* Put. *facilius erat.* Scribe; *facilius erit.* Quod autem ſuſpicatus eſt Lipſius; *in rebus aſperis & tenui ſpe*: clare Put. refert. Quemadmodum etiam: *nequidquam mox amiſſam quæras*: ut monuit ex ſuo Sigonius. Sic noſter lib. 31. *nequidquam poſtea, ſi tum ceſſaſſent, prætermiſſam occaſionem quæſituros.* Dicimur enim *quærere* omne, quod abeſt: ut præter alios notabamus ad illud Manilii: *in ponto quærere pontum*: lib. 2. obſerv. 11. Subjicitur: *nunc aggredientibus par aliqua opportunitas eſt.* Vox penultima deficit in omnibus calamo exaratis, ut indicavit Lipſius, qui elegantius quam verius corrigit: *pares aliqua eſtis.* Romani enim futuri erant illi aggredientes, non hoſtes. Sed alii quidem *par*, Put. Petav. uterque, Men. *per aliqua eſt.* Vnde ſtatim odorati ſumus legendum: *nunc aggredientibus ſpes aliqua eſt.* quod totidem literis exſtare in uno Pal. poſtea cognovi. Neque illud parvi momenti: *Si diem proferimus, & heſternæ eruptionis fama contemni deſierimus.* Hæc enim noſtrorum ſcriptura eſt, non *contenti.* Nempe quia contemnebantur, prior eruptio illis ceſſerat feliciter: durante eo contemtu, negligentem hoſtem iterum poterant cum ſpe fortunæ adoriri. At ſimul emanaſſet fama tam fortis felicisque audaciæ, ceſſante contemtu intentiores futuri erant hoſtes, & copias omnes contracturi. Cæſar lib. 5. *caſtra communit, atque*

hæc, etſi exigua erant per ſe, tamen anguſtiis viarum, quam maxime poteſt, contrahit, eo conſilio, ut in ſummam contemtionem hoſtibus veniat.

Cap. 39. *In hujus ſilvæ medio ferme ſtadio cohors*] Nihil hic opus ſtadia ſilvæ iſtius metiri. Put. & Pet. *ſtatio.* Scribe: *medio ferme ſpatio.* Non longe: *Pars ſemiſopitos hoſtes cædunt.* Put. Pet. uterque Men. Pal. & vetuſta editio: *ſemiſomnos;* duo alii Pall. *ſemiſomnes:* nuſpiam vulgatum. Cicero 7. famil. 1. *ſpectarent communes mimos ſemiſomni.* Sic & lib. 30, 5. *in ipſis cubilibus ſemiſomnos hauſit flamma:* Omnes Gall. & Pall. non *ſemiſomnes.* Statim pro eo: *pars ignis eſcas ſtramenta arida tectis:* recepimus dignam Lipſio emendationem: *pars ignes caſis ſtramento arido tectis:* quod ſuper rationem manifeſtam nullo apice diverſus eam Put. probaret. Sed & Pet. alter: *pars ſignaeſcaſis ſtramento arido.* Parum intereſt, ſed cum optimis maluimus: *ab cohorte & equitibus ex occulto procurrentibus:* quam, *à cohorte,* & *proruentibus.* Statim Put. *raptiva captis propioribus caſtris.* Lege: *raptim à captis.* Denique omnes fere noſtri: *concurſu ex totis caſtris ad primum clamorem & tumultum facto.* non *ex tumultu.*

Cap. 40. *Licentiæque hinc ſacra profanaque omnia vulgo ſpoliandi*] Parvum vitium omnes editiones veteres & recentes deturpat. Scribe: *licentiæque huic.* id eſt, hujus temporis, quo iſta ſcribuntur. Lib. 1. *quam ſummam pecuniæ neque ex unius tum urbis præda ſperandam, & nullius, ne horum quidem magnificentiæ operum, fundamenta non exſuperaturam.* Lib. 6. *Capitolium quoque ſaxo quadrato ſubſtructum eſt, opus vel in hac magnificentia urbis conſpiciendum.* lib. 44. *Mos at tum nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium*

nium generum Circum complendi. Inferius: *ita ſocios ad retinendos in fide animos eorum, ferendumque in tempore cuique auxilium, adiit.* Put. Pet. Men. *ferendoque.* Petav. alter & quidem melior alias: *ferendoſque.* Mediam lectionem veram judico.

Cap. 41. *Ad inſtruentem exercitum decem effuſis*] Put. Pet. tres Pall. omiſſa præpoſitione: *Inſtruente exercitum.* Lego: *Inſtruenti exercitum.* Vt pendeat ab τῷ *nuntiantes.* Ibidem. *Itaque haud magna vis certaminis fuit.* Put. Pet. melior: *Itaque haud magni certaminis fuit.* Recte: nam intelligitur τὸ *res* ex proximo commate: *primus clamor atque impetus rem decrevit.* De qua ellipſi inferius. lib. 26. *nec magni certaminis rem fore.*

AD LIB. XXVI.

CAP. 1. *Q. Fulvio & Appio Claudio priores anni conſulibus*] Auctore Put. & melioribus dele copulam. Eſt ea ratio elegantior collegas nominandi ſine particula interjecta. Iidem, immo fere omnes: *non ab ira, tantum.* Vulgo: *non tam ob iram.* Dupliciter in parva re imperiti fuerunt vulgatæ architecti; primum, quod ex tot Livii locis genus illud loquendi, annotatum Lipſio, non obſervaverunt, dein quod putarunt abſurde τῷ *tantum* reſpondere τὸ *quam* pro *quantum.* Poſteriorem inſcitiam communem habuerunt cum barbara Cruciarii noſtri perſona: cujus noti ſūt tumultus ad illud in Statii epicedio

in patrem: *nec enim mihi ſidera tantum Æquoraque & terras, quam vos debere parenti.* Dolebat enim Aſcalapho primos nos ſanitatem & lucem ei loco dediſſe. Poſt Put. *ut pro conſule in Sicilia reliqua belli perficeret.* Sub finem: *T. Otaſilio & M. Valerio Siciliæ Graciæque ora cum legionibus claſſibuſque, quibus præerant, decreta.* Eſt à Glareano, quamvis ante illum omnes haberent *decretæ*: id quod Putean. etiam & noſtri ſervant ſcripti. Nec mutandum eſt: intelligitur enim *provinciæ.*

Cap. 2. *Vtramque rem eam curæ fore ſenatui.*] Tranſponit voces Put. *eam utramque rem curæ fore.* Sequitur: *ne id ipſum, quod conſultationi reliquerant, pro præjudicato ferrent.* Put. Men. *ferret.* nempe ipſe L. Martius. Vt *præmium ferre.* Ibidem: *multa imperatorem temeritate atque inſcitia.* Pet. Men. Andreana & traduces ejus cum Aldina *imperatoris.* Put. *multo imperatores.* Nimirum ab his verbis initium concionis tribunitiæ procedit, ſcribendumque: *multos imperatores temeritate atque inſcitia exercitum in locum præcipitem perduxiſſe*, dictitans: *neminem, præter Cn. Fulvium, ante corrupiſſe omnibus vitiis legiones ſuas, quam proderet.* Vides vim comparationis. Ibidem de volonibus: *Quum ad Beneventum aliaſque urbes eos velut è faucibus Annibalis receptos reſtituiſſet.* Put. *Cumas Beneventum.* Præclare. Scribe igitur: *hoſtibus terrori eſſent. Cumas, Beneventum aliaſque urbes eos, velut è faucibus Annibalis ereptas, populo Romano reſtituiſſe. Cn. Fulvium Quiritium Romanorum exercitum* &c. Viſe ſuperius lib. 23, 35. Rurſum: *Nec hercule mirum eſſe, milites in acie non ſtetiſſe, quum primus omnium imperator fugeret.* Put. ignorant τὰ *non ſtetiſſe.* Et ſane videntur eſſe fartorum, quum

quum ſignificaret optimus liber: *Nec hercule mirum, ceſſiſſe milites in acie, quum primus.* Similis additio paullo poſt: *quam deſerere circumventos hoſtibus ſuos exercitus.* nam idem ille unicæ auctoritatis liber repudiat τὰ *hoſtibus ſuos.* Et vero quid illis opus?

Cap. 3. *Quid autem ſolum ſe reſtantem prodeſſe reipublicæ potuiſſe?* Optimi: *Qui autem.* Dein vox ultima ignoratur libris Gallicanis omnibus. Certum habeo ſcripſiſſe Livium: *Qui autem ſolum ſe reſtantem prodeſſe reipublicæ, niſi mors ſua remedio publicis cladibus futura eſſet, potuiſſe?* Vides orationem concinnam & rotundam, quum in vulgata nihil ingratius ad aures accidat repetitione verbi *potuiſſe:* Aliquanto poſt: *tribuni plebis appellati. quum collegæ negarent ſe in mora eſſe.* Et hoc à correctoribus non nimis prudentibus: nam Pet. Men. Andreana: *appellati cum lege negarunt.* Put. *tribuni plebis appellati, conlegæ, negarunt, ſe in mora eſſe.* Ita legendum & diſtinguendum. Deinde incipienda periodus nova illic: *Tum Sempronius.* Rurſum Put. *ſi adeſſe in judicio Q. Fulvius frater poſſet.* ubi vulgo præpoſitio deeſt. Denique idem Put. Pet. duo Pall. *poſtquam dies comitiorum.* non *priuſquam.*

Cap. 4. *Inventus eſt tandem quidam Numida*] Dele auctore Put. *tandem quidam.* Deinde Put. *proceſſerunt. & ubi ad conjectum teli.* Vti & : *ſuperior Romana res fuit.* non *acies.* Sed ut dubitem, facit, quod idem liber paullo ante: *pedeſtris inde res.* Vbi vulgati, *acies.*

Cap. 5. *Annibalem in diverſum Tarentinæ*] Prævocabulum rejicit Put. Idem cum Men. pro eo: *& omni graviore armatura:* nobis reddit: *& omni graviore armatu.* De quo fuge dubitare. lib. 37. *inde Neocretes mille & eodem armatu Cares.*

Ibidem: *humor toto fere gravi armatu nihil gladios aut pila hebetabat.* lib. 42. *Achæi juventutis ſuæ Cretico maxime armatu ad mille dederunt.* Non longe: *præſidio inde vi pulſo.* τὸ *inde* Put. & Pall. non habent. Auctior contra neceſſaria particula ibidem Put. *ſed ad alium virorum, equorum armorumque ſonum* &c. *multitudo tantum* &c. *edidit clamorem.* hoc eſt, præter alium ſonum. Idem: *Campanos facile à vallo.* non *in vallo.* Rurſum, ut & Men. unuſque Pall. *utrum in caſtra perrumperet, an includeretur à ſuis.* non *intercluderetur.* Sic lib. 21, 58. *quum jam ſpiritum includeret, nec reciprocare animam ſineret.* Hæc omnium ſcriptorum lectio, & ita legit Iovianus Pontanus ea verba citans in dialogo, qui inſcribitur Actius. Vulgo: *intercluderet.* Similiter lib. 27, 29. *quam circumiere qui ab tergo includerent viam.* Sic etiam fere omnes Mss. pro *intercluderent.* Quæ tamen probare differo. At illius: *invadant ac trucident:* duas poſteriores voces Put. Pet. Men. neſciunt. Mox recipimus emendationem Lipſii: *& quæ dum pavent, Romanis interrupta acies videatur, eam, ſi ſe utrimque in hoſtem vertat, ancipiti pugna medio circumventuram.* cujus partem poſteriorem habent plane Put. & alii codices.

Cap. 6. *Legati pro vallo acriter pugnant.*] Put. *propugnant.* Vere & proprie, ut notatum alibi. Idem: *Altera in parte caſtrorum jam impulſi erant Campani.* Vt *impulſa acies*, quæ retrocedit ac fluctuat. Statim: *quæ ad Vulturnum fert.* Gallicani τὸ *ad* ignorant. Porro: *irrumpentibus Romanis reſiſtebant.* Put. *reſiſtabant.* Forte: *reſtabant*, de quo verbo ſuperius. Deinde: *convertere agmen retro peditum.* Sigoniani libri *retro.* Put. Pall. melioreſque noſtri exeſſe jubent. Iterum: *ad inſequendum fuit: ſed Flaccus receptui.* Put. excludit

τὸ

τὸ ſεd. Ibidem: *Apud alios nequaquam tantam molem pugnæ invenio.* Put. *inveni*: manus ſecunda inter lineas adſcripſerat *R I*, quod exſtat in duobus Pall. Menardi: *invenire.* Præſtat ſequi vetuſtiſſimum. Rurſum: *elephanti per media caſtra vadentes, ſtragem tabernaculorum ingenti ſonitu ac fuga abrumpentium vincula jumentorum facerent.* Liber optimus, *fugam.* Recte: ait enim elephantos ſtragem tabernaculorum & fugam jumentorum feciſſe. Nec quare *pupillus* hic potiſſimum vocetur Seppius Leſſius video. Forte, *pupulo*, vel *puſillo.*

Cap. 7. *Aut alterum ex iis. qui ſi diviſiſſent copias*] Gallic. & Pall. omnes: *ex iis, & ſi diviſiſſent.* Quod eſt ibidem: *Inde naves in flumine Vulturno comprehenſas duci ad id, quod jam ante præſidii cauſſa fecerat, caſtellum juſſit*: tenuit viros doctos, quia, ut ait Sigonius in Mss. erat: *duci gladio quod jam.* Nec aliter Andreana atque Aldina. Illud quidem à Valla eſt, qui & citat: *duci gladio*: adhæretque ei Sigonius. Glareanus *duci Calatiam*, alii *Caſilinum* repoſuerunt. Sed viri οὐ τυχόντες, quibus ego libens adſurgo, nulla vi ingenii vel doctrinæ abſque veteris optimique libri ope ad verum penetrare potuerunt. Sic autem unicus ille Put. *comprehenſas ubi gladio quod.* Hinc divinavimus: *comprehenſas ſubigi ad id, quod jam ante.* Odi profanum. initiatis conjecturam facile probabo. Virgilius 1. Georg. *qui adverſo vix flumine lembum Remigiis ſubigit.* Idem in 6. Æneid. *Ipſe ratem conto ſubigit.* Sic *adigi naves* Tacito 2. annal. *dum adiguntur naves.* Et 2. hiſtor. *Claſſem è Ponto Byzantium adigi juſſit.* Et 3. hiſtor. *lectiſſimas liburnicarum omnemque militem Mutianus Byzantium adegerat.* Denique lib. 4. *ſimul naves in adverſum amnem agebantur.*

Cap. 8. *Ad Capuam liberandam obſidione*] Put. & utique meliores: *ad Capuæ liberandam obſidionem.* Nihil tamen auſus ſum mutare. Quæ ſequuntur, ſic aptanda exiſtimo: *ire Romam cum eo exercitu, qui ad urbem eſſet, Iovem fœderum ruptorum ab Annibale teſtem deoſque alios defenſuros ſeſe.*

Cap. 9. *Romam Fregellanus nuntius diem noctemque*] Put. evidenter. *Fregellanus nuſtius.* Quid dicemus? erraviſſe librarium, an nomen eſſe humilis cujuſdam hominis Italici? Neque pro ſano accipere poſſumus: *tumultuoſius, quam allatum erat, curſus hominum adfingentium vana auditis totam urbem conciverat.* Put. reg. Men. Andreana: *curſu.* Dein Put. Men. duo Pall. cum editione Campani: *totam urbem conciliat.* Vnus Pal. Andreana, *concitat.* Medicina non eſt in promtu. *Crinibus paſſis* eſt Put. & non niſi optimorum. Plures, quidam etiam alias boni, ſed recentiores, *ſparſis.* Vnde de hac varia lectione frequenter etiam in Poëtis aliiſque ſcriptoribus occurrenti, judicium facere licet. Optimi quoque: *decernit ſenatus, ut Q. Fulvio.* non *decrevit.* Omnes etiam: *infra Tuſculum dextrorſus.* Recentiores editi, *dextrorſum.*

Cap. 10. *Ibi de ſumma reipublica conſultatum*] Put. *de ſumma republica.* Sic Cicero lib. 1. ad Atticum: *rogatus ego ſententiam multa dixi de ſumma republica.* Pro Plancio: *ut etiam ſumma reſpublica mihi domi fuerit gerenda, & urbs in urbe ſervanda.* Cælius ad Ciceronem epiſt. 14. *De ſumma republica ſæpe tibi ſcripſi.* Salluſtius ad Cæſarem: *quin accipe tu ea, quæ dicam de ſumma republica.* Sic in omnibus fuiſſe ſcriptis teſtis Carrio. Plautus Mercatore: *Nam ſi iſtuc jus eſt, ſenecta ætate ſcortari ſenes: Vbi loci res ſumma noſtra*

ſtra eſt publica? Noſter lib. 42. *cujus imperio conſilioque ſummam rempublicam tuendam permiſerunt.* Suetonius Iulio: *Marcellus edicto præfatus, de ſumma ſe republica acturum.* Neque ego ignoro, quæ habeat Zinzerlingus cap. 48. Promulſidos. Sed certe nec genus illud loquendi, nec quæ de eo Cujacius 12. obſerv. 32. reprehendenda ſunt. Quid enim dicet ad Virgilii illud: *Quo res ſumma loco, Pantheu?* Sed neque illud corrigendum 1. Catilin. 5. *Non eſt ſæpius in uno homine ſalus ſumma periclitanda reipublicæ.* Nam ſane quam eleganter dictum eſt: *ſumma ſalus reipublicæ*, pro univerſa. Vt lib. 1. ad Attic. *me exiſtimes humanitate prohibitum, ne contra amici ſummam exiſtimationem miſerrimo ejus tempore venirem.* id eſt, ubi univerſa ejus exiſtimatio agebatur, in diſcrimen veniebat. Idem lib. 1. de officiis: *Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo.* id eſt, adeo omne genus intentionis obſervationiſque adhibebatur. Cæſar lib. 1. de Civili bello: *Pompejus enim reſcripſerat, ſeſe rem in ſummum periculum deducturum non eſſe.* Auctor lib. 8. de Gall. *exploratum haberet, ſub tempus æſtivorum nullum ſummum bellum poſſe conflari.* Hoc addam putare me in illa prima locutione ubique dividendum *τὸ reſpublica*, non ponendum una voce, aut ſi cui id diſpliceat, quaſi diviſis accipi. Nam *res ſumma* eſt, in qua cardo cauſſæ vertitur, eaque & privatorum, mea, tua, amici, nempe quod maxime illorum refert, & publica, in qua nempe ſtatus imperii vel civitatis in diſcrimen venit. Cato lib. 7. Orig. *Multa me dehortata ſunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires, ſenectus: verum enimvero, quum tantam rem publicam agier arbitrarer.* Plinius eleganter lib. 18, 28. *In hoc temporis intervallo res ſumma vitium agi-*

tur,

tur, decretorio uvis ſidere illo, quod caniculam appellavimus.

Cap. 11. *Minuere etiam ſpem ejus & alia parvæ magnæque res*] Put. *magnaque*. Scribe, ut erat in regio: *alia parva magnaque res*. Singulas enim mox enarrat.

Cap. 12. *Ita nihil ſalutare in medium conſulebatur.*] Put. *conſtitebatur*. Men. *conſiſtebatur*. Pet. *conſiſtebat*. Reg. *conſtituebatur*. Eaque vera lectio eſt, etſi vulgata phraſeos vulgatiſſimæ. Ibidem: *quum ad Flaccum in caſtra veniſſent, ut inde tempore captato abirent*. Put. *capto*. Virgilius 11. Æneidos: *Telum ex inſidiis cum tandem tempore capto Conjicit*. Lib. 33. *tollere Brachyllam principem fautorum regis ſtatuerunt, & tempore ad eam rem capto, cum in publico epulatus.*

Cap. 13. *Per cruciatum & contumeliam necaverimus*] Put. *necarimus*. Et mox: *caſtra oppugnarimus*. Idem: *nobiſcum ultima pericula ac graviſſimos labores perpeſſi*. Inferius: *quorum ploratus hinc quoque prope exaudiebantur*. Libri meliores exigunt τὸ *prope*, additum ab illis, qui nimiam putabant hyperbolen. Sic & omittunt copulativam paullo ante: *Romam ſe ademturum eis, niſi omitterent Capuam, oſtendit*. non *omiſerunt*. Sic denique & infra Put. *quam hæc tot tam acerba videant*. non *tot & tam*.

Cap. 14. *Hanc orationem viri plures audierunt*] Scrib *Virrii*. Summam auri argentique captivi immaniter augent Put. Regiuſq;: *auri pondo ∞ ∞ ſeptuagta fuit; argenti triginta millia pondo & ∞ ducenta*

Cap. 15. *Fulvii durior ſententia erat*] Put. Reg. *Fulvio*. Mox Put. *in bello forentdadmunicipiorum*. Regius, Men. *forent & ad municipiorum*. Vnde

Vnde ſuſpicor prope eam vocem anterius excidiſſe particulam, ſcribendumque: *num communicaſſent conſilia cum aliquibus* (Put. *aliquis*) *ſociorum Latini nominis & municipiorum: & num ope eorum in bello forent & municipiorum adjuti.* Ibidem Put. & reg. *tribunis militum ac præfectis ſocium.* Præclaram emendationem præſtamus illorum: *literasque à C. Calpurnio populoque Romano Fulvio quum tradidiſſet.* Ita enim legebatur ante Sigonium, ſatis inepte: itaque repoſuit ille: *literaſque à C. Calpurnio prætore Fulvio quum tradidiſſet.* Sed Per. Men. & Florentini aliquot: *à C. Calpurnio populoque Romano Fulvio contradit.* Alius Mediceus: *literaſque à C. Calphurnio prætore Fulvio tradit.* Alius: *à C. Calphurnio populo R. Fulvio eſt cum tradit.* Regius & Pal. *Calphurnio prætore Fulvio contradit.* Ita vitiarunt optimam ſcripturam antiquiſſimi Puteanæi, qui plane: *eques citus ab Roma venit, literaſque à C. Calpurnio prætore Fulvio & S. C. tradit. Murmur à tribunali totam concionem pervaſit, differri rem integram ad Patres de Campanis.* Hæc pro captu ſuo in ſequioris ævi libris corruperunt notarii. Explicatur poſt paucas lineas: *Tum literæ lectæ ſenatuſque conſultum.* Laborant gloſſemate ibidem: *& quum mirabundus, quidnam ſeſe vellet, inquireret reſidens Flaccus.* Nam *τὸ inquireret.* Put. & reg. non habent: ita autem concipiunt verba: *& quum mirabundus, quidnam ſeſe vellet, reſediſſet Flaccus.* Quod omnino Livii eſt, & Sigonius improvide mutavit. Mox quoque libri: *abs te occiſum eſſe.*

Cap. 16. *Ita ad octoginta principes*] Gallicani: *LXX.* Pro illo: *quibuſdam delendam cenſentibus:* in Put. eſt: *ſeſcentibus.* An fuit, *ſciſcentibus.* Neque enim plebis tantum eſt *ſciſcere.* Lib. 1.

Puto

Puro pioque duello quærendas cenſeo itaque conſentio conſciſcoque.

Cap. 17. *Romani proconſules perfuncti*] Vnus Pal. *prætores :* Alter, Put. omneſque Gallicani: *Romani Patres perfuncti.* Ne dubita ſic refingere : nam quod de illis effertur, ſenatus erat, non proconſulum, videlicet : *Claudio Neroni ſex millia peditum & ducentos equites, & ſocium Latini nominis peditum numerum parem & octingentos equites,* in Hiſpaniam portandos, *decernunt.* Correctores deceperunt interpoſita verba ; *perfuncti, quod ad Capuam attinebat, cura.* Quaſi non æque illa cura ad Patres quam ad proconſules pertinuiſſet, aut victa captaque Capua non æque ſenatus quam Appius & Fulvius ea cura eſſent liberati. Ibidem : *Hujus ſaltus fauces Nero occupavit. Aſdrubal ne in arcto res eſſet, caduceatorem miſit, qui promitteret, ſi inde miſſus foret, ſe omnem exercitum ex Hiſpania deportaturum.* Put. Pet. melior, optimus Mediceus, Men. *Hujus ſaltus fauces Nero in arto res eſſet caduceatorem.* Intermedia deſunt, & neſcio quid centonis ſimile habent ab librario paullo doctiore adſuti. Modeſtius alius in regio, ſed æque corrupte : *Nero obſederat. in arto res eſſet.* Fractus omnino videtur locus. Vide an clementius ſit : *Hujus ſaltus fauces Nero quum inſediſſet, caduceatorem miſit.* Nam Pœni nomen ſine ulla obſcuritate intelligitur ex membro præcedenti. Lib. 27. *ſtationes utrimque Romanæ dextra lævaque inſiderant vias.* Ex iiſdem ſcribimus ibidem inferius : *ut ipſa paucitas, cum ad hoſtem ſilentio fallendum aptior, tum ad evadendum* Deinde : *campoſque circa intexit.* non *intexuit.* Illud jam probavimus : *illum diem religioſum Carthaginienſibus ad agendum quidquam rei ſeriæ eſſe.* Lib. 3. *vetat quemquam privatæ quid-*

quidquam rei agere. Vulgo: *feriatum eſſe*. Deſiderius Heraldus ad Arnobium de vitio ſuſpicabatur, eoque vocem, *feriatum*, ut gloſſam τοῦ *religioſum* delebat. Sed libris ſcriptis erat opus. Iidem: *diſpulſa ſole nebula*. non *depulſa*.

Cap. 18. *Quoniam illuc, ubi duo ſummi*] Omnes Gallicani: *quam illud*: & deinde: *deligendum eſſe*, non *deligendus eſſet*. Scilicet pendet infinitiva oratio à verbo *conſtabat*, & integra eſt ſcripta lectio: *nec tamen, quem mitterent ſatis conſtabat, quam illud, ubi duo ſummi imperatores intra dies triginta cecidiſſent, qui in locum duorum ſuccederet extraordinaria cura deligendum eſſe*. Ait non tam certum fuiſſe, cui eam provinciam darent, quam erat certum non vulgari viro non vulgare munus injungendum eſſe. Subauditur *tam*, ut & alibi ab Livio factum. Vel ſi mavis pro *tamen* ſcribe *tam*, quod magnopere tamen opus non judicamus. Plautus Men. *Vt abſente hero rem heri diligenter Tutetur, quam ſi ipſe adſit*. Ibidem: *Quum ſubito P. Cornelius, illius qui in Hiſpania ceciderat filius*. Put. Regiuſque ablegant τὸ *illius*. Suſpicor excidiſſe prænomen: *P. Cornelius Publii, qui in Hiſpania ceciderat filius*: quod, ut adſolet, unica litera notatum erat, eoque facilius omittebatur. Sic idem vulgatis vel editorum vel operarum incuria excidit ſtatim: *omnes non centuriæ modo, ſed etiam homines P. Scipioni imperium eſſe in Hiſpania juſſerunt*. Sic legendum ex Mss. nam recentiores vulgatæ omittunt *Publii*, omnes *in Hiſpaniam* mendoſe habent. Vt & paullo ante: *ut nemo audeat imperium in Hiſpaniam accipere*. Imperium populus Romanus imperatoribus ſuis non dabat in provincias, ſed in exercitus in provinciis.

Cap. 19. *Vt ardorem eum, qui reſederat, excita-*

citaret rurſus innovaretque] Put. & Reg. *novaretque.* Ibidem: *aut velut divinitus mente monita agens.* Scribe cum optimis Gallicanis & Florentinis: *mentem monita.* Statim: *ſive ut imperia conſiliaque velut ſorte oraculi miſſa ſine cunctatione aſſequeretur.* Pall. tres *aſſequerentur.* Put. *eſſequerentur.* An voluit: *exſequerentur?* homines nempe, quibus imperaret aut conſilium daret. Sequitur: *Ad hoc jam inde:* ut ſcripti, non *hæc.* Porro: *& plerumque tempus ſolus in ſecreto ibi tereret.* Put. *& plerumque ſolus in ſecretu ibi tempus tereret.* Alludunt alii qui fere, *ſecretum.* Mox: *Hic mos qui per omnem vitam ſervabatur, ſeu conſulto, ſeu temere, vulgatæ opinioni fidem apud quoſdam fecit.* Pronomen *qui* omnibus ſcriptis exſulat. Dein Put. *ſervabat.* Petav. *ſervabant.* In margine unius Pal. *Hic mos per omnem vitam ſervatus.* Quæ forte vera lectio eſt. Inferius: *decem millia peditum & mille equites adduntur.* Put. & optimi: *decem millia militum & mille equites adduntur.* Novum viſum eſt correctoribus *milites* pro peditibus ſumi. Nunc id per occaſionem jam monuerunt docti, ut multa alia: nobis induſtriæ noſtræ ſpecimina dare ex veteribus ne ſit fraudi, præcipue apud eos, qui recentiorum ſæpe exiguo judicio allegationibus paginas producunt. Plancus ad Ciceronem: *non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur.* Aſinius Pollio ad eundem: *Militem non modo legionarium, ſed ne auxiliarium quidem ullum quoquam miſi; & ſi quos equites decedentes nactus ſum, ſupplicio adfeci.* Lepidus eodem 10. famil. *Itaque ad me complures milites & equites ab eo tranſierunt.* Viſe etiam ad lib. 28. hujus operæ.

Cap. 20. *nihil minus eum vereri, quam ne quis obſtaret*] Optimi libri: *nihil minus quam vereri, ne*-

ne quis. Multo brevius & elegantius. Intellige, nihil minus eum facere quam ut vereretur, vel nihil minus vereri quam hoc. Sic lib. 27. *per aſpreta primum nihil aliud quam via impediti iere.* Facile ſuſpectum habere poterat acre ingenium Lipſii: *eo opportune majorem inferens metum.* Nec tamen ejus medicina ſalubris. Legit in veteri ſuo: *eo oportet timere.* Itaque veriſſimum putat: *eo oborto timore.* Sed tamen *ratio timoris,* ſtatim *oborto timore,* rurſum *inferens metum* cui non diplìceat? Gallicani plures Italicique & Pall. *poterat oportet temere.* Put. & Reg. *oportet emere.* Scribe: *& divinatio quædam futuri, quo minus ratio timoris reddi poterat, oborta temere majorem inferens metum.* Divinatio, ait, futuri temere oborta, civibus ſociiſque metum inferens, eo majorem quo minus ratio ejus reddi poterat. Intelligitur *eo*, ut ſupra annotavimus. Nec tacendum Salmaſii: *quo minus ratio timoris reddi poterat oborti temere, eo majorem.* Inferius: *ut arcis præſidium etiam ſine invecto (quia ibi pauci erant) ex ante præparato ſuſtentari poſſet.* Dele τὸ *ibi* auctoribus omnibus Gallicanis. Sub finem, etſi vulgatam loco movere nolim, poſſet aliquis conjicere: *Tandem majore gratia, quam venerat, claſſis dimiſſa annonam haud multum laxaverat.*

Cap. 21. *argenti æriſque fabrefacta vaſa, & alia ſupellex*] Omnes deficiunt τῷ &. Put. *argenti æriſque fabre facti vis: alia ſupellex.* Etiam regius habet, *fabre facti.* Statim: *Et non minimum fuere ſpectaculum cum coronis aureis præcedentes.* Tres Pall. Andreana & ejus traduces: *Et non minimum fuit ſpectaculum.* Poſt paullo: *quingena jugera:* Put. Reg. non *quingenta.* Ibidem Put. Men. optimus Mediceorum, Barberinus: *Id M. Cornelio mandatum, ut ubi ei videretur, ur-*

bem

bem agrumque eis adſignaret in eodem agro Syracuſano, qui aut regius aut hoſtium populi Romani fuiſſet, & ædes Syracuſis, cujus vellet eorum, in quos belli jure animadverſum eſſet. In eodem agro Belligeni &c. Quæ à vulgatis abſunt, & videntur quidem ex ſuperioribus inculcata, eoque aliis librariis ſpreta fuiſſe: quia tamen in optimis tantum libris reperiebantur, monere de eo volui, ne, ſi cui ſecus videretur, fidem noſtram accuſaret. Ipſa phraſis arguit illud: *Ad eos Murgantinæ deſciverunt terræ: ſequutæ defectionem earum Hybla & Marcella ſunt, & ignobiliores quædam aliæ.* Quid eſt enim *terræ Murgantinæ?* aut ubi ſic Livius? Sed magis arguunt veteres libri. *Pal.* unus ignorat τὸ *terræ*. Duo alii, *Put.* cæterique Gallicani: *Murgeniae terre ſecute:* nullo intermedio. Τὸ *terre* corruptum eſt ex cauda verbi, cujus anteriorem partem, ultima ſyllaba vocis præcedentis abſorpſit, ſive id fuerit *defecere* ſive *deſcivere.* Nam Livius ſcripſerat: *Ad eos Murgantini deſcivere: ſecutæ defectionem eorum Hybla & Macella.* In fine lego ex conſentientibus ſcriptis: *ex ſenatusconſulto attribuit.*

Cap. 22. *prærogativa centuria juniorum*] Cum mss. omnibus & Sigonio legimus: *prærogativa Veturia juniorum:* & mox: *redire in ſuffragium Veturiam juniorum juberet:* iterumque: *ut Veturiam ſeniorum citaret:* denique: *Citatis Veturiæ ſenioribus.* Nec curamus æmulum ejus Robortellum, à quo ſcrupulus injectus editores, alia intentius quam quod agebant agentes, hactenus hic loci conſulere Livio non ſivit. Ad intelligendum autem Sigonium opus non eſt alio quam ipſo Sigonio, ubi rationem comitiorum explicat, lecto. Sed quod indignum eſt, pauci etiam ex illis, qui hæc valde ſcire & naſcentes adhuc didiciſſe videri

ri volunt, eam ſtudiis patientiam præſtant, ut ultra phraſes & formulas ſtatim patentes (has quoque mediocriter) quidquam conſectentur, aut ipſum rerum rituumque antiquorum ordinem cognoſcere laborent. Quos non miror in aliis calumniari Criticen, quam ipſi & didicerunt nunquam & perperam exercent, tanquam ſubſicivum aliquid & ſubitarium faſtidioſe minimaque cum cura tangentes: etenim quam ipſi non niſi in nugis occupant, ſtulto amore atque admiratione ſui non niſi in nugis occupari à quoquam poſſe arbitrantur. Eodem capite: *poſtulet ſibi aliorum capita ac fortunas committi.* Omnes ſcripti poſt τὸ *ſibi* inſerunt vocem *poſt*. Scribe: *poſtulet ſibi potius aliorum capita ac fortunas committi.* Intellige, quam aliis, qui non alienis, ſed ſuis oculis omnia agere poſſunt. In eadem excuſatione Manlii meliores: *Vix dum requieſſe aures à ſtrepitu & tumultu hoſtili.* Amat hanc inflexionem Livius, ut in *ſiſſe*, *deſiſſe*, *decreſſe*. Sic alibi: *proinde quieſſe erit melius.* Lib. 38. *inſita genti tranquillitate quieſſe eos.* Lib. 42. *Quum Romani quieſſent.* Mox etiam omnes: *Neque ego veſtros, inquit, mores.* Ibidem Sigonius recte: *M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita & M. Valerium abſentes conſules dixerunt:* confirmantque conſenſu ſcripti noſtri, quorum antiquiſſimi: *abſentis.* Neque miretur Glareanus: *Eludant nunc antiqua mirantes:* quaſi ſi mirarentur, non eluderent. Immo quia mirantur, id eſt, pro miris & incredibilibus habent, eludunt. Ita autem ſcripti, non *admirantes*. M. Seneca controv. 9. *patres noſtros, quos apud aratra ipſa, mirantes decora ſua, circumſtetere lictores.* id eſt, vix credentes. Livius ipſe in narratione de L. Quintio: *admirans rogitanſque, ſatin ſalva eſſent omnia,*

omnia. Quod adjicio, ne quis imprudentem correctionem viri cætera doctiſſimi ſequatur: *minantes pecora ſua.* Verbum *minare* nec Senecæ nec Feſti ævo receptum erat.

Cap. 23. *quæ in antefixa erant*] Lipſius: *in antefixo erant.* Noſtri: *in antefixi*, aut *in antefixis erant.* idque ſumus ſequuti, & ante nos alii receperunt. Eidem non ſumus obſequuti in illo: *Sacerdotes aliquanti.* Non reprehendo locutionem: ſed Put. *Sacerdotes aliquod eo anno demortui ſunt:* cæteri, quos vidimus *aliquot*, excepto Barberino, in quo erat, *aliquanti.* Alteram quoque mutationem ſignificat Regius exhibendo: *eodem mortui.*

Cap. 24. *ad indictum ante. ad ipſum id concilium*] Noſtri: *ad indictum ante ad id ipſum concilium.* Nec vero carent mendo: *Vbi quum Syracuſas Capuamque captas in fidem in Italiaque rerum ſecundarum ſucceſſum oſtentaſſet.* Præterquam enim, quod *capere in fidem* neſcio quam bene dicatur, *τὸ ſucceſſum* omnibus exſulat ſcriptis. Nec tamen ſcio quid melius, niſi forte: *Vbi quum Syracuſas Capuamque captas, in Hiſpania Italiaque rerum ſecunda Romanis oſtentaſſet.* Nam ex *ſecunda Rom.* factum videri poteſt, *ſecundarum.* Put. autem: *Capuamque captam.* Lib. 27. *multa ſecunda in Italia Siciliaque geſta quaſſatam rempublicam excepiſſe.* Eodemque: *& ferme omnia Romanis ſecunda fuerunt.* Adfecta ſunt ibidem: *& eo redactos eſſe, ut non his modo urbibus.* Quos enim *redactos eſſe?* Omnes libri: *redactum eſſe.* Scribo: *quorum ſe vim ac Spiritus & jam fregiſſe, & eo redacturum eſſe, ut non modo* &c. Se ipſum intelligit, deque ſe promittit Valerius Lævinus. Inferius Put. *Scernilaedus.* non *Scerdiletus.* At omnes: *Vrbium Corcyra tenus*, non *Corcyra.*

Cap. 25. *Illyrios finitimaſque eis urbes alieno metu*

metu quietas] Scribe: *alterno metu.* non *alieno*, qui hic plane alienus. *Alternus metus* eſt Illyriorum à Macedonibus, ut Macedonum ab Illyriis. Sic duo Pall. In Put. erat, *ſaltergo.* Optimi mox: *Oricinorum atque Apolloniatium.* Et, *vaſtatis proximus Illyrici.* non *Illyriis.* Rurſum: *per Pelagoniam & Nymphæum & Boleam in Theſſaliam deſcendit.* Scripti: *per Pelagoniam & Lyncum & Bottiæam.* Non, ut Sigonius, *Bœotiam* aut *Beræam.* Vtriuſque urbis mentio apud Plinium, Stephanum alioſque Geographos. Fœdum eſt illud: *& jam mœnia Oeniadon Naxumque amiſſa cernens.* Put. *Et jammoemadas naſſumque.* Abſque quo eſſet, tamen decuit editores aurem præbere Sigonio, qui rectiſſime: *& jam Oeniadas.* Sera eſt medicina, quam imputat nobis vir doctus: *& jam Oeniada Naxumque.* Nam quod allegat ille: *Oeniada Naxumque Acarnanum captas:* ibi quoque mss. *Oloniadas*, & vere Sigonius atque ante eum Glareanus *Oeniadas* ſcribendum eſſe monuerunt. Et populi & urbs *Oeniadæ.* Diodorus Siculus lib. 8. Αἰτωλοὶ μὲν τοὺς Οἰνιάδας ἐκβεβληκότες ἐκ τῆς πατρίδος. Et mox: Οἰνιάδων παῖδες. Livius lib. 38. *Oeniadæ cum urbe agriſque Acarnanum ſunto.* Quum autem dicat Polybius Ἀκαρνάνων Οἰνιάδας καὶ Νῆσον, non tam miror in Livio primos editores expatraſſe nobis *Naxum*, (nam & *Vlyxem* & *ſextertium* & *Exquilias* fecerunt) quam ita Caſaubonum quoque vertiſſe, nec Sigonium, dum Polybium teſtem advocat, offenſum: præſertim quum libri omnes ſcripti & inprimis Put. *Naſſumque*, utrobique. Reponatur ergo *Naſum:* quam vocem & in Syracuſanorum hiſtoria legimus: nam & ibi *Naſus*, quæ Græcis aliis Νῆσος. Cæterum quemadmodum illic eſt: *Oeniadas Naſum-*

que

que *Acarnanum captas*; ita porro hic reficiendum puto: *& jam Oeniadas Naſumque amiſſas cernens.* Intelligitur enim *urbes.* In tumulo Acarnanum parum refert, ſed Put. & reg. *mortem occubuerunt.* quod ſuſtulit Sigonius. Denique: *ultra Climen eſt progreſſus.* Mss. *ultra Dium.* cujus urbis frequens mentio in hiſtoria belli Perſici.

Cap. 26. *ſuperato Leucate promontorio*] Put. *Leucata promuntorio.* Inferius: *non paſſurum quidquam prius agi, quam Siculi in ſenatum introducantur.* Put. Men. *quam ut Siculi.* Grave mendum ibi: *& exhauſtam dilectibus Italiam & pro republica Cannis exercitus cæſos querebantur.* Quid hic faciunt illæ Cannæ? Pall. Men. Pet. *pro re quod Cannenſis.* Put. *pro re quod annis.* Scribe: *& pro republica quotannis exercitus cæſos querebantur.*

Cap. 27. *quod eo animo in populum Romanum efferſciret*] Quod Sigonius adfert: *alieno animo a populo Romano:* nuſpiam nos invenimus, & manus eſt audaciſſimi corruptoris. Omnes autem Gallicani & optimus Pal. *eo animo erga populum R.* Ibidem nugæ hominum fecerunt: *Veſtæ adem etiam:* vel, *Veſtæ ædem perditam.* Nam ſcripti omnes & olim vulgati: *Veſtæ ædem petitam.* Quod recte habet. Peſſime autem habebant illa: *ſimul Siculis obviam egreſſis Siculiſque Romam præbuit:* jamque à Vallæ ævo doctorum ingenia torſerunt. Habes nunc expeditam lectionem: *ſimul Siculis obviam egreſſis Ætoliſque, Romam præivit.* Cujus alibi rationem reddidimus.

Cap. 29. *converterent, & poſtmodum ſermones*] Put. *converterint, & poſtmodo ſermones.* Quam vocem & ſupra habet lib. 25, 38, infraque lib. 28, 29. Ibidem: *querela per domos primum*

num nobilium circumlatæ. Ita quidem Sigonius, ſed pluribus certe & melioribus, ſi non omnibus noſtris abeſt *τὸ per.* Et abſit ſane: nam multo elegantius, *domos circumlatæ.* Cæſar lib. 1. de civ. *magni domum concurſus ad Afranium, magnæ gratulationes fiebant.* Fruſtra in oratione Marcelli characteribus diſtinxerunt operæ: *deprecari ſenatus prajudicium.* Continuandum eſt cum reliqua oratione, & ne periodum quidem novam facit. Neque intellexit Sigonius, qui ſenſum ejus facit, precari ne permutatio provinciæ ab ſenatu permiſſa ſibi in contumeliam vertat. Immo ait, ſi non repugnet collega, ultro ſe provinciam cum eo commutaturum: ut vero decretum interponatur ſenatus, ut id faciat ſenatusconſulto juſſus, id ſibi grave, idque deprecari. Statim ſcribe: *optionem dari provinciæ.* Et ex optimis: *magis oſtendiſſet quam decreſſet.* non *decreviſſet.*

Cap. 30. *& refracta deum delubra*] Omnes ſcripti: *& refracta ac ſpoliata deum delubra:* quod occupavit Lipſius, & temere ſecuit Rhenanus. Ibidem: *Immo maneant, inquit Marcellus.* Omnibus noſtris abeſt *τὸ immo.* Secus placeret Rhenani: *Maneant immo.* quod indocte tranſpoſuerunt ſequuti editores, ut infra dicemus.

Cap. 31. *in diſquiſitionem venit, quem quidquid in hoſtibus feci, jus belli defendit*] Rhenanus hic integra ſententia auctiorem Livium fecit, quam ego in illius gratiam Livii eſſe mallem quam credere poſſum. Put. antiquiſſimus & omnes Gallicani, Pall. Italici: *venit nam quidquid iſti pati debuerint.* Et ſane illud eſt additamentum temerarii hominis, qui utcumque defectam veterem ſcripturam juvare voluit. Potuit multo clementius debuitque: *Sed non quid ego fecerim, in diſquiſitionem venit, quam quid iſti*

pati

pati debuerint. In priori membro particula *tam* intelligitur, qua omiſſa (& gaudere hac ellipſi Livium ſæpius monuimus) opportunior corruptioni fuit quæ ei reſpondet particula, & incidit tandem in illum Alexandrum, qui audacter adeo nodum ſolvi difficilem ſecare eſt aggreſſus. Ibidem: *Sin autem deſciverunt, legatos noſtros ferro atque armis petierunt.* Non temere eſt, quod Put. & omnes Gallicani: *deſciverunt portas legatos noſtros.* An ea vox gloſſema eſt τῷ *mœnia clauſerunt?* an fuit: *deſciverunt ad Pœnos?* Immo potius: *Sin autem adſciverunt Pœnos, legatos noſtros.* Reviſe lib. 24. Infra: *Ætoli novi adſciti ſocii.* Statim Put. *exercituque Carthaginienſium adverſus nos tutati ſunt.* non *exercitumque.* Certe enim magis Punicis armis adverſus Romanos defenſæ fuerunt Syracuſæ, quam ipſæ Punicum præſidium ſunt tutatæ. Nec longe: *quibus tantam rem crederem.* Omnes Gall. ignorant τὸ *rem.* An *tantum?* Duo Pall. *quibus tanta crederem.* Inferius: *apud Annibalem & Carthaginienſes victoſque juſtius.* Gallicani, Pall. immo omnes: *victos ſe juſtius:* etiam antiqua editio: *victos ſeſe juſtius.* Scribe eleganter: *apud Annibalem & Carthaginienſes, victos ſecum, juſtius quam apud victoris populi Romani ſenatum quererentur.*

Cap. 32. *Ibi quum diu de ſententiis certatum eſſet*] Expunge præpoſitionem. Lib. 27, 13. *Quum diu certatum verbis eſſet.* Ita enim tranſponit Put. voces. Ibidem: *rex Hiero fidiſſimus imperii Romani cultor.* Put. *imperio Romano.* Idem, ſed & alii: *quod ſine jactura reipublicæ fieri poſſet.* non *quoad.* Bene: nam illud hoc ſenſu amant veterum optimi. Cicero in Verr. *Senator populi Romani, quod in vobis fuit, in veſtro oppido jacuit & pernoctavit in publico.* Pro domo:

ſacra Clodia gentis cur intereunt, quod in te fuit? Hinc illuſtrabimus, quod in prima ad familiares Victorio, Manutio, omnibus editoribus difficile viſum eſt: *tibi decernit, ut regem deducas, quod commodo rem facere poſſis.* Sic ad Atticum: *Petitionis hujuſmodi ratio eſt, quod conjectura provideri poſſit.* Sed non id præcipuum eſt, quod impedivit viros doctos. Τὸ *rem* percepit Victorius, non Manutius: τὸ *commodo* Manutius, non Victorius. Neque hoc verbum requirit, ut adjungatur *reipublicæ:* cum ita generatim conceptum comprehendat, ſignificetque & reipublicæ & proconſulis Lentuli & provinciæ ejus & ipſius regis. Ita Cicero in Bruto contrarium *incommodo* ſine appoſitione cujus: *etſi fortaſſe ego à te hujus voluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, ſe incommodo exacturum negat.* Sic igitur ait, ut regem deducas, quatenus id vel eam rem commodo, omnium nempe quorum intereſt, facere poſſis. Tam prægnantis ſententiæ ſunt concepta eodem modo in omnibus vett. bonis libris verba. Sub finem Put. & fere omnes: *& in fidem clientelamque ſe urbemque.* Et, *appellatos dimiſit*, extrito τῷ *eos.*

Cap. 33. *paucos nobilium ſuperſtites eſſe*] Non tacendum in Put. & Reg. legi: *ſuperioreſſe.* Vt & infra c. 35. non hi modo, ſed Gallicani omnes: *ne unde redimantur quidem, quidquam ſuperior eſſe.* vel *ſuperius eſſe.* Ibidem: *mortuus enim poſt captam Claudius conſul erat.* Rectius Sigonius: *Claudius proconſule.* etſi quibuſdam in libris ea vox tota deſit. Sic enim hoc capite: *qui ſe dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani Fulvio proconſule.* Ibidem: *Quum M. Atilium C. Fulvium fratrem Flacci legatos ejus, ac Q. Minutium L. Veturium Philonem, item Claudii legatos.*

gatos. Gallicani ignorant *ejus*, dein *fratres* habent. Scribe: *Quum M. Atilium C. Fulvium fratris Flacci legatos, ac Q. Minutium.* Reſpicit autem τὸ *fratris* ſolum Fulvium, quaſi dictum eſſet, *hunc fratris Flacci.* Hanc notabilem ſermonis brevitatem ſuſtulerunt librarii & correctores, ego unice amplector. Dignus eſt nodus vindice: *Quod ſenatus pars maxima cenſeat, qui adſidetis, id volumus jubemuſque.* Libri omnes: *ſenatus juratus.* Et conſtat gravioribus in rebus ſenatum juratum decreviſſe: ſed commodius putat Lipſius: *ſenatus jurati.* In illo autem, *qui adſidetis,* vir tantus bonam copiam ejurat: quid, inquit, in hac ſolenni formula valeat, qui explicaverit, vir eſto. Tentandum eſt aliquid hac conditione propoſita. Libri omnes: *qui adſidens:* nam illud eſt Sigonii; & poteſt tolerari, ſed & commode fit, *adſederint,* vel *adſidebunt.* Probum vero, *ſenatus juratus.* Nam in formula hac: *ſenatus juratus, maxima pars, qui adſederint:* perpetua eſt appoſitio, & poſterius membrum explicat præcedens. Ut igitur oſtendant per hoc, *ſenatus juratus*, non intelligi præciſe omnes & ſingulos, ſed majorem ſenatorum partem, additur, *maxima pars.* Rurſum poterat fieri, ut in longum res per infrequentiam produceretur, ut per incidentia alia publicæ conſultationis negotia huic rei vacare pars maxima nequiret, & ideo neceſſe eſſet certos nec nimis magno numero hanc procurationem ſubituros ex ampliſſimo ordine deligi. Id ut liceat, neve de eo dubitetur, adjiciunt, ſe habituros hoc pro eo, quod à ſenatu, id eſt, parte maxima ſenatorum, ſit conſtitutum, quod viſum fuerit illis, *qui* ad hanc rem conſultandam *adſederint.* Iſtiuſmodi appoſitionum plenus Livius. Lib. 1. *averſos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in ſpelun-*

ſpeluncam traxit. Lib. 3. *juniores, id maxime quod Cæſonis ſodalium fuit, auxere iras in plebem.* Lib. 21. *cum expeditis, acerrimo quoque viro.* Iam de parte maxima, firmant illa. Lib. 9. *ne quis templum aramve injuſſu ſenatus aut tribunorum plebis partis majoris dedicaret.* Lib. 40. *quantum Q. Petilio prætori majorique parti tribunorum plebis videretur.* Nonnunquam etiam certus numerus requirebatur. Vt lib. 42. *donaria dari, quanta ex pecunia decreſſet ſenatus, quum centum & quinquaginta non minus adeſſent.* Quod hic eſt *adeſſe*, illic eſt *adſidere*. Vt & lib. 1. quod maxime illuſtrat: *Inde ordine alii rogabantur: quandoque pars major eorum, qui aderant, in eam ſententiam ibat.* Ex quo poteſt & τὸ *eorum* intelligi in eo: *maxima pars qui adſederint.* Denique quia de ſenatu jurato apud Ciceronem exempla eſſe ait vir ſummus, addemus unum alterumque ex Livio. Lib. 30. *Patres igitur jurati (ita convenerat) cenſuerunt, uti Coſs. provincias inter ſe compararent.* Lib. 42. *ut juratus ſenatus decerneret, qui eam rem quæreret animadverteretque.* Scribe etiam cum optimis circa hæc ipſa: *Plebes ſic juſſit:* &, *Ex hoc plebeiſcito.* Ibidem Put. & Men. *extra filias, quæ enupſiſſent:* ut Sigonius.

Cap. 35. *Spatium deinde his tribuere ſe dareque ad cogitandum*] Put. *Spatium deinde iis tribui ſe dare ad cogitandum.* Optime, modo literam mutes, faciaſque *tridui*, quod anticipavit Sigonius. Ibidem: *quum multa diſſeruiſſent, cur æqua plebis recuſatio eſſet.* Ita quidem mss. Sed placebat Salmaſio: *curæque plebis recuſatio eſſet.*

Cap. 36. *& ſenatus populo, ſicut honore præſtet*] Put. & Gallicani: *& ſenatum populo ſicut honore præſtent.* Recte: nam τὸ *magiſtratus*, plurativo numero accipiendum, utrumque autem τὸ *magi-*

ſtratus & τὸ *ſenatum* reſpondent orationi infinitivæ, *debere eſſe*. Haud longe: *Itaque ut claſſem habeat, quam ornare volumus, populus Romanus, privatos, ſine recuſatione remiges dare, nobiſmetipſis primum imperemus.* Quis hæc ſana judicet? Sed & mss. vitii ea coarguunt. Alii: *itaque claſſes habeat quas ornare.* Alii: *itaque claſſem hanc quam ornare.* Put. & optimi: *Itaqueclaſſes habeatqueornare volumus P. R. privatos.* Scribe & diſtingue: *Itaque claſſes habere atque ornare volumus populum Romanum? privatos ſine recuſatione remiges dare? Nobiſmetipſis primum imperemus.* De illo ibidem: *ſingulas uncias pondo auri:* dictum fuit in commentario de Seſtertiis. Propius finem optimi libri *accipiundo & referundo.* Denique: *Ita ſine edicto, ſine cohortatione magiſtratus.* Pal. unius: *coertione.* Alter: *coerctione.* Put. Reg. Men. *coercitatione.* An verum eſt *coercitione?* Eſt utique: nam cohortatio facta quidem illa fuerat, ſed profecerat omnino nihil. Et ſic noſter lib. 4. *Conſuli damnum aliamve coercitionem detrectantibus militiam inhibenti.* Suetonius Auguſto: *Coercitionem in hiſtriones magiſtratibus in omni tempore & loco lege vetere permiſſam ademit.* Viſe libros juris.

Cap. 38. *Daſius & Blaſius*] Put. ubique, *Blattius.* In eadem narratione Gallicani & duo Pall. *quia teſtem habere non poſſet, liberius fingentis ita inde.* Put. *fingentiſitiainde.* Repone: *liberius fingenti ſit. Ita inde dimiſſi ſunt.* Lib. 33. *colloquium Annibalis in ſecreto habitum ac liberum fingenti, qua velit flecti.* Sequitur: *nec Blaſius ante abſtitit tam audaci incepto quam idem obtundendo.* Put. *abſtitit tamentaudaci.* Significat: *abſtitit tamen tam audaci.* Vitioſum etiam: *pervicit, ut præſidium Punicum (hi autem Numidæ erant)*

erant) Salapiaque traderetur Marcello. Put. *præſidium Punicum autem Numidæ.* Vt & Reg. & Men. Palatinus unus: *Tunicum id autem.* Nempe excidit numerus aut corruptus eſt: nam ſcriptum fuerat *Ɔ autem*, ſive *quingenti autem Numidæ erant.* Valerius Maximus lib. 3. 8. *Marcelloque Salapiam & quingentos Numidas qui in ea cuſtodiæ cauſſa erant, tradidit.* Nec fugit hoc Sigonium.

Cap. 39. *claſſem viginti navium*] Gallic. & Pall. omnes: *triginta navium.* Ibidem: *ut non miſſilibus tantum, ſed gladiis etiam prope collato pede prœliarentur.* Pet. Reg. Men. duo Pall. *collato pedo quereretur.* Tertius Pal. *gereretur.* Put. *quereretur res.* Scribe: *collato pede gereretur res.* Elegantem mox ἀρχαϊσμὸν obleverunt fucis ſuis corruptores: *ille ſimul atque præceps cum armis procedit ante proram.* Nam Gallicani, Palatini, Italici, quos conſuluimus, omnes, Andreana cum traducibus ſuis & Aldina editiones τῷ *ſimul* deficiuntur. Sic ergo diſtingue: *Hic Quintium ſimul pugnantem hortantemque ſuos incautum haſta transfigit: ille atque præceps cum armis procidit ante proram. Victor Tarentinus in turbatam duce amiſſo navem impigre tranſgreſſus quum ſummoviſſet hoſtes* &c. Poſuit autem ut ſolent τὸ *atque* in re ſubita quaſi pro *continuo* vel *ſtatim.* Plautus Epidico: *Quum ad portum venio, atque ego illam illic video præſtolarier, Et cum ea tibicinæ ibant quatuor.* Bacchidibus: *Dum circumſpecto, atque ego lembum conſpicor.* Virgilius 1. Georg. *ſi brachia forte remiſit, Atque illum præceps prono rapit alveus amni.*

Cap. 40. *duxit legiones, affuit fortuna*] Put. & omnes Gall. *duxit legiones. & adfuit fortuna incepto.* Inferius: *quum pro cujuſque merito conſul*

O 3 *præmia*

præmia pœnaſque exſolviſſet. Put. Regiuſque: *pretia pœnaſque.* Cujus alterum eſt interpretatio. Plautus Captivis: *pro beneficiis ejus uti ei pretium poſſim reddere.* Livius lib. 5. *quum & recte & perperam facto pretium deberetur.* Lib. 30. *ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia ſatis digna pretia ſunt pro tot claſſibus.* Lib. 34. *pretia militiæ caſura in pace ægre ferebant.* Neque inſolens Tacito.

Cap. 41. *eo fato quo donata nobis ſors eſt, ut magnis*] Reg. Pet. Pal. aliquot Florentini: *eo fato* (vel *facto*) *quo damnata.* Put. *ea fato quodam nata.* Scribe: *ea fato quodam datâ nobis ſors eſt.* Sic lib. 31. *data fato etiam quodam Furiæ genti Gallica bella.* Lib. 30. *Si hoc ita fato datum erat.* Lib. 22. *Nobis quoniam prima animi ingeniique negata ſors eſt.* In eadem concione Scipionis: *receptaque provincia in ditione populi Romani eſt:* Put. & Gallic. omnes, non *ditionem.* Intelligendum, receptam per Marcellum cæteroſque provinciam, nunc, dum hæc loquitur, pacatam eſſe in ditione populi Romani. Deinde optimi: *æquentur enim etiam honore nominis:* deleto τῷ *ipſi:* & *labantem fortunam*, non *labentem*.

Cap. 42. *ut eodem tempore Scipio ab terra*] Ab Rhenano eſt hæc lectio. A Puteanæo, regio, meliore Petav. hic deficimur, in quibus nonnulla deerant. Editiones & alter Petav. *ut eodem tempore exercitus oſtenderet, & claſſis portum intraret.* Palatinus: *oſtenderetur.* Aut hoc verum eſt, aut excidit pronomen: *exercitus ſe oſtenderet.* Nam illa, *Scipio ab terra*, ſarcinatricem manum olent. *Exercitum* alibi quoque opponit *claſſi*, ut ille κατ' ἐξοχὴν ſit terreſtris exercitus, illæ copiæ navales. Lib. ſequenti: *Ea externa auxilia quum ſingulis Romanis legionibus adjunxiſſet, duorum*

ſpeciem

ſpeciem exercituum ſervavit : &c. *claſſe quoque ſeptuaginta navium partita, ut omni ambitu litorum præſidio ora maritima eſſent.* Lib. 29. *Ubi omnes legatique & tribuni claſſem eam, exercitum, ducemque verbis extollentes effecerunt.* Lib. 32. *Sine veſtro labore & periculo qui vos in libertatem vindicarent, cum magnis claſſibus exercitibuſque mare trajecerunt.* Eidem Rhenano debetur: *his ab tergo (nam frons natura tuta erat) vallum objectum.* Senſu probo, id quod ex Polybio notum eſt. Cæterum libri noſtri τῷ *frons* carent, deinde habent, ut & Sigonii: *erant, nullum vallum objectum.* Nihil extrico, niſi fortaſſis: *his ab tergo (nam natura tuta erant alia) nullum objectum.*

Cap. 43. *quæ nunc ſub Carthaginienſibus ſunt, in deditionem tradent*] Pet. & Aldina: *in ditionem.* Rectius & ita legit Rhenanus. Ibidem malui ex Put. *hinc rectus in Africam curſus eſt:* (tacite ſpem ſuis militibus facit, in Africam ſe tranſfretaturum) *hæc una inter Pyrenæum & Gades ſtatio: hinc omni Hiſpaniæ imminet Africa.* non, *omnis Hiſpania imminet Africæ.* Vult enim ex hac urbe tanquam ex arce imminere & inſtare toti Hiſpaniæ, cui jugum partim impoſuerat, partim minabatur, Africam.

Cap. 44. *quo clamor, quo ſubita vis advocaſſet, reſiſtentem*] Pet. Reg. Men. *quos ubi avocaſſet reſiſtentem.* Put. *quoſubiavocaſſet reſintentam.* Scribe: *multitudinem aliam, quo clamor, quo ſubita vocaſſet res, intentam ad omnia occurrere jubet.* Quæ lectio integra eſt in uno Pal. niſi quod ibi *avocaſſet.* lib. 28. *Carthaginienſes quamquam feſſos labore ac vulneribus nox imberque ad neceſſariam quietem vocabat.* Ibidem: *multæ ſtationes pavore atque loca deſerta ſunt.* Put. *atque oga deſertae ſunt.* Inde fecerunt vulgatum, quum debuiſſent

mea ſententia : *multa ſtationes pavore atque fuga deſerta ſunt.* Sic noſter lib. 10. *errorque utilis Romanis oblatus fugæ formidiniſque Samnites implevit.* Lib. 28. *ut & oppidani mœnia repentina fuga deſererent.* Lib. 31. *Inde pavor fugaque etiam armatos cepit.* Statim : *Quod ubi verſus Scipio in tumulum, quem Mercurium Teutatem appellant, advertit.* Non ſonat Punicum ille Teutates. Reg. Pet. Pal. *Quod obverſus.* Alter Pal. *Quod ubi erectus.* Pro verbis autem illis : *Mercurium Teutatem appellant* : duo Pall. reg. ſimpliciter : *Mercurium vocant* : Pet. *Mercurium dicunt.* Princeps omnium Put. *Quodobuevceſſus Scipio* : deinde: *Mercurium cantanti* (ſic plane & unus è Pal.) *advertit.* Lege cum Salmaſio : *Quod ubi egreſſus Scipio in tumulum , quem Mercurium vocant, animadvertit.* Inferius : *Cæterum tumultus inde major quam vis videri poterat.* Regius, Petav. duo Pall. *vis haberi poterat.* Put. & Men. *vis hiberi poterat.* Scribe, ut olim monuimus : *quam vis inhiberi poterat.*

Cap. 45. *& vis magna & ingens copia congeſta telorum*] Put. *& ingenti conia.* Men. *& ingenti copia.* Scribe cum regio : *& vis magna, ex ingenti copia congeſta, telorum ſuppeditabat.* Dicit magnam vim telorum jactam è muris, quippe & ingentem copiam antea in ejuſmodi occaſionem fuiſſe congeſtam. Ibidem lege ex ſcriptis : *nunc ubi ea ſiderent, vadis pervagatos ſtagnum.* nam præpoſitionem *per* ignorant. Pedo Albinovanus apud M. Senecam : *jam ſidere limo Navigia.* Mox Put. *eoſeumarmatos.* Scribe : *eo ſecum armatos duxit.* Deniquè : *qui ad tranſitum Romanis mare verterent, & ſigna auferrent.* Quæ ſigna? Alii *ſtagna*, alii *ſtagnum* : ſed optimi : *ſtagno.*

Cap. 46. *At parte in alia quietus & per ſtagnum*

gnum

gnum facilis tranſitus] Equidem dudum illud *quietus* mihi diſplicebat, & magis poſtquam in Put. & regio inveni pro eo, *quingentis:* quæ vetuſtiſſima emendatio eſt. Scipio tribus locis aggreſſus eſt urbem, ab terra ipſe terreſtri cum milite, à mari Lælius claſſe; tertium locum incuſtoditum, quia ſtagno naturaliter muniebatur, miſſos quingentos homines, quum maris æſtus deceſſiſſet, præter exſpectationem invadere juſſit: eaque parte primum urbs eſt capta. Polybius: ὁ δὲ Πόπλιος προσδοκῶν ἤδη τὸν τῆς ἀναπώτεως καιρὸν κατὰ μὲν τὴν λίμνην ἡτοίμασε πεντακοσίους ἄνδρας μετὰ κλιμάκων. Hinc Livius: *At parte in alia quingentis & per ſtagnum facilis tranſitus & in muros aſcenſus inde fuit.* Statim: *ad opem eo ferendam, unde periculum oſtendebatur.* Τὸ *eo* adjectum ab Rhenano non comparet in veteribus libris, & poteſt videri inſertum Borbetomagenſi ab illorum uno, qui ubicumque eſt *quam* nudum, illic adpoſuerunt *tam*, & ubi *quantum*, ibi *tantum*. Quid quum Cato ait: *ſi melior eſt Gellius Turio, potius oportet credi unde petitur:* Quum Terentius: *cauſſam dicere prius unde petebatur:* an adjiciendum eſt *ei* & *eum?* Tamen Put. & reg. *ad opem offerendam.* Nec longe omnes: *non animi ſolum fuere.* Et, *refringi coepta*, non *cœpit*, ut Rhenanus. Vtrovis modo alibi Livius, ſed antiquiſſimos & plures ſequimur. Statim Put *cadendo confectis ac diſtractis, ne iter impediretur, ſcribus.* Vt & reg. Men. duoque Pall. Tertius: *confectis ac diſtrictis.* Petav. *confractis ac diſtractis.* Quod & Sigonianus habuit. Etiam Put. & omnes alii: *partim copiarum ad tumulum expugnandum mittit, partim ipſe ad arcem ducit.* Quum *partem* utrobique vulgo legeretur, alterum idem Rhenanus induxit.

Cap. 47. *Liberorum capitum virilis ſexus ad decem millia*] Put. clare: *virile ſecus*. Regius: *virile ſexus*. Menar. *virilis ſecus*. Non potui contemnere venerandi codicis ſcripturam. Chariſius ex Salluſtio citat *virile ſecus*. Varro citante Gellio lib. 3, 10. *quarta hebdomade, quod ejus* (ſeminis) *virile ſecus futurum eſt, caput & ſpinam, quæ eſt in dorſo, informatur*. Ita lego cum Lipſio, non *fœ tus*. Auſonius: *Iuno, Ceres & Veſta, ſecus muliebre, ſorores*. At perperam apud eundem Scaliger: *Corrumpit totum qui puerile ſecus*. Neque enim ſexus diſtinguit ætates, ut ſit alius puerilis, alius virilis ſexus. Recte vero: *puerile decus*. Livius lib. 8. *mihi legiones peditumque pugna curæ erunt: penes te ſit equeſtre decus*. Invenit tamen vir ſummus, cui errorem ſuum probaret. Ibidem Put. Reg. *tritici quadringenta millia modium*.

Cap. 48. *Laudes gratiaſque egit*] Meliores libri: *laudes grateſque egit*. Vel, *laudeſque & grates egit*. Sic lib. 27. *Diis immortalibus, ut in talire, laudes grateſque ago*. Reſtituimus idem alibi. Omnes quoque libri: *Scipio collaudato Lælio ad concionem advocavit*. Sic lib. 3. *propoſitis decem tabulis populum ad concionem advocaverunt*. Lib. 4. *confeſtim ad concionem advocavit*. Lib. 7. *conſul claſſico ad concionem convocat*. Lib. 8. *Haud multo poſt dictator advenit, claſſicoque extemplo ad concionem advocavit*. Male igitur mutavit Rhenanus. Ibidem Put. Reg. Men. *prout cuique meritum aut virtus erat*. non *cujuſque*.

Cap. 49. *Supra quinque & viginti invenio*] Put. reg. Men. *invenias*. Deinde Put. & Men. *decem tria millia*, pro *tredecim millia*. Mox omnes: *redactæ pecuniæ*: & optimi: *Si aliquis adſentiri neceſſe eſt, media ſimillima veri ſunt*. Vtrũque mutavit Rhenanus, illud tamen majore probabi-

babilitate. Idem Beatus : *exteraſque gentes ſide ac ſocietate junctas habere quam a triſti ſubjectas ſervitio.* Nec reperitur præpoſitio in ullis noſtris, & ſi reperta fuiſſet, expunxiſſemus : eſt enim illud ineptiſſimum atque illatinum. Non vacare particulam probat tamen ille Livii benefactor exemplo illius lib. 27. *Scipio avidior etiam certaminis erat, quum à ſpe, quam ſucceſſus rerum augebat.* Quid ſimile ? hic *A*, ut alibi *Ab* ſignificat cauſſam impellentem. Sic lib. 24. *ardore militum uſus eſt ab ira inter conditiones pacis interfectæ ſtationis.* Sic in principio lib. 26. *non tantum ab ira.* Et paſſim. Nihil tale poteſt hic intelligi: modus explicatur, non cauſſa. Eodem capite omnes Gall. & Pal. *quum Scipio nihil profecto defuturum diceret :* omiſſo pronomine. Statim : *Alia me angit cura.* Miror unde τὸ *angit* provenerit in libro Beati : nam à nobis in Gallicanis, Palatinis Italiciſque fruſtra ea vox quæſita eſt : contra ne unus quidem eſt, qui non habeat deinceps *ſtimulat*, qui quidem alicujus ætatis ſit. Vnus Flor. recentiſſimus : *ſimulac.* Sed ponamus Put. ſcripturam : *aliamcura aetatem harum intuentem* &c. *muliebris cum ſtimulat aetate ac forma* &c. *Indibilis filiaeque nobilitate pari.* Ergo ſcribendum: *Alia me cura ætatem harum intuentem (nam ipſa jam extra periculum injuriæ muliebris ſum) ſtimulat. Ætate ac forma florentes circa erant Indibilis filiæ, aliæque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente colebant.* Hanc veram vexatiſſimi hujus loci lectionem puto, quæ & proxime ad veteris ſcripturæ apices accedit. Complures libros, præter quibus uſi perpetuis ſumus Gallicos & Palatinos, Florentiæ Venetiiſque de his verbis conſuluimus : ſed aut nihil aut ita parum, ut nihil referat, ab illa principis libri conceptione differunt.

Ante

Ante Rhenanum obſita correctorum pannis erant omnia: *Alia mihi cura ætatem harum intuenti* &c. *animum ſtimulat. Stabant ætate & forma florentes circa eam Indibilis filia æque nobilitate pari.* Sic Aldina. Andreana, in cæteris par, *animum ſtimulabant ætate.* Rhenanus ita curavit, ut tamen de ſuo, aut certe de audaculi librarii ſui centone aliquid adſueret. Verbum ſubſtantivum deſiderabatur: id adpoſuerunt, quum lateret in τῷ *eam.* Eſt enim, *circa erant,* idem quod *adſtabant:* & gaudet Livius his præpoſitionibus, *circa, contra*, ſine expreſſo caſu uſurpatis. Sic lib. 3, 13. quod ibi monere ſumus obliti: *Virginius arripi jubet hominem & in vincula duci: patritii vi contra vim reſiſtunt.* Duo Pal. *patritii vi reſiſtunt.* Tertius: *patritii contra vi reſiſtunt.* Quam ſcripturam præ illis duabus germanam eſſe exiſtimo. Sic lib. 9, 2. *ſaltus duo alti anguſti ſilvoſique ſunt, montibus circa perpetuis inter ſe juncti.* Ita enim Mss. ubi vulgo τὸ *ſe* intruſerant. Ex illo autem *filiaeque nobilitate pari:* eduximus nullo coactu: *filiæ, aliæque nobilitate pari:* nempe puellæ. Nam illud *eæque*, quod vult Rhenanus, prorſus ineptū videtur mihi: quis enim dubitaret Indibilis filias æque nobiles fuiſſe? Præterea exigit noſtrum Polybius: καὶ θεωρῶν ὑπὸ τὴν ὄψιν τὴν ἀκμὴν τῶν Ανδοβάλου θυγατέρων καὶ πλειόνων τῶν ἄλλων δυναστῶν. Atque ita Livius lib. 44. *M. Popillius conſularis & alii pari nobilitate adoleſcentes.*

Cap. 50. *Deſponſatam eam principi Celtiberorum adoleſcenti*] Optimi cum Rhenano: *deſponſam.* Plautus Ciſtellaria: *Si illam uxorem mihi duxero unquam, quam deſpondit pater.* Et notum eſt. Statim iidem: *adoleſcenti: Aluccio nomen erat.* non, *cui Allucio.* De quo & alibi & ad primum librum. Ibidem: *quo minus ſit inter nos*

hujus

hujus ſermonis verecundia: Rhenani eſt. Noſtri omnes, ut ante illum: *minor.* Sequitur: *quum ſponſa tua capta à militibus noſtris ad me deducta eſſet.* Mss. *ad me ducta eſſet.* Et ſane quia verbum *deducere* nequiter hac in re fere uſurpabatur, ut notum eſt ex Ciceronis *Tertia deducta*, non putem voluiſſe Livium, ut ambiguo verbo ſanctiſſimus Scipio uteretur. Malim autem: *adducta eſſet.* Poſt orationem Publii: *Quum adoleſcens ſimul pudore gaudioque perfuſus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocaret.* Graviſſimus hic error Rhenani: omnes ſcripti ſervant olim editam lectionem, voce *perculſus* tantum & unica particula mutata: *Adoleſcens ſimul pudore & gaudio perfuſus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocare ad gratiam illi pro ſe referendam.* Vt monuimus ad lib. 6, 27. Ibidem: *pro ſuo animo atque illius erga ſe merito eſſet.* Sane bellum videtur vulgatum, quod idem Rhenanus dedit: noſtri tamen omnes, perinde ut veteres editiones, voce *merito* deſtituuntur. An ergo dicemus illam latere in τοῖς *erga ſe*, & ſcribendum: *pro ſuo animo atque illius merito eſſet?* Mox Put. & cæteri: *haud minorem ejus rei apud ſe gratiam futuram eſſe adfirmantes.* Sed & pro illo: *implevit populares laudibus & meritis Scipionis:* deleta copula idem & Gallicani: *implevit populares laudibus meritis Scipionis.* Lib. 4. *laudibuſque haud immeritis onerarent.* Lib. 7. *conſul claſſico ad concionem convocat, orſuſque meritas Decii laudes.* Etſi duo Pall. illic: *merita Decii laudeſque.* Quod non probo. Eodem libro: *ſimul audientium laudes meritas tollit animos.* Lib. 10. *Subſcripſit orationi ejus Conſul cum meritis P. Decii laudibus:* & eodem libro: *Fabius collegæ funus omni honore laudibuſque meritis celebrat.* In fine: *intra paucos*

dies

dies ad Scipionem rediit. Put. *revertit.* Regius: *revertitur.*

Cap. 51. *Captivis cum Magone & quindecim fere ſenatoribus.*] Omnes noſtri abolent τὸ *cum*, quod Rhenanus addidit. Put. *data quinquereme, captiviſque, Magone & quindecim fere ſenatoribus, qui ſimul cum eo capti erant, in nave ut impoſitis.* Lege: *in navem impoſitis.* ut eſt in uno Pal. cætera recte. Ibidem: *tertio die ſudibus inter ſe in morem juſtæ pugnæ concurrerunt.* Put. Reg. Men. duo Pal. *rudibus.* Optime. Notum ex Suetonio: *Mirmillonem rudibus ſecum batuentem.* Polybius: ξυλίναις ἐσκυλωμέναις μετ᾽ ἐπισφαίρων μαχαίραις. Mox: *quinto die iterum in armis concurſum eſt.* Omnes noſtri, ut & veteres editiones: *decurſum.* Verbum proprium in hac re. Lib. 23. *Ibi quia otioſa ſtativa erant, crebro decurrere milites cogebat.* Lib. 29. *terreſtrem navalemque exercitum non inſtructos modo, ſed hos decurrentes, claſſem in portu ſimulacrum & ipſam edentem navalis pugnæ oſtendit.* Lib. 44. *horum inductio in parte ſimulacrum decurrentis exercitus erat.* Seneca epiſt. 18. *Miles in media pace decurrit ſine ullo hoſte.* Deinde: *Remigio claſſici milites tranquillo in altum evecti, agilitatem navium ſimulacru navalis pugnæ experiebantur.* Præclara emendatio Rhenani: *Remigium claſſicique milites:* ſperni à nobis haudquaquam debuit, quum præſertim ita plane Puteanæus: alii corrupte, ſed ut alludant: *Remigium clauſi civeſque milites,* aut, *Remigium claſſis cives militeſque.* Ovidius in epiſt. Hypſipyles: *Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.* Tacitus lib. 14. Hiſtor. *quod paucas naves in litore remigiumque in iis amiſerat, tanquam durante bello.* Livius ſupra: *circa Crotonem Sybarimque ſuppleverat remigio naves.* Inferius: *His*

inchoatis refectiſque, quos quaſſaverat, muris, diſpoſitiſque præſidiis. Rhenanus: *qua quaſſata erant muri:* nullis noſtris ſecundis. Put. *qua quaſſaverant muris.* Scribe: *refectiſque, qua quaſſi erant, muris.* Nam & lib. 25, 3. idem liber: *in veteres quaſſaſque naves.* Denique gloſſema obſidet illa: *multique etiam ulterioris Hiſpaniæ convenerunt.* Nam Put. & omnes Gall. *ulterioris provinciæ convenerunt.* Aut eo reſpicit Livius, quod Publius Cnæuſque pater & patruus Africani eam provinciam fecerunt, aut utitur phraſi ſuo tempori convenientiore.

AD

LIB. XXVII.

CAP. I. *Præda aliquantum militi fuit conceſſum*] Miror Sigonium potuiſſe probare Rhenani conjecturam, qua nihil abruptius jejuniuſque: *Prædæ aliquantum, uſui militum conceſſa.* Quis ita Livium loquutum credat? immo quis ita loquentem hodie ferat? Nihil melius veterum librorum ſcriptura, modo diſtinctionem addas: *Præda (& aliquantum ejus fuit) militi conceſſa.* Sic plane Rhenani liber, ſic Put. omneſque Gallicani. Flor. Pall. niſi quod quibuſdam non optimis copulativa deeſt. Eo genere compoſitionis infra: *Iis omnibus (& multi erant) ademti equi.* Mox omnes, ut & Rhenani codex: *inde tantum gaudium fuit, quanta clades.* Diſtingue ibidem: *augebat ſpes ea, quid labare iis adverſus Pœnum fidem ſenſerat, poſtquam Salapia amiſſa exceſſiſſe his locis Annibalem in Bruttios auditum eſt. Ab Her-*

Herdonea ea omnia &c. Hæc enim occaſio fuit Herdoneatibus vacillandi, quod Annibal receſſiſſet. Inferius omnes: *quinta legio & ſiniſtra ala acriter pugnam inierunt.* ne credas Rhenano refingenti: *& ſexta alacriter.* Nec longe: *pars caſtra hoſtium, pars terga pugnantium invaderent.* Reg. *terga oppugnantium.* Put. *terga oppidantium.* Scribe: *pars terga trepidantium invaderent.* Secretiore ſignificatu *trepidare*, eſt ſatagere, commovere ſe, negotium capeſſere. Noſter infra hoc libro: *Vigiles velut ad vocem illorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri portam.* Lib. 28. *Mille paſſuum aberant, quum ab hoſte conſpecti ſunt trepidarique repente cœptum.* lib. 34. *Dum trepidant acie inſtruenda, conſul jam paratis ordinatiſque omnibus incompoſitos aggreditur.* lib. 10. *Intermiſſi hoſtibus (quod facile erat in nocturna trepidatione) cognoſcunt infrequentia armatis ſigna egreſſa.* Lib. 23. *dum in ſua quiſque miniſteria diſcurſu trepidat ad prima ſigna, ſucceditque ad muros acies.* Salluſtius Iugurt. 67. *Romani milites improviſo metu, incerti ignarique, quid potiſſimum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi ſigna & ſcuta erant.* Hæc vera lectio eſt: nam quod optimus Gruterus inducit: *trepidare arcem oppidi:* ignoſcat mihi ſi negem illud Latinum eſſe. Ipſe Salluſtius ſupra: *arma capere alii, alii ſe abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis.* Neque accipio aliter, quicquid comminiſcantur viri docti, apud Maronem: *Dum trepidant alæ.* Vbi opportune allegat Servius ex Catone: *ſedere non poteſt in equo trepidante.* Sequitur apud noſtrum: *ipſe Cn. Fulvii ſimilitudinem nominis, quod Cn. Fulvium prætorem biennio ante in iiſdem devicerat locis, increpans.* Put. & omnes Gallici, optimus Pal. *ipſe in Fulvii.* Duo alii Pal. non minus habent

bent præpoſitionem, ſed ſtatim inde paullum ſunt vitiati: alter enim; *ipſe in conſiliis Fulvii*: alter; *ipſe in Cn. Fulvii.* Quod ultimum probarem, niſi me illorum & antiquitas & bonitas permoveret. Phraſis eadem quæ apud Salluſtium ad Cæſarem: *illa, quæ paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque Sullanam increpabantur.* Omnes quoque noſtri: *ubi & ipſe Cn. Fulvius cum undecim tribunis militum cecidit:* quod firmat auctoritate Plutarchi Sigonius. Sub finem meliores: *ſemermes ad Marcellum conſulem in Samnium perfugerunt.*

Cap. 2. *Addit & aliam fidentis ſpeciem*] Noſtri: *Addidit & aliam.* Ibidem; *ab Annibale Hiſpani milites & funditores Baleares, elephanti quoque.* Elegantius Put. Reg. *& funditor Balearis.* Etiam omnes: *Romani ab ſole orto in multum diei ſtetere in acie.* quod mutavit Rhenanus.

Cap. 3. *Ne deeſſet materia in Campanos ſæviendi*]. Perperam Rhenanus, *Capuanos.* Et mox: *centum ſeptuaginta Capuani.* Nam libri omnes *Campanos* & *Campani.* Neq; unquam aliter cives urbis Capuę appellat Liv. Sic lib. 23. *ſenatum populumque Campanum.* non *Capuanum.* Et ibidem Decius Magius: *Habetis libertatem, Campani.* Quin & Capuam vocat noſter *urbem Campanam*, lib. 26. Ibidem non eſt movendum: *res, quæ nunc ſecundæ, nunc adverſæ occupabant cogitationes hominum.* Put. *occultabant*, levi errore. Sed inſanus fuit librarius codicis Lipſiani reponendo: *occultabant*: quod tamen ſummum virum fecit omnia tuta metuere. Lib. 4. *Hæc contentio, quum tantum belli in manibus eſſet, occupaverat cogitationes hominum.*

Cap. 4. *Pateram auream ex quinque pondo factam*] Scribendum: *pateram ex quinque pondo auri factam*: diximus in commentario de Seſtertiis.

tiis contra Rhenanum & Lipſium. Lib. 44. *Pamphylii legati coronam auream ex viginti millibus Philippeum factam in curiam attulerunt.* Statim ſcribe: *Protenus & alios Africæ regulos juſſi adire.* Imperat ſenſus, nam intelligendum legati, & conſentiunt ſcripti. In prodigiis: *Iiſdem fere diebus, Anagniæ terram ante portam ictam.* Putean. Reg. *Anagniæ ternam.* Men. *thermam.* Vide an quid lateat. Deinde Put. reg. Pal. unus: *angues magnitudinis miræ laſcivientium piſcium modo exſultaſſe.* non *more.* quamquam ad ſenſum nihil intereſt. Infrà: *ita pecorum modo incompoſitos toto paſſim campo ſe fudiſſe.* Horatius: *apis Matinæ more modoque.* Sic & Sigonianus.

Cap. 5. *Pace ac bello fideliſſimum annonæ ſubſidium*] Sic neſcio quis ſciolus in noviſſimas editiones retulit, quum ſcripti editique omnes anteriores: *fidiſſimum.* Mox: *honores omnibus ad exſolvendam fidem conſulis habiti.* Sic quidem Rhenanus: ut intelligas, inquit, regulis iſtis habitum honorem à ſenatu, quo liberarent fidem conſulis Valerii, qui fidem illis ſuam obſtrinxerat, futurum ut ſi Romam venirent, honoribus adficerentur. Cui ſententiæ ut non repugo, ita quia codex antiquiſſimus omneſque Gall. & optimus Pall. ſervant prius vulgatam: *ad exſolvendam fidem à Conſule habiti:* cogitandum propono, an non eadē hic reperiatur. Nempe *fides à conſule* idem eſt quod fides conſulis ſeu fides à conſule data, quod verbum intelligitur. Cujuſmodi ſunt apud Plaut. *foris à ſene, quemque à milite, ab illo nuntius:* apud Lucretium, *fulgor ab auro* & ſimilia. Neque enim obſcuritatem debemus interpretari, quod nobis inſolentius videtur, quum delicias veteres ſermonis Latini parum recordamur. Ibidem: *improviſò in agrum Uticenſem excurſionem fecit.* Putean.

eſcen-

eſcenſionem : cæteri *aſcenſionem.* Voluerunt nempe, quod præcepit Lipſius *: exſcenſionem.* Deinde Put. reg. duo Pall. *conſulique Lævino omnia ordine perſcripta, ut ſciret quo in ſtatu res Africæ eſſent :* reciſis quæ recidenda ſuo ex libro monuerat Rhenanus. Ibidem omnes Gallicani duoque Pal. *Hæc recitata à conſule ita movere ſenatum, ut non exſpectanda comitia conſulu cenſerent* (non *cenſeret*) *ſed dictatorem comitiorum habendorum cauſſa dici, & extemplo in provinciam redeundum.* Quæ poſteriora ſine cauſſa mutavit Rhenanus. Non facerem ſuſpectum illud *: quem populus juſſiſſet, dictatorem diceret :* niſi conſenſu omnes Gallicani *: quem populus vidiſſet, diceret dictatorem.* An ſcribendum *judicaſſet?* an potius eſt in antiquiſſimo libro, quem reliqui ſequuti, librarii error? nam mox *: diceretque quem populus juſſiſſet, dictatorem.* Statim ante hæc poſtrema omnes *: deſtitutique Patres literas ad M. Claudium mittendas cenſuerunt.* Quid opus fuit mutare ?

Cap. 6. *Eodemque jure vocatæ reliquæ inclinaſſent*] Abjurant omnes τὸ *reliquæ*, ut & Rhenani ac Sigonii libri. Ibidem ſcribendum *: quum C. Flaminius alter conſul ad Thraſymenum cecidiſſet.* nam aut præponunt literam prænominis indicem (Put. *G.*) aut habent, *quum eo Flaminius.* Etiam conſenſu *: exemplumque eam in rem ſe habere :* contra Rhenanum. Dein Put. *niſi id bono publico fieret, profecto nunquam ſiſſet.* Alludunt alii, *quæſiſſet, ſciſſet*, referendo. Et delectatur ea contractione Livius. Non longe inde *: Declarati conſules Q. Fabius Maximus quintum, Q. Fulvius Flaccus tertium.* Neutrum ex numeralibus cōparet in ullo Gallicanorum, qui tamen utrumque ſervant inferius. Notabilis reſtitutio eſt ibidem*: C. Servilius pontifex factus in locum T. Ota-*

cilii

cilii Craſſi. Poſt hæc verba inſerunt Put. Petav. Reg. *Tiberius Sempronius Tib. F. Longus augur factus in locum T. Otacilii Craſſi.* Et fuiſſe tale quid in Pal. etiam ſuſpicor inde, quod excerptor vitioſiſſimam eorum ſcripturam hic arguit, adeo ut piguerit enotare. Ita enim defungitur interdum, quod ἄλλοις ejus ἐθλοῖς condonabimus. Sunt autem iſta haud dubie Livii verba, quæ intelliges, ſi cogitaveris duo ſacerdotia habuiſſe T. Otacilium Craſſum, pontificatum & augurium: duo etiam accepiſſe Tiberium Sempronium Tib. F. Longum, augurium nempe & decemviratum. Sic libro 29. in fine: *in M. Pomponii Mathonis auguris & decemviri locum creati, decemvir M. Aurelius Cotta, augur Tib. Sempronius Gracchus.* Lib. 30. de Q. Fabio Maximo Cunctatore: *Augur in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus filius: in ejuſdem locum pontifex (nam duo ſacerdotia habebat) Ser. Sulpitius Galba.* Lib. 40. *Exitu anni & C. Servilius Geminus pontifex maximus deceſſit; idem decemvir ſacrorum fuit: pontifex in locum ejus à collegio cooptatus eſt Q. Fulvius Flaccus, creato ante pontifice maximo M. Æmilio Lepido, quum multi clari viri petiſſent; & decemvir ſacrorum Q. Marcius Philippus in ejuſdem locum eſt cooptatus.* In fine Gallicani omnes & duo Pall. *& ludos pro temporis ejus copia magnifici apparatus fecerunt.* Quod male mutatum ivit Rhenanus. Suetonius Iulio: *Ædilis præter comitium ac forum baſilicaſque etiam Capitolium ornavit, porticibus ad tempus exſtructis: in quibus abundante rerum copia pars apparatus exponeretur.*

Cap. 7. *His fere congruentia quæ in literis*] Put. *quaeque in literis.* Statim: *Maxime movit Patres Aſdrubalis tranſitus in Italiam, vix Annibali atque ejus armis obſiſtentem.* Put. omnes Gall. duo Pall.

Pall. Andreana atque Aldina: *ejus armus ſubſiſtentem.* Idem verbum eodem fere ſenſu tamen optimi mutant lib. 22, 60. *non enim modo ſequi recuſarunt bene monentem, ſed ſubſiſtere ac retinere conati ſunt.* Optimi enim: *obſiſtere.* Sed & citra illum ſenſum remotiorem eodem libro c. 12. *modo repente in aliquo flexu viæ, ſi excipere degreſſum in æquum poſſet, occultus ſubſiſtebat.* Pariter Put. Gallicique meliores & tres Pall. *obſiſtebat.* De quibus arbitretur lector. Sed illic *ſubſiſtere* eſt ſuſtinere. Brutus ad Ciceronem lib. 11. famil. 10. *Non ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.* Ut ex Mediceis optimis Victorius. Cæſar lib. 5. de Gall. *prope omnes naves adflictas atque in litore ejectas eſſe; quod neque anchoræ funeſque ſubſiſterent, neque nautæ gubernatoreſque vim tempeſtatis pati poſſent.* Tibullus ad Meſſalam: *Pro te vel ſolus denſis ſubſiſtere turmis.* Ita enim Mss. probantque recte editores. Sed fruſtra advocat hic è noſtro *ſubſiſtere feris:* nam *feras* ubique legitur, & denuo aliud eſt, tactumque in Obſervationibus. Claudianus lib. 2. in Eutropium: *Nec tantis unum ſubſiſtere poſſe periclis.* Continenter ſequitur: *Productus in concionem Lælius eadem diſſeruit.* Plures libri: *ea demum diſſeruit.* Put. clare: *eadem aediſſeruit.* Scribe: *eadem ediſſeruit.* Sic. lib. 5, 4. *quam hoc non utile ſolum, ſed etiam neceſſarium fuerit, poſtea ediſſeram.* Ubi male ſuſtulit Rhenanus. Lib. 34. *ſenatus extra urbem Quintio ad res geſtas ediſſerendas datus eſt.* Lib. 41. *quum agi, non quemadmodum agantur, ediſſeri oportet.* Ibidem omnes noſtri, duo Pall. & editiones veteres: *Quod mihi minus ſimile veri viſum eſt, annum integrum Scipionem nihil gerundo* (Sic optimi) *in Hiſpania conſumſiſſe.* Mutavit Rhenanus ſubjecitque: *Sed mihi.* Illud meis auri-

auribus multo accidit elegantius, qui *τὸ quod* hoc modo *παρέλκον* perſæpe apud noſtrum politoſque alios ſcriptores obſervavi. Lib. 6. *novus hoſtis veteri adjunctus commovit animos militis Romani. Quod ubi aciem jam inſtruenti Camillo centuriones renuntiaverunt, turbatas militum mentes eſſe, ſegniter arma capta* &c. *inſilit in equum.* lib. 29. *quod ubi Scipioni relatum eſt, æſtiva ſub tectis equitem agere, Sint, inquit, vel plures, dum talem ducem habeant.* Varro lib. 1. de re ruſtica 15. *alii ulmos, ut in Cruſtumino : quod ubi id pote, ut ibi.* Salluſtius Iugurt. in oratione Atherbalis: *Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miſerias projectus ſum, eadem ſic ſimulantem videam.* Ita namque ſcribendum : non, *hæc ſimulantem.* Cicero Philippica. 10. *Quod qui ab illo abducit exercitum, & reſpectum pulcherrimum & præſidium firmiſſimum adimit reipublicæ.* Alterum liquet nobis à mala manu eſſe. Valde ſalivam movet, quod è vetere exemplari Rhenanus: *provinciam exercitumque (Arimini erat) acciperet.* Nihil magis Livianum. Ex fine vocis præcedentis, *tumque*, repetita, *qui tum*, videntur. Et particula *jam* pluſculis ſcriptis abeſt. Secundas quoque Rhenano faciunt noſtri in illo : *his quoque eſt enim prorogatum in Sicilia imperium.* Inferius tolle duo gloſſemata : *triginta quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium conſulem mitti juſſa : cætera claſſe placere prædatum in Africam aut ipſum M. Valerium Lævinum trajicere ; aut mittere ſeu L. Cincium ſeu M. Valerium Meſſalam vellet.* Omnes abigunt *τὸ placere*, quod adjectum eſt ab illis, qui non videbant ſenſum pendere à verbo *juſſa :* idque hic intelligendum, quaſi ſcriberetur: *cætera claſſe juſſum eſt aut trajicere aut mittere.* Alterum in fine eſt, nempe verbum *vellet :* quod

Pur.

Put. reg. Men. juſtiſſime expungunt. & quis non videt ſuperfluum eſſe? Extremo hoc capite gemmulam non vulgarem reddidimus auctori: *Ita provinciæ exercituumque in eum locum partita imperia.* Vulgo: *exercituſque.* Sed Put. Men. *exercitumque.* Deinde ſuffecerunt neſcio qui (forte Cælius Curio) *in eum annum:* quum illud habeant Put. Petaviani, Florent. tres Pall. Andreana cum ex ea expreſſis Aldinaque. Ignaros fuiſſe ſcias *locum* bonis auctoribus interdum ſignificare tempus. Plautus Captivis: *Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam ſedulo, Ut potiſſimum, quod in rem recte conducat tuam, Id petam.* Lib. 25. *& quibus artibus ad id locorum noſtri & duces & exercitus capti eſſent, iis adverſus inventorem uſurum.* Eodem libro: *ſed tamen, quia conſules ubi ſumma rerum eſſet, ad id locorum, proſpere rem gererent, minus his cladibus commovebantur.* Iterum eodem libro: *quando ad id locorum id modo actum eſſet, ut Aſdrubalem tendentem in Italiam retinerent.* Salluſtius Iugurtha de Mario: *tamen is ad id locorum talis vir (nam poſtea ambitione præceps datus eſt) conſulatum appetere non audebat.* Item: *neque poſt id locorum Iugurthæ dies aut nox ulla quieta fuit.* Vir doctiſſimus & præclare meritus nuſquam infelicius fuit verſatus, quam in brevitate Salluſtiana intelligenda atque æſtimanda. Quare judicium ejus de verbis ſuperfluis, tanquam humanum aliquid paſſi, attendi non debet. Sic perfrequens illud, *interea loci.*

Cap. 8. *Senatus populo poteſtatem fecit*] Latinius Put. & Gall. *populi.* eam nempe Curionis maximi creandi ſeu e patribus ſeu è plebe. Infetius: *rem intermiſſam per multos annos ob dignitatem flaminum priorum repetivit.* Incivilem vero flaminum dignitatem, ſi labes ei imponebatur venien-

veniendo in ſenatum. Sic tamen omnes editiones, quas in mundo habeo, præter antiquas Andreanas Aldinamque, quæ cum Mſs. Gallicanis: *ob indignitatem.* Nam & infra: *rem in rem inertia flaminum obliteratam.* Mox Put. *datum id cum toga prætexta & ſella curuli & flaminio eſſe.* Nec longe: *ne ipſo quidem contra tendente prætore.* Put. *praetura.* quod vide an Livio attribuere poſſis: neque enim id facies ſine auctore. Ego in eam ſententiam inclino, ut librarii erratum putem. De reliquiis exercitus Fulviani: *fuerunt autem ad tria millia trecenti triginta ſex.* Put. *fuere autem ad ∞ ∞ ∞ ∞. trecenti ſex.* Etiam cæteri: *fuere.* Denique: *Claßis quoque navium ſeptuaginta parata, ut.* Put. *claſſe quoque LXX. partit aut omni.* Scribe & diſtingue: *altero L. Cincium partem inſulæ, qua regnū Hieronis fuerat, tueri juſſit; altero ipſe cæteram inſulam tuebatur, diviſam quondam Romani Punicique imperii finibus; claſſe quoque ſeptuaginta navium partita, ut omni ambitu litorum præſidio oræ maritimæ eſſet.* Ait dimidiam partem claſſis ſibi ſumſiſſe, dimidiam L. Cincio tradidiſſe. Poſſet & illud, *ſeptuaginta navium,* omnino omitti, quum vox altera non exſtet in optimo codice, altera notis ſignata ſit. Non enim, credo, velis explicare: *claſſe quoque ſeptuagenaria partita.* Neque enim ita ſolet Livius.

Cap. 9. *Milites in Siciliam (& erat major pars]* Put. *& erant major pars.* In nominibus coloniarum, quæ gravabantur delectum, Put. *Sutrium Alba Carſeoli Coſueſſa Cereiſetiacates.* Ordinem vult tranſponi: *Sutrium, Alba, Carſeoli, Cora, Sueſſa, Circeji, Setia, Cales.* Ibidem: *Quum alternis hæc conſules diu jactaſſent.* Put. reg Men. *dimaſtaſſent.* Pet. omittit *diu* Sigonii liber: *demonſtraſſent.*

Cap.

Cap. 10. *Quæ ab officio deceſſerint*] Miratur Rhenanus cur hic libuerit caſtigatori ſupponere *deceßiſſent*. Ego miror cur libuerit caſtigatori codicis Borbetomagenſis ſupponere *deceſſerint*, quum Put. omneſque Gall. cum potiore Pal. *quæ ab officio deceßiſſent*. Ibidem: *Permiſſum ab ſenatu iis quum eſſet, agerent facerentque, ut è republica ducerent*. Put. reg. Men. ignorant τὸ *facerent*. An fuit olim: *agerent quæ è republica ducerent*. Mox: *Pro duodeviginti coloniis M. Sextilius Fregellanus reſpondit*. Scribendum *undeviginti*, quia mox tot enumerentur, monuit Cluverius lib. 2. Ital. antiquæ. Poſt paullo Put. & alii: *Patres iis in curia gratia egiſſent, ſequi in ſenatum eos juſſerunt*. Quod tamen Livii vix videtur. Perperam Rhenanus mutat: *quod in ſanctiore ærario ad ultimos caſus ſervabatur*. Sic enim omnes. Sub finem: *cætero auro uſi ſunt ad veſtimenta præſenti pecunia locanda exercitui*. Put. & Gall. expellunt *auro*. Iure, ut puto.

Cap. 11. *Romæ intra cellam*] Quod ſuſpicatur Lipſius, *intus cellam*, perſpicue Put. omnes Gallicani & unus Pal. exhibent: duo alii Pall. *intus in cellam*. Sic Plautus Milite: *Continuo vide, ſitne iſta hæc voſtra intus domum*. Præterea Put. reg. Pal. *volturiumque*, ut idem ex ſuo notaverat. Inferius omnes Gall. *ex auctoritate Patrum latum in plebem eſt, plebeſque ſcivit*. non *ad plebem*. Sequitur: *Senatus lectionem contentio inter cenſores*. Put. Men. *legionem*. Vt lib. 9, 29. codex perantiquus Thuanæus: *ob infamem atque invidioſam ſenatus legionem*. Quod tamen Livio adſignare nondum audeo. Nec longe: *Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanæ civitatis eſſe vel Annibale judice dicturus eſſet*. Scribe cum Put. *victurus*. Horatius: *Deprendi miſerum eſt.*

Fabio vel judice vincam. Plautus Moſtell. *Cape, obſecro hercle te, cum eo una judicem. Tam facile vinces, quam pirum vulpes comeſt.* Cicero pro Cluentio: *vince deinde virum bonum fuiſſe Oppianicum.*

Cap. 12. *Ea urbe ademta hoſti undique pulſo*] Put. & Gall. *hoſti jam undique pulſo.* Mox plures & Pall. *ne remorandi quidem cauſſam in Italia fore.* Ibidem omnes Gall. *ex Sicilia traducta, rapto vivere hominum adſuetorum:* eliſa copulativa. Iidem: *Marcellus conſulis literis excitus,* ut Sigonius. non *excitatus.* Infra: *Fama ejus rei Philippum ab ludis excivit.* Nec non inferius: *Dum alii trepidi cedunt, alii ſegniter ſubeunt:* quod mutavit Rhenanus. Deinde Put. regiuſque: *Cecidere in pugnaque ad duo millia.* Vnde fecerunt: *Cecidereque in pugna fugaque ad duo.* Propius eſt certe: *Cecidere in pugna quaſi ad duo millia & ſeptingentos civium ſociorumque.* Terentius Heautont. *quaſi talenta ad quindecim coëgi.* Sequitur: *in his quatuor Romani centuriones fuere.* Vox ultima defit in omnibus Gall. & Pall. Et ita lib. 22. *Quadraginta quinque millia peditum, duo millia ſeptingenti equites & tanta prope civium ſociorumque pars caſi dicuntur: in his ambo conſulum quaſtores.* Protenus: *duo tribuni militum, M. Licinius & M. Fulvius.* Put. *& M. Helvius.* Alludunt cæteri. Reg. Pal. Men. *Elvius.* Pet. *Elevus.* Pal. alter: *Elivius.* Tertius: *Clivius.*

Cap. 13. *Qui & cum quibus pugnaretis, oblivio animos invaſit*] Omnes Gall. & Pall. *animos cepit.* Statim Put. *nempe iidem ſunt hi hoſtes.* Deinde cum Sigonio Put. reg. *quos levibus prœliis fatigaſtis.* Omnes vero Gall. Florent. Barber. *cujus & ipſius pudere ac pœnitere vos oportet, referam.* Nec credimus Rhenano, non opus eſſe verbo,

bo, *referam*, aut cohærere alioqui, quæ ſequuntur. Iidem conſtanter cum Pall. *Quid hæc nox, quid hæc dies attulit?* non *abſtulit.* Noſter lib. 45. *quum quid veſper ferat, incertum ſit.* Virgilius: *volvenda dies en attulit ultro.* Illud mirabar pridem: *Non adhuc cæſis Romanis legionibus gloriabatur: vos illi hodierno die primum fugati exercitus dediſtis decus?* Quid factum ergo ad Trebiam, ad Thraſymenum, ad Cannas, ut parva taceam? Omnino delenda eſt particula negativa, quod & faciunt Put. melioreſque Gallic. & Pall. duo. Cecidit antehac aliquot locis legiones Romanas Annibal, nunquam fugavit fuditque integras: hoc nunc primum fecit. Porro omnes & Gallic. & Pall. *diſtrictis gladiis diſcinctos deſtitui juſſit.* niſi quod quidam *deſtrictis.* At immaniter Rhenanus: *deſtrinctis gladiis cinctu deſtituit.* Nihil immo mutandum, ne dum tanta licentia. Sed tamen quid *diſtrictis gladiis*, quærit Glareanus: Nempe religatis ad vaginam, ut ſtringi non poſſent, gladiis & cinctu ſoluto in contumeliam ſtatui illos juſſit. Denique Put. & reg. *Inde cibo corpora firmare juſſi, ut ſi longior.* non *juſſit.*

Cap. 14. *Signa inde canere juſſit, & copias educit*] Copulativam adjecit Rhenanus, arcent omnes Gall. & unus Pal. At ſane cum illo Put. reg. Men. Pal. *quanto acrius pavor conſternatam agit, quam inſidentis magiſtri imperio regitur.* Videlicet quæque bellua. Ibidem: *elephanti forte duo in ipſa porta corruerant.* Put. *elephantique duo.* Reg. *elephanti quoque duo.* Omnes vero Gall. & Pall. *Speculatores qui proſequerentur agmen, miſſi*, fruſtra novante Rhenano.

Cap. 15. *In Bruttiis interim Cauloniæ impugnatores.*] Cur diſplicuit novitiis, quod habent Put. & omnes Gall. immo edd. omnes antiquio-

res: *oppugnatores*. Pro *Cauloniæ* Put. *Cautones*. Pet. *cautiores*. Forte fuit: *Caulonis*. Vt & ſupra, quum in eodem Put. ſit cap. 11. *Cantoneam*, fortaſſe ſcribendum *Caulonem*. Nam & ſic vocat Plinius 3, 10. *veſtigia oppidi Caulonis*. Virgilius: *Cauloniſque arces*. Pariter omnes Gall. & duo Pall. *in tumulum à præſenti impetu tutum, ad cætera inopem ſe recepere:* ubi ab unico Rhenani *conceſſere* vulgatur. Sed & melioribus abſunt illa; *ad cætera*, de quo cogitandum. Fortaſſis: *ne opprimerentur, tumulum à præſenti injuria tutum, inopem cætera, cepere*. Ibidē: *quæ quum haud vana cogitatio viſa eſſet, perfuga juſſus Tarentū tranſire*. Eſt ab Rhenano, quum legeretur: *pro transfuga*. Sed Put. *proterfuga*. Debuit ergo ſcribi: *pro perfuga*. Cæſar lib. 3. de bello Gallico: *qui ubi pro perfuga ad eos venit, timorem Romanorum proponit*. Rurſus: *ea quæ acta erant, quæque ut agerentur, convenerant, ad conſulem refert*. Minus ambigue Gallici: *convenerat*. Tale fere vitium in Salluſtii Iugurtha c. 49. *quæ ab imperatore decuerint, omnia ſuis proviſa*. Fulvius Vrſinus *debuerint*. Sed lege: *decuerit*: quum intelligatur provideri vel proviſa. *Convenit ut hæc agantur, decet iſta provideri*, vel *decuit iſta proviſa*, dicimus. Tacitus: *quæ provideri aſtu ducis oportuerit*. Neque illud ſapienter mutavit Rhenanus: *Canere inde tubæ ſimul ab arce ſimul à portu & ab navibus, quæ ab aperto mari adpulſæ erant*. Hæc antiquiſſimi codicis ſcriptura eſt in particulis nonnihil differens ab olim vulgata, eamque optimus quiſque aliorum Mss. ſequitur. At Beatus: *ſimul ab arce & à portu & à navibus*. Quaſi non hic uſus & duplicatio τοῦ *ſimul* noſtro frequentiſſima. Lib. 7. *ſimul audientium laudes meritas tollit animos, ſimul cæteros ad æmulandas virtutes acuit*. Lib. 9. *quan-*

quantis nunquam alias ante ſimul copiis ſimul animis dimicarunt. Iterum : *Igitur Democrates, qui præfectus antea claſsis fuerat, forte illi loco præpoſitus.* Optimi : *illo loco.* Intellige præſidio vel propugnatoribus, qui erant illo loco. Nec bene Rhenanus : *& tranſcenſum in urbem eſt, deinde proxima refracta porta.* Nam Putean. *inde ex proxima.* Reliqui omnes correcto librarii errore : *& tranſcenſum in urbem eſt. inde & proxima refracta porta.*

Cap. 16. *Vacuus paullo poſt equus erranſque per urbem*] Scribe cum omnibus Gall. duobuſque Pall. Florent. quatuor Barberinoque: *vagus paullo poſt equus errans per urbem.* Aſyndeti genus frequentatum noſtro. Lib. 3. *In quos palatos prædam agentes Poſtumius aliquot locis impetum dedit, ii vagi diſsipato agmine fugientes in Quintium victorem cum ſaucio conſule revertentem incidere.* Lib. 7. *multos populatores hoſtium vagos palantes oppreſsit.* Lib. 10. *dimittit equites, qui vagos prædatores in agris palantes excipiant.* Libro hoc 27. *Matronæ in preces verſæ, per omnia delubra vagæ ſuppliciis votiſque fatigare deos.* Similiter hic : *ſine diſcrimine armatos inermes cadunt:* ſcripti, non *inermeſque.* Deinde optimi : *Millia triginta ſervilium capitum dicuntur capti : argenti vis ingens facti ſignatique.* Tum : *ut Syracuſarum ornamenta æquaverint.* Mox : *interroganti ſcribæ, quid fieri de ſignis vellet.* Put. Pal. unus melioreſque alii : *quid fieri ſignis vellet* : omiſſa præpoſitione. Plane ad veterum guſtum. Sic Plautus Moſtellaria : *Quid eo argento eſt factum ?* Milite: *Quid illa faciemus fidicina ?* Cicero: *ſi nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet ?* Quæque multa ὅσοι ἴσως congeſſerunt alii. Ibidem : *Ne tamen fugientis modo convertiſſe agmen videretur,*

quo conſtiterat loco, quinque millia ferme ab urbe poſuit caſtra. Put. reg. Men. *quo conſtituerat loco.* Intellige agmen, & explica ibi modicam quietem cepiſſe, dum properat ad liberandum obſidione Tarentum. Salluſtius Iugurthino c. 49. *dein brevi cognitis inſidiis, paulliſper agmen conſtituit.* Vbi non decuit viros ſane quam doctos Rivium, Ciacconium, Gruterum malle *conſtitit*, itaque edidiſſe Colerum: quum & Mss. ſit illa lectio, & orationis contextus alterum non patiatur. Ecce enim filum perpetuum omiſſis quæ parentheſi interjiciuntur: *primo dubius Metellus, quidnam inſolita facies oſtenderet; dein brevi cognitis inſidiis paulliſper agmen conſtituit.* hoc eſt, ſuſtinet à procedendo imperator ſtare ac morari jubet. Quin & omnia fere verba, quæ ſequũtur ad finem uſque capitis, agentia ſunt, & reſpiciunt vocem *Metellus.* Noſter lib. 38. *conſtituit agmen, & expedire tela animoſque equitibus juſſis* &c. Sic quod Plautus *ſtatuere navem*, nempe omiſſà remigatione, id Cæſar *conſtituere.* Lib. 4. de bello Gall. *quod naves propter magnitudinem, niſi in alto conſtitui non poterant.* Eodemque: *circiter millia paſſuum novem ab eo loco progreſſus, aperto ac plano litore naves conſtituit.* Eſt & *conſtituere* aliter idem quod ſtatuere, nempe ſiſtere alicubi. Livius lib. 9. *Vbi quum conſtituiſſet Romanos, ſemitamque anguſtam & arduam, erectam ex oppido in arcem oſtendiſſet.* Parva ſunt illa ibidem: *impunita iis priora fore:* ſic omnes Gall. & Pall. quum vulgo deſit pronomen: *ſine Fabius quidem dolo invictus fuiſſet.* ſic Put. & Men. ubi editur, *eſſet*; denique: *remiſſi ut cunctantem hortarentur, ac repente comprehenſi.* Putean. reg. Men.

Cap. 17. *Vt niſi audendo aliquid moveret, qua cœpiſ-*

cæpiſſent, ruerent] Quicquid iraſcatur Rhenanus Venetis & Colonienſibus, Put. & omnes Gall. *qua cœpiſſent, fluerent*. Et defendit hoc pro ſuo ipſe Livius lib. 7. *Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiaque ſua quam vi hoſtium victo: eſſe*. Defendit Livio Virgilius: *Ex illo fluere & retro ſublapſa referri Spes Danaum*. Vnde capienda vera vis dicti Plautini Captivis a. 3. ſc. 1. *eſt illic mihi una ſpes cœnatica: Si ea decolabit, redibo huc ad ſenem, ad cœnam aſperam*. Ita ſcribendum, non *decollabit*: quod quum ineptiſſimum ſit, tamen omnes receperunt: alterum, etſi nonnemini in mentem venerit, tamen nemo curavit. *Decollare* eſt de collo deponere apud Cæcilium citante Nonio: hinc petunt Turnebus, Scaliger, Caſaubonus, præclara nomina: eſt deinde cervices præcidere, quod an Plauti ævo ſic uſurpatum ſit, vehementer addubito: hinc Andreas Schottus ad Aurelium Victorem. Et quæ tamen elegantia eſt, ſpem inſtar crumenæ de collo deponi, ſpei cervices præcidi? Quid durius utrovis? Ego vero teneo: *ſi ea decolabit*. hoc eſt, defluxerit, dilabetur. *Decolare*, ut *percolare* eſt per colum tranſmittere: natura ſua ποιητικὸν, ideo intelligit τὸ *ſe*: & *decolare ſe*, vel *decolare* intellecto *ſe* eſt de colo defluere, tranſmitti, deliquere, delinquere, deficere. Quo magis enim liquidum tráſmittitur & decidit, eo magis deficit. Sic Caſina a. 2. ſ. 4. *etiam ſpecula in ſortitu eſt mihi. Si ſors autẽ decolaſsit*. Quod interpretatur ipſe infra eodem actu ſc. 6. *utinam tua quidem iſta in ſortiendo ſors delicuerit*. Hac differentia, quod hic propria, illic tranſlata phraſis, eaque non tam ipſas ſortes quam effectum earum adverſarum & ſperantem deſtituentium explicet. Varro lib. 1. de re ruſtica 2. *Duo inprimis ſpectaſſe videntur Italici*

homines colendo, poſſentne fructus pro impenſa ac labore redire, & utrum ſaluber locus eſſet annon, quorum ſi alterutrum decolat, & nihilominus vult colere, mente eſt captus. Id eſt, deficit, deliquio eſt, non conſtat. Neque aliunde deducendum, quam quod *fluere* dicantur, quæ ſublabuntur, non conſtant, & *fluxa*, quæ facile dilabuntur, quæ ſtatum & certitudinem non habent. Plautus iiſdem Captivis: *cave fidem fluxam geras.* Noſter lib. 28. *fide præfectorum principumque, quæ fluxa & vana apud Oreum fuerat.* Salluſtius: *divitiarum & formæ gloria fluxa & fragilis eſt.* Lucretius: *minui rem quamque videmus, & quaſi longinquo fluere omnia cernimus ævo.* Ovidius: *nihil eſt toto quod perſtet in orbe, Cuncta fluunt.* Noſter lib. 41. *rediit confuſo vultu, & expoſuit patribus conſcriptis, bovis ſeſcenaris, quem immolaviſſet, jecur defluxiſſe.* Quod verbum ſtatim ita explicatur: *vidiſſe cæteram integram extorum partem, jecur omne enarrabiliter abſumptum.* Potuiſſet cum Plauto dicere: *decolaſſe* vel *delicuiſſe.* Ibidem omnes Gall. & Pall. *Cum iis copiis Scipio veris principio.* quæ minuit rurſum Rhenanus. In ſenſu dictorum ab Indibili: *quam glorianti ea velut ad primam occaſionem rapta.* Put. & omnes Gall. *velut primam occaſionem raptam.* Pall. amplius: *eam velut primam occaſionem raptam.* Hoc verum eſt: & eadem elegantia qua ſuperius lib. 23, 28. *ſi Annibali Aſdrubal dux atque Hiſpanienſis exercitus eſſet junctus. Illum Romani finem imperii fore.* ut ibi reſtituimus. Mox: *ſi tamen anceps odium cauſſa, non nomen, faciat.* Non intelligo, etſi nihil varient libri. An tranſponendum: *ſi tamen odium cauſſa, non nomen anceps, faciat?* An mavis *ſi tamen hoc eis odium.* nempe transfugis. Ibidem Put. Pet. *quales ex hac die experiundo cognorit, perinde*

operæ

operæ eorum pretium faceret. Poſtremum habent omnes Gall. eſtque ſublatum à Rhenano. Deinde: *Productæ deinde in conſpectum ejus conjuges liberique.* Put. *in conſpectum is.* Reg. Men. *his.* Pal. *iis.* nempe Mandonio & Indibili. In fine: *iiſdem deinde in caſtris tendebant, donec ducibus iis ad hoſtem perventum eſt.* Omnes ignorant τὸ *in.* Deinde Put. *caſtris tenebant.* Manus ſecunda ſuperius *T* adjecerat. Equidem illud Livii eſſe judico. lib. 28. *læva Celtiberos, novum exercitum ſupra novem millia hominum, dextra Punica tenere caſtra.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 353. *Hinc lævo Telamon pelago tenet.* Ita namque ſcriptus Oxonienſis. Vulgo: *lævum pelagus.* Et diximus aliquid in eandem rem ad lib. 24, 3.

Cap. 18. *Noctu Aſdrubal in tumulum copias recepit*] Put. & omnes Gall. *recipit.* Item: *loci fiducia, non virtutis armorumque*, mutatum Rhenano. Vt & ejuſdem temeritate corruptum eſt. *ad id fore altitudines, quas cepiſſent hoſtes, ut per præcipitia & prærupta ſalientes fugerent.* Sic enim omnes, non *hoſtibus.* Iidem: *Per aſpera primo nihil aliud quam via impediti iere. deinde ut ſub ictum venerunt telorum.* non *aſpreta primum*, non *jactum.* potiertius tamen habent nonnulli recentiores. Denique: *& cum cæde magna in aciem altiori ſuperſtantem.*

Cap. 19. *Romæ intolerandum eſſe*] Iterum omnes Gall. & Pall. nolente Rhenano: *intolerabile eſſe.* Neque ignoro apud Ciceronem 3. de offic. *nihil quod homini accidere poſſit, intolerandum putare:* neque infra in noſtro, *intoleranda libidine:* ſed quæ ſit antiquiſſima lectio agitur. Statim: *vocis uſurpationem abſtinerent*, Put. Item, Pal. unus aliique meliores: *Numidam eſſe, ait, Maſſivam populares vocare.* Alii: *Numidam ſe*

eſſe ait. Nuſpiam *lacrimans*, ab Sigonio inſertum. Statim: *apud maternum avum Galam regem Numidarum eductum*. Put. non *educatum*. Vt & lib. 21. idem codex c. 43. *in pratorio patris clariſsimi imperatoris prope natum, certe eductum*. Mox: *eo die ſe, quo pugnatum cum Romanis eſſet*. Omnes Gall. & duo Pall. deſecant τὸ *ſe*. Et melius abeſſe judicamus.

Cap. 20. *Auctoribus quibuſdam, ut confeſtim Aſdrubalem perſequeretur*] Pet. *proſequeretur*. Melior Pet. Put. reg. Men. *conſequeretur*. Sed abolevit Rhenanus. Inferius: *nec tranſitionis finem antefore*. Conſtanter omnes Gall. Pall. Andreanæ & Aldina: *tranſitionibus*. Ibidem Gall. *ubi belli caput rerumque ſumma*. Nec non, ut & vett. edi. *Hiſpanis repleri militibus*. non *Hiſpaniæ*. Deinde: *Fabio Tarentum captum aſtu magis quam virtute, gloria tamen eſſe*. Men. *captum ingenio magis quam virtute*. quæ Andreanæ Aldinæque eſt & omnium ante Rhenanum. Regius aliique meliores: *captum magis*, omiſſa voce *aſtu*. Put. *captumagis quam*. Scribe: *Fabio Tarentum captum aſtu quam virtute*. Et intellige *magis*. In fine capitis: *Marcellus Romam veniret ad purganda ea, qua inimici objicerent*. Put. reg. Pet. melior, Men. Pal. Campani editio: *qua inimici decernerent*. Non temere eſt, neque auſim improbare. Significat ſententias in ſenatu iniquas, quibus lacerabatur abſens Marcellus. Aſconius in orationem Ciceronis de toga candida, ad illa verba: *Nec ſe jam tum reſpexit, quum graviſsimis veſtris decretis abſens notatus eſt.*] *Catilina ex pratura Africam provinciam obtinuit, quam quum graviter vexaſſet, legati Afri in ſenatu jam tum abſente illo queſti ſunt, multaque graves ſententia in ſenatu de eo dicta ſunt*. Noſter lib. 29. *non Pleminius modo,*

modo, ſed etiam Scipio principum orationibus lacerari. Eſt autem ſententiæ *decernere* etiam ſine effectu. Cicero lib. 1. familiar. 1. *Hortenſii & Luculli & mea ſententia tibi decernit, ut regem reducas.* Noſter lib. 30. *E tribus una de pace legatos ad Scipionem decernebat, altera Annibalem revocabat, tertia reparandum exercitum Syphacemque orandum, ne bello abſiſteret, cenſebat: hac ſententia vicit.* Appulejus Apolog. *Quoniam, ut res eſt, majus piaculum decernis, ſpeculum philoſopho quam Cereris mundum profano videre.* Neque offendat quemquam illa *ἀκυρολογία*: *ad purganda quæ decernerent:* quum non quæ decernerentur, ſed crimina, ob quæ decernerentur, eſſent purganda. Nam ejuſmodi eſt illud Ciceronis 1. ad Attic. 13. *Vereor, ne hoc, quod infectum eſt, ſerpat longius.* Videlicet locus macula inquinatus non ipſe ſerpit, ſed macula vicina corripiendo. Martialis lib. 4. *Quotidianam refice nauſeam nummis.* Neque enim nauſea reficitur, ſed is qui à nauſea curatur. Tale eſt Catulli: *Inuſta tibi turpiter flagella conſcribillent.* Vbi Scaliger: *Inurere notam*, recta Latinitas patitur. Concedam etiam *inurere plagam* & *urere flagris.* At *inurere flagra* ne infimæ quidem vetuſtatis ſcriptores unquam dixerunt. Nos tamen incomparabilem virum falli putamus: immo hoc genus optimis ſcriptoribus uſurpatum ad Statium in Diatribe & Elencho demonſtravimus. Adverſus quæ muſcarium tenens aſinus tantus, ille meus ſtupor, qui nihil videt, nihil audit, nil niſi cudere pergit.

Cap. 21. *Accuſavit tribunus plebis*] Omnes Gall. & Pall. *Accuſavitque.* Et ſic maneat, licet aliter placitum Beato. Prætoris primi cognomen ita concipiunt Pur. Reg. Men. Pal. *P. Licinius Craſſus diverſo pontifex.* Alter Pal. *T. Licinius*

Craſſus

Craſſus Druſo. Tertius controverſum vocabulum omninò omittit. Dubito, an illo jam tempore Craſſus cognomento *Dives* fuerit, ut fuerunt poſtea. Poſſes cogitare *Dorſuo* vel *Dorſo*, quod ab habitu corporis additum nonnullis ſcimus. Quartus ſine cognomine, *Q. Claudius*, omnes Gall. & Pall. tenet, omiſſo τὸ *Flamen*. Sequenti tamen capite etiam libri noſtri: *Q. Claudio Flamini*. Sigonius vult eſſe *Flamininus*, quia flaminem Dialem fuiſſe ſuſpicatur. Sed Quintii non patiuntur ſuum hoc proprium cognomen cum Claudiis communicari. Neque hæc ratio eſt conveniens, quod quis flamen fuerit, ideo dici *Flamininum*. Sed hoc poteſt colligi, qui *Flamen* dictus fuit, eum poſteros relinquere *Flamininos*, ut *Corvus* reliquit *Corvinos*. Retineo igitur cum libris: *Flamini*: etenim ſi *Sacerdotes* quidam proprio nomine dicti, cur non etiam *Flamines?* Andreanæ & Aldina *Flaminium* appellant.

Cap. 22. *Ei quoque enim in annum prorogatum imperium eſt*] Et hic τὰ *in annum* cancellant omnes Gall. & duo Pall. Ibidem: *Supplementum, quo opus eſſent, ut ſcriberent, conſulibus permiſſum*. Put. reg. Men. *ſupplementum, quo opus eſſet, ſcriberent conſules, permiſſum*. Mox Putean. *P. Licinio Varo praetori urbem*. Pet. *urbano*. Item omnes Gall. unus Pal. Andreanæ & Aldina: *naves ſociis navalibus impleret*. Denique Put. reg. Men. duo Pall. *ne qua nova conſilia caperentur*. non *orirentur*.

Cap. 23. *Et ex Campania nuntiata erant*] Sic omnes Gall. & Pal. unus, & Sigonianus. Vulgo deeſt copulativa. Dein optimi: *Cære vulturium volaſſe in æde Iovis*. non *ædem*. Ibidem: *Eo anno peſtilentia gravis incidit in urbem agroſque, quæ tamen magis in longos morbos quam in perniciales evaſit*.

evaſit. Nihil mutant omnes noſtri, niſi quod Put. Pet. Men. & Pal. unus : *in perniciabiles.* Regius *exitiabiles.* Rhenanus : *incidit per urbem agroſque :* &, *magis in longos quam interniciales morbos evaſit.* Curtius lib. 7. *nix plurimorum oculis præcipue perniciabilis fuit.* Alterum habet Lucretius : *nunquam ſine perniciali Diſcidio potis eſt ſejungi.* Mox : *Itaque ipſe primus ita vovit.* Optimi : *Is ipſe primus.* relegato τῷ *Itaque*, longe magis ad meum guſtum.

Cap. 24. *obſides ab Arretinis accipere : cui traderet*] Sic Rhenanus. At noſtri omnes Gall. & Pall. *accipere : & cui traderet.* Ibidem : *inde portas cuſtodire juſſit tribunos militum præfectoſque ſocium & centuriones.* Ab Rhenano eſt hæc lectio, ut conſuleret ſyntaxi : nam *jubeo tibi facere* ſolœcum cenſent omnes docti. Vulgata olim, quam ſervant omnes mss. Gall. & Pall. ab nobis conſulti excepto ſolo antiquiſſimo : *cuſtodire juſſit tribunis militum præfectiſque ſocium & centurionibus.* Videtur etiam ita loqui Curtius lib. 5. *Tandem ſuis rex corporibus & cultu fœminarum abſtinere juſſit.* Credibilius tamen ipſum auctorem voluiſſe *ſuos*, quod & aliis viſum, idque erratum facillimum eſt. Vtcumque autem promiſcue ſcripti retineant *ſuis*, indicium hoc eſt potius ævi, quo librarii eos deſcripſerunt, quam quo ſcripſit ipſe auctor. Neque Livii neque Curtii tempore quiſquam homo politus id auſus. An Iulii Paulli juriſconſulti ? Certe ei attribuitur in l. 26. de adquir. vel omitt. hæredit. *Si ego & ſervus meus vel filius hæres inſtitutus ſit, ſi juſſero filio vel ſervo adire ; ſtatim & ex mea inſtitutione me hæredem eſſe Pomponius ſcribit.* Dubito : mallem tamen, *filium vel ſervum adire.* At potuiſſet eximius Rhenanus mitius quoque curare Livium ſuppoſito,

ſito, *juſſis*, pro *juſſit*, nulla labe vel ſententiæ vel orationis. Sed in antiquiſſimo omnium plane ac perſpicue: *tribuni militum præfectique ſocium & centuriones.* Vnica litera præter hæc ſuperflua eſt, qua inducta habe germanum: *aut ipſos extemplo dare, aut ſe poſtero die ſenatorum omnes liberos ſumturum edixit. inde portas cuſtodire juſſi tribuni militum præfectique ſocium, & centuriones, ne quis nocte urbe exiret.* Ita ſine ſcrupulo refinge: nam contextus Livii corruptus manſit, dum ex duabus variis lectionibus margini adlitis recipitur pejor. In fine capitis ejuſdem: *ſi ne quid movere poſſent, præcaviſſet.* Omnes Gall. & Pal. unus: *ſi ne quid moveri poſſet, caviſſet.* Quod cur ſpernerem, cauſſæ nihil erat.

Cap 25. *alius ſententiis notantibus præfectum*] Optimus Rhenanus multum moliendo nihil emolitur, ſed vitioſo deceptus codice, qui pro *ſententiis* habebat *ſociis*, ut & fuit in uno ex Pall. vitium vitio mutat: *aliis ocii notantibus præfectum.* Præclare vero Sigonius: *alius ſenatuſconſulto notantibus præfectum.* id eſt, notandum cenſentibus. Atque ea ſcriptura partim notis evidentibus partim integra comparet in Put. Pet. meliore, Reg. Men. Pal. uno, Medicæo optimo, Barberino. Quid autem cunctati ſunt editores credere Sigoniano codici in optima lectione, qui mendas ejus omnes pœne adorarunt? Equidem quorum ſtomachus hac obvia vulgatam concoquere, eorum dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt. Cicero lib 7. ad Atticum ep. 9. *aut addita cauſſa, ſi forte tribunus plebis ſenatum impediens aut populum incitans, notatus aut S. C. circumſcriptus aut ſublatus aut expulſus ſit.* Philippica 3. *Si igitur Cæſar hoſtis, cur conſul nihil refert ad ſenatum? ſin ille à ſenatu notandus non fuit, quid poteſt dice-*

re

re &c. In Piſonem: *Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? id, mea ſententia, quod accidere nemini poteſt niſi nocenti: ſuſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens, bonorum odium, nota juſta ſenatus, amiſſio dignitatis.* Adverſus competitores: *nec ſe jam tum reſpexit, quum graviſſimis veſtris decretis abſens notatus eſt.* Familiarium lib. 12. ep. 25. *Factum de te eſt ſenatusconſultum honorificum. Poſtulabatur, ut etiam illi notarentur: ſed Panſa clementior.* Noſter lib. 25. de fraude publicanorum: *Ea fraus indicata M. Æmilio prætori priori anno fuerat, ac per eum ad ſenatum delata, nec tamen ullo ſenatusconſulto notata.* Emporius rhetor in demonſtrativæ materiæ præcepto: *Intendetur & quæſturam cruentam & præturam habuiſſe turbulentam, adeo ut ſenatusconſultis notaretur.* Hoc ſic effert Cicero in orat. de haruſpicum reſponſis: *etiam ſua concio riſit hominem, quomodo ipſa gloriari ſolet, ducentis confixum ſenatusconſultis.* Plinius lib. 2. epiſt 12. *præterea quid publice minus aut congruens aut decorum, quam notatum à ſenatu in ſenatu ſedere? ipſiſque illis, à quibus ſit notatus, æquari?* Sequitur eodem capite locus, in quo labentem Rhenanum, non alios, ſed Sigonium tacitum tuliſſe miror: *mediis ad cenſores, non ad ſenatum, notationem de eo pertinere dicentibus.* Antiqua lectio *notionem*. Arbitror ſcribendum: *cognitionem*. Hoc enim magis placeret quam *notationem*. Sic infeliciter Beatus. Et obliti erant poſteriores *notionem* Cenſoribus æque fuiſſe ac notas, immo ante illas. Cicero de provinciis conſularibus: *cenſorium judicium ac notionem & illud morum ſeveriſſimum magiſterium non eſſe nefariis legibus de civitate ſublatum.* Sequente in Piſonem: *Centum prope annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus: quadringentos*

judicium

judicium notionemque cenſoriam. Pro Sextio: *ut cenſoria notio & graviſſimum judicium ſanctiſſimi magiſtratus de republica tolleretur.* Pro Cluentio: *ad notiones auctoritatemque cenſoriam exemplum illos à conſuetudine militari transtuliſſe.* Lib. 3. de officiis. *indicant notiones animadverſioneſque cenſorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant.* Quorum pleriſque in locis *notationem* & *notationes* habent corrupti codices: ſed illud recte à viris doctis ſubſtitutum exiſtimo & ſimul obſervandam prudentiam principis oratorum. Quia enim & *noſcere* & *notare* eſt cenſorum, promtiſſimaque confuſio horum vocabulorum, *notio* & *notatio*, vitandæ ambiguitatis cauſſa, etſi *notas* Cenſorum & *notatos* ab cenſoribus crebro diceret, tamen quum rem explicare vellet, verbo abſtinuit, & potius *ſubſcriptionem cenſoriam ſubſcriptioneſque* quam *notationeſque* dixit. Vt inprimis patet ex illa pro Cluentio. At ubi dubiæ lectionis periculum nullum eſt, non refugit eodem uti, in eadem oratione: *etenim paucis poſtea menſibus alia vehemens erat in judiciis ex notatione tabularum invidia verſata.* Quod autem *cognitionem* maluit Rhenanus quam *notionem*, næ ille in libris juris parum fuit verſatus. Vnum addam Vlpianum in l. 5. D. de re judicata: *Ait prætor: cujus de ea re jurisdictio eſt. Melius ſcripſiſſet: cujus de ea re notio eſt. etenim notionis nomen etiam ad eos pertineret, qui jurisdictionem non habent, ſed habent de quavis alia cauſſa notionem.* Aliud eſt *cognitio*, neque ad cenſores pertinet. Quam probavimus lectionem, habent Put. reg. Men. Pal. Pet. melior, quatuor Flor. Barberinus. Statim optimi: *neque enim recipiundum fuiſſe.* Ibidem ab Rhenano eſt, cui unus ſolum Pal. & recentior Pet. ſubſcribunt: *unam cellam*

lam amplius quam uni deo rite dedicari. Sed Put. Reg. Men. duo Pall. perinde ut vett. edd. *unam cellam duobus recte dedicari.* Nec longe debetur ſoli Put. *quia magnam famam attuliſſe Fabio Tarentum rebatur.* nempe Criſpinus ipſe. non *ferebatur.* Sub finem: *Ibi conſules ambo ingenio feroces prope quotidie milites in aciem excire:* non eſt ſanum tum ob ipſam phraſin, tum quod meliores ſcripti longe aliter. Put. *quotidie in acieheare.* omiſſo *τῶ milites*, quod nec ulli alii paullo vetuſtiores agnoſcunt. Regius: *cotidie in acta re.* Men. *cottidie mactecare.* Nihil venit propius ſub acumen ſtili, quam, *quotidie in acie ſtare.*

Cap. 26. *ſub tumulo Petelliæ equitum duo, peditum tria millia in occulto*] Pet. *Petelliæ* ∞ ∞ ∞ *equitum peditum vis in occulto.* Τὸ *duo* in edita nec habet regius; *τὸ vis*, loco τῦ *tria*, in ſcripta lectione cæteri omnes Gall. quibus uſi ſumus. An volunt: *tria millia equitum, peditum ſeptem in occulto?* Nempe ut *τὸ vis*, factum ſit ex. *VII.* Statim: *& mille ducenti ferme vivi capti.* Put. *caſa mille & D ferme.* quaſi vellet, *quingenti.* Mox omnes Gall. *vergeret ad hoſtium caſtra.* Nec moverim: *Fremebant vulgo in caſtris Romanis:* tamen Put. *Romani.* Deinde o. Gall. & Pal. unus: *ſubjecta res oculis noſtris.* Iidem accedente & Pal. altero: *Conſentiente Criſpino.* Quæ mutavit parvo operæ pretio Rhenanus. Denique Put. & Gall. unuſque Pal. *Secuti M. Marcellum trib. mil. Coſ. filius & A. Manlius, ſimul & duo præfecti.*

Cap. 27. *ab ſuis quiſque latebris exorirentur*] Sincerum puto: tamen Put. & Pal. *ab utriſque lateribus exorerentur.* Ibidem omnes Gall. & duo Pall. *neque evadere poſſent in jugum.* Non tam certo, quam putant Rhenanus & Sigonius, ſubventum eſt illis: *Interfectus A. Manlius tribunus*

militum

militum &c. Nam Put. & quidquid eſt meliorum : *Interfecti :* ut erat olim vulgo, quoque Glareanus offendebatur. Suſpicor τὸ *occiſus* gloſſema eſſe adjectum ab homine ſemidocto , & ita ſcripſiſſe Livium : *Interfecti A. Manlius tribunus militum & ex duobus præfectis ſocium Manius Aullius , L. Arennius captus.* Hoc ipſi Rhenano facile probatum fuiſſet, ſi in mentem veniſſet: neque enim erat ille compendiorum dicendi , quæ apud Livium reperiuntur , ignarus. Turbant aliquid libri in nomine prioris præfecti. nam Put. melior Pet. duo Flor. optimi : *Manius Auxilius.* Credemuſne jam tum id nomen viri fuiſſe, ut Auſonii ævo fuit ? Sane *Obſidius* apud Florum eſt, *Tympanus* apud Livium lib. 34, & *Corculi* ſatis antiqui : recentius nomen *Deſiderius.* Sed ſupra Put. *M. Aullius.* Pet. melior : *M. Aullius.* Verum eſſe utrobique puto : *Manius Aullius.* Sub finem Put. *unam traditam fama , alteram ſcribtam laudatione filii , qui rei geſtæ intervenerit.* Sane *ſcriptam* omnes alii libri Gallicani & Pall. & videtur parum caute mutaſſe Rhenanus.

Cap. 28. *quos proximos nactus eſt montes*] Put. reg. Pal. *quoſquos proxumos nanctus.* Mox Put. Men. *Anulis Marcelli.* Omnes vero Gall. & duo Pall. *ne cui dolus necteretur.* quod mutavit Rhenanus. Virgilius : *aut fraus innexa clienti.* Bis ibidem Put. *Salapitani*, non *Salapiani.* Nec temere eſt in illis : *ſe nocte , qua diem illum ſecutura eſſet , Salapiam venturum : parati milites eſſent, qui in præſidio erant , ſi quo opera eorum opus eſſet.* Non , inquam , temere eſt Put. Pet. meliore , regio , Men. abeſſe vocem *parati.* Fortaſſis fuit: *venturum : vigiles eſſent , qui in præſidio erant.* Iterum : *perfuga autem Romanus erat.* Ignorant Put. & cæteri τὸ *erat.* Men. etiam *perfugam.* Licet

cet

cet conjicere: *remiſſo retro nuntio (perfugam norant Romanum) ut fine.* Deinde: *circa portam, qua venturum hoſtem rebantur.* Put. Men. *hoſtem quaerebantur.* Forte: *verebantur.* Poſt paullo: *tumultuari, trepidare, moliri. porta cataracta dejecta clauſa erat.* Scribe cum Put. reg. & Andreanis: *tumultuari, trepidare, moliri portam. cataracta dejecta clauſa erat.* De brevitate ſermonis ſæpius jam monitum. Quod autem Rhenanus: *è turribus porta:* optimos non habet adſeclas, qui retinent: *è turri ejus porta.*

Cap. 29. *M. Marcellum tribunum militum Venuſiam adducere juſſit*] Put. & meliores: *abducere*, ut recte Rhenanus. Sic Plautus: *abducere domum.* Noſter lib. 1, 26. *Ita exercitus inde domos abducti.* Vbi male ſuppoſuerunt *adducti.* Et hoc libro infra c. 46. *ab ſui quiſque ordinis hominibus in tentoria abducti:* Rhenani liber, Put. reg. Vulgo etiam *adducti.* Sed hæc duo verba in ſe invicem ſæpe corrupta, quid hoc in uſu differant, alias dicemus. Ibidem rectius uberiuſque Put. reg. Pall. tres: *Hæ literæ recitatæ magnum & luctum morte alterius conſulis & metum de altero fecerunt.* Vulgo deeſt τὸ *morte* & copula tranſpoſita. Sequitur: *ad exercitum Venuſianum miſerunt.* Meliores: *Venuſiam.* Quod non debuit tollere Rhenanus. Inferius: *in Africam tramiſit*, Put. & in fine: *magiſtratum ad eum proximo anno concilio detulerunt.*

Cap. 30. *Ætoli duce Phyſia*] Sane *Phyſiæ* meminit Polybius lib. 5. eumque ſive Eleum ſive Ætolum in illorum quadam clade (erant autem Ætoli permixti) captum ab Lyco Pharæenſi Achæorum duce ſcribit. Sed Put. & reg. *duce Pyrrhia:* eoque alludunt omnes alii, quorum varietates operæ non eſt exponere. Hujus autem

Pyrrhiæ

Pyrrhiæ non una eſt apud Polybium mentio. Ibidem: *multos admodum hoſtium utraque pugna occidit.* Pluſculi libri non habent *multos.* Put. autem: ∞ *admodum.* quod eſt: *mille admodum.* Et ſane τὸ *admodum*, pro *fere* ſcilicet poſitum, certum numerum deſignari requirebat. Poſtea Put. reg. Men. Pal. *Adhibitus ab Ætolis & ex finitimis.* Statim: *Omnium autem non tanta cura pro Ætolis erat, ferocioris quam pro ingeniis Græcorum gentis:* ſervant quidem fere libri: recte tamen puto ſubſtitutum, *ferocioribus*, idque unus habuit Pal. quum præſertim hoc genere mendi frequenter laboret antiquiſſimus codex. Pro Ætolis, inquit, qui ferociores erant quam pro ingeniis gentis alicujus Græcorum, atque ob id aliis parum amati. Inferius Put. & omnes Gall. *in quo & eadem legationes erant, qua ad Phalera egerant de pace:* ſolus Put. etiam *Phalara.* Sic & ſuperius; *Philippus à Phalera exercitum reduxit.* Vbi igitur lege: *ad Phalara.* Nam Polybius etiam: καταπλεύσαντες ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὰ Φάλαρα τοῦ κόλπου τοῦ Μηλιέως. Et ſic *Megara*, *Gadira*, *Clupea* duplici inclinatione dicuntur. Cæſar lib. 2. de bello civili: *hic locus abeſt à Clupeis paſſuum viginti duo millia.* Vbi fruſtra Ciacconius ſollicitat. Auctor de bello Africano: *à Clupeis ſecundum oram maritimam Adrumeti Cn. Piſo apparuit.* Sic *Oſtiam* & *Oſtia* dixerunt Romani. Quare fallitur vir eruditus, qui apud Dionem Caſſium lib. 36. ἐς αὐτὰ τὰ Ὤστια corrigit ἐς αὐτὴν τὴν Ὠστίαν. Cautionem tamen prudenter addit; niſi etiam *Oſtia* pluraliter capitur pro colonia Anci regis. Certe capitur vel Iuvenali teſte Sat. 10. *mitte Oſtia Cæſar.* Et Sat. 11. *Bajas & ad Oſtia currunt.* Dio quoque ſic alibi, quamvis & Ὠστίων & Ὠστείων alii Græci. Sequitur locus dudum

dudum ſuſpectus & deſperatus doctis: *poſtremo negarunt dirimi bellum poſſe, niſi Meſſeniis Achai Pylum redderent, Sationis reſtitueretur Athamanis, Scerdileto & Pleurato Parthini.* Sic emendaſſe quoſdam ait Glareanus: idque primus, ni fallor, in contextum immiſit Cœlius Secundus Curio. Andreanæ & Aldina: *redderent, Romanis reſtitueretur Athamanis, Cordileo & Pleurato Archide.* Vtrum ſit corruptius, rationem non facile ineo. Scripti fere omnes memoratu digni pro *Sationis* habent *Romanis*, pro *Parthini* reddunt *Archide.* Sed Puteanæi lectio meretur integra repræſentari: *niſi Meſſenis Achai Pylum redderent, Romanis reſtitueretur at intanta Scerdiledo & Pleurato Archidaeienimvero indignum.* Etiam Florentinus optimus & Men. *atintantas.* Scribendum haud dubie: *niſi Meſſeniis Achai Pylum redderent, Romanis reſtitueretur Atintania, Scerdilado & Pleurato Ardyæi.* Controverſiam Achæorum & Meſſeniorum de Pylo Polybius quoque notat in excerptis: Διὰ τὸ κατὰ πρόσωπον Ἠλείους μὲν ἀμφισβητεῖν τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπὲρ τῆς Τριφυλίας, Μεσσηνίους δ' ὑπὲρ τῆς Πύλου, συμμάχους τότε Ῥωμαίων ὑπάρχοντας. De Atintania vero & Ardyæis idem lib. 2. Ῥωμαῖοι δὲ καὶ τοὺς Ἐπιδαμνίους παραλαβόντες εἰς τὴν πίστιν, προῆγον εἰς τοὺς εἴσω τόπους τῆς Ἰλλυρίδος, ἅμα καταστρεφόμενοι τοὺς Ἀρδυαίους· συμμιξάντων δὲ πρεσβευτῶν αὐτοῖς καὶ πλειόνων, οἱ παρὰ τῶν Παρθινῶν ἧκον ἐπιτρέποντες τὰ καθ' αὐτοὺς, δεξάμενοι τούτους εἰς τὴν φιλίαν· παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς παρὰ τῶν Ἀτιντάνων προσεληλυθότας. Ex his igitur Romani Atintanas quidem obtinuerunt ipſi, Scerdilaidæ vero aut Scerdilædo ac Pleurato regulis attribuerunt Ardyæos. Quum interim bello Punico diſtinerentur,

rentur, Philippus bellam occaſionem ratus, prætextu ceſſionis ab Demetrio Phario ſibi factæ, Illyricum invaſit, & hos populos ſubegit. Et ab illo nunc repoſcuntur. Cæterum quos Polybius & Livius hic *Ardyæos* vocant, poſterior ætas Οὐαρδαίους, Βαρδαίους, *Vardæos* & *Bardæos* vocavit. Suntque ex hac natione ſervi illi Mariani apud Plutarchum, οὓς Βαρδιαίους καλοῦσιν. Vbi vir eruditus ad Florum Μαρσαίους reponendum ſuſpicabatur. Non enim meminerat eorum, quæ habentur in Gloſſis Latinogræcis: *Bardai*, Ἰλλύριοι δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας, κατὰ Κίννου καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι· καὶ ἐκ τούτου τυραννησάμενοι (ita legendum. non τυραννῆσαι·) κατὰ τῶν δεσποτῶν· τούτους Σερτώριος δόλῳ περικυκλώσας ἀναιρεῖ. Quod confirmat in Sertorio Plutarchus. Cæterum ne cuiquam laudem ſuam invideamus, prior Plutarchum vindicavit Scriverius ad Martialis lib. 4. ep. 1. *Laſſi bardaicus quod evocati.* Non eſt autem corruptio apud Strabonem & Appianum Ἀρδυαῖοι ἀντὶ τοῦ Οὐαρδαῖοι, ut putat vir doctus. Strabo lib. 7. clare: Εἶθ' ὁ Νάρων ποταμὸς καὶ οἱ περὶ αὐτὸν Δαόριζοι καὶ Ἀρδυαῖοι καὶ Πληραῖοι &c. Οὐαρδαίους δ' οἱ ὕστερον ἐκάλεσαν τοὺς Ἀρδυαίους. Hæc vera lectio eſt: non Οὐαραλίους, quod etiam Caſaubonum ambiguum reddidit. Hæc olim obſervaveram: poſtea Romæ doctiſſimi municipum meorum Lucæ Holſtenii, quum varietates Medicæorum Barberinique codicum ei propoſuiſſem conſiderandas in hoc Livii loco, prorſus eandem ſententiam eſſe intellexi, eoque magnopere ſum gaviſus. Sequentem periodum incipere: *Enimvero indignum ratus Philippus*: uti quidem Put. Per. Men. Flor. quinque, Barber. tres Pall. non magis hic novum eſt,

eſt, quam apud Terentium: *Enimvero Dave.* Lib. 26. in Daſii & Blattii lite: *Enimvero ille, velut in manifeſta re, exclamat.* Lib. 38. *Enimvero, inquit Conſul, ferri jam ludificatio iſta non poteſt.* Lib. 40. *Enimvero ſe, Philippus dicere, auditurum, vocarique extemplo Demetrium juſſit.*

Cap. 33. *adortus Romanos compulit ad naves*] Omnes Gall. *in naves*, ut erat ante Rhenanum. Mox: *Philippus quoque ludorum, qui reliqui erant, celebritate quantacumque de Romanis tum victoria partæ famam auxerat.* Rhenanus pro *tum* reponit *tanquam*, quod ſenſu caret: ſed operarum eſſe peccatum ſuſpicor ex interpretatione, & voluiſſe eum *tamen*, ut habent omnes Gall. & Pall. Nec dum tamen ſanus eſt locus, quem talem reliquerat Livius: *Philippo quoque ludorum, qui reliqui erant, celebritatem quantacumque, de Romanis tamen, victoriæ partæ fama auxerat.* Ex his τὰ *Philippo* & *fama* ſic plane exſtant in Put. Petav. & Pal. melioribus: *celebritatem* in Men. & duobus Pall. Senſus hic eſt: fama victoriæ, non quidem magnæ, tamen quod de Romanis parta erat, ſatis claræ celebritatem dierum, qui ludis ſupererant, auxerat Philippo, tanquam præſidenti illis, in illius honorem. Ibidem: *quo minus ſuſpectus, eo ſolutior erat.* Et hoc ab novitiis corruptoribus: nam libri omnes ſcripti & editi veteres: *quo minus conſpectus:* nec legit Rhenanus aliter. Sic alibi, *conſpectum maxime tumulum*, & *locus conſpectus undique.* Illud eſt igitur: quo minus oculis denotabatur, quum privato habitu graſſaretur multis ignotus, inviſus.

Cap. 32. *omnes copias ad propinquum Eleorum caſtellum*] Sic habent Put. Reg. & fere duo Pall. Menardique: *poſtero die caſtellum Phyrcum vocant copias omnes eduxit.* Nonnulli: *ad caſtellum.* Duo

alia

alia verba non conſpiciuntur. Et certe inſiticia ſunt: nam ſcripſerat Livius: *Eo die caſtra quinque millia paſſuum ab urbe Eleorum* (Put. *Eliorum*) *poſuit. poſtero ad caſtellum (Pyrgum vocant) copias omnes eduxit.* Vides plenam neceſſariis omnibus partibus orationem. Ibidem: *Fuerant autem quatuor millia hominum, pecorumque omnis generis ad viginti millia.* Quia Rhenanus invenerat in ſuo: *peditum hominum:* ſuſpicabatur ille: *deditorum hominum.* Nihil tale in noſtris, ſed Put. *fuerant autem ∞ ∞ ∞ ∞ hominum, pecoris omnis generis ad millia viginti.* Et habent pariter, *pecoris*, omnes Gall. unuſque Pal. Statim: *Omiſſo igitur Achaico atque Ætolico bello.* Put. & regius reſecant: *atque Ætolico.* Mox: *cum Menippo & Polyphante ducibus.* Men. *Polyphanio.* Put. & Pal. *Polyphania.* Scribe: *Polyphanta.* Sic enim appellatur Polybio. Alius Pal. *Polyſanta.*

Cap. 33. *cornu alterum galeæ perfregit*] Put. *præflegit.* Scribe: *præfregit.* Lib. 32. *ſi quam haſtam incidiſſent aut præfregiſſent.* Ibidem omnes Gall. *Poſt profectionem ex Achaia regis.* Deinde: *Alii Tarenti, alii in Campania mortuum tradunt.* Duo prima verba in omnibus Gall. deſiderantur. Vt autem Rhenanus, noſtri quoque meliores: *magiſtrum equitum Cn. Servilium (tum ædilis curulis erat) dixit.* non *qui tum.* Iidemque: *& in inſequens luſtrum vovit.* Denique: *deos immortales miſeritos nominis Romani.* Vt & inferius: *ſordidati rei non miſeritos candidam togam invito offerre.* Et lib. 22, 55. *ſi quid dii immortales miſeriti imperii reliquum Romano nomini fecerint.*

Cap. 34. *ut & rus migrarit & per multos*] Omnes noſtri *migraret*; item *careret*, nolente Rhenano. Ibidem: *cenſores eum tondere & ſqualorem deponere.* Sane Latinum eſt, Quintilianus: *At*

At lavamus & tondemus & convivimus. Tamen antiquiſſimus omnium: *tonderi.* Statim: *cognati hominis eum cauſa M. Livii Macati, quum de fama ejus ageretur.* Optimi ignorant præpoſitionem *de.* Vtique multo Latinius. Lib. 45. *militum magis in hoc univerſique populi Romani fama agitur.* Cicero 1. in Verr. *cumque Dolabella cum ſuis præfectis pugnaret in conſilio, Verres fortunas agi ſuas diceret.* Poſtea bene Rhenanus, ſi editores naſum habuiſſent: *patriam pulſam ſede ſua reſtituiſſe.* Sic ſolus Puteanæus, optimus ille & antiquiſſimus, nec dubitavi recipere.

Cap. 36. *C. Hoſtilio urbana jurisdictio evenit*] Put. reg. Men. carent voce *jurisdictio.* Bene: intelligitur enim *ſors.*

Cap. 37. *Item Atellæ murum & portam de cœlo tactam*] Put. reg. Men. *tacta.* Ibidem non alii modo codices, ſed præcipue Put. *in clivum Publicium.* Quod quum à Rhenano correctum eſſet, mutavit Sigonius. Varro lib. 4. de L. L. *Clivus Publicius ab ædilibus plebei Publicieis, qui eum publice ædificaverunt. Simili de cauſſa Publicius vicus & Coſconius vicus, quod ab heis viocureis dicuntur ædificati.* Feſtus: *Publicius clivus appellatur, quem duo fratres L. & M. Publicii Malleoli ædiles curules pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehiculis Velia veniri poſſet.* Ita enim ſcribendum; aut certe: *vehicula Velia venire poſſent.* Eorundem Publiciorum fratrum ædilium meminit Tacitus annali ſecundo: *ædem Floræ Lucio & Marco Publiciis ædilibus conſtitutam.* Sic lib. 30, 26. optimus codex una cum regio: *incendio ingenti, quo clivus Publicius ad ſolum exuſtus eſt.* Neque aliter legi velim lib. 26, 10. *quos cum ex arce Capitolioque clivo publico in equis decurrentes quidam vidiſſent.*

Clivo, inquam, *Publicio*, etſi omnes illic libri corrupti.

Cap. 38. *Antias, Anxuras, Minturnenſis*] Put. *Anxurnas.* Palatinorum alter: *Anſurnas:* alter, *Auſurnas.* Forte: *Anxurnus.* Vt apud Statium Tiburtino Manlii à Tiburi *Tiburnus.* Inferius Put. Men. *auxilia ex Hiſpania quoque à P. Scipione M. Livio miſſa.* Vbi vulgo prænomen omittitur. Statim: *& duo millia de legionibus militum, equitum ad mille octingentos, miſtos Numidas Hiſpanoſque.* Rhenanus: *ad duo millia de legione militum, equitum mille octingentos.* Nuſpiam in noſtris illi *Octingenti.* Sed Put. *& duo millia de legione militum, equitum mille mixtos.* Nec Pall. tres aliter, niſi quod unus *equitum decem*, alter *mille decem.* quæ varietas ex notis numeri orta eſt, dum ∞ in *X* migrat. Scribe: *& duo millia de legione militum, equitum mille, mixtos Numidas Hiſpanoſque.* Habebat ſane plus una legione Scipio: ſed & uni legioni detracta ea duo millia poteſt intelligi, & legio in genere poteſt explicari de civibus Romanis dilectu ſcriptis. Nam *legionem* pro exercitu dilectu civium conſcripto dicit Plautus Epidico a. 1. ſc. 1. *quia cotidie ipſe ad me ab legione epiſtolas mittebat.* Ibidemque: *Is ſibi nunc alteram ab legione adduxit animi cauſſa.* Et a. 2. ſc. 2. *A legione omnes remiſſi ſunt domum Thebis.* Moſtellaria a. 1. ſc. 2. *Ad legionem quom itant, adminiculum iis danunt.* Mox etiam omnes: *M. Lucretium has copias navibus adduxiſſe:* non *advexiſſe*, ut Rhenanus: quamquam ſcio hæc duo verba calamis librariorum ſæpe confundi. Denique optimi: *funditorumque ad ∞ ∞ ∞ ex Sicilia C. Mamilium miſiſſe.*

Cap. 39. *literæ ex Gallia miſſæ ab L. Porcio prætore*]

prætore] Omnes Gall. *literæ ex Gallia allatæ à L.* Cur mutarunt naſutuli? veriti nempe ne ipſe prætor attuliſſe eas crederetur. Mox rectius illi omnes iidem cum Pall. *octo millia Ligurum conſcripta armataque conjunctura ſe tranſgreſſo in Italiam eſſe:* reciſa altera copulativa. Inferius: *deincepſque alia Gallica atque Alpina.* Rhenanus auctore libro ſuo delet τὸ *alia*, neque eſt illud in quibuſdam noſtris. Si virtutem particulæ noris, ſuperfluum potius quam neceſſarium videbitur. Cicero: *quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore.* Cæſar lib. 3. de Gall. *reliquis deinceps diebus Cæſar ſilvas cædere inſtituit.* Noſter, lib. 45. *trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis.* Quod monuit Lipſius; *Inviſitati namque antea alienigenis:* clare habet Put. & optimi. Propius finem Put. & omnes Gall. *nobilitas coloniæ induxerat eum, magnum ſe exſcidio ejus urbis terrorem cæteris ratum injecturum.* Vulgo deeſt vox penultima: *ratum.*

Cap. 40. *adverſa ſecundis penſando*]. Auctiores una voce optimi: *adhuc adverſa ſecundis penſando.* Statim Put. reg. Men. unus Pal. *ad Thraſymenum & Cannas præcipitaſſet Romana res.* non *reſpublica.* Alii duo Pall. *Romanas res.* Tum omnes Gall. duoque Pall. cum Sigoniano: *duos exercitus ex parte deleſſet, multa ſecunda in Italia Siciliaque geſta quaſſatam rempublicam excepiſſe.* Vtrum; *multa ſecunde in Italia Siciliaque geſta?* Ibidem omnes Gall. & Pall. *plenum adhuc iræ in cives.* vel *ire.*

Cap. 41. *Grumenti mœnibus prope junctum*] Put. reg. Men. *injunctam.* Vt præcepimus monere ad lib. 4. Statim: *quingenti paſſus erant inter caſtra Punica ac Romana.* Omnis Gallicorum & Palatinorum manus: *quingenti paſſus intererant*

caſtra Punica ac Romana. Inferius: *Annibal inde evadere cupiens, totis viribus in aciem deſcendebat.* Non eſt in Put. reg. Men. *τὸ evadere.* quod ſenſus tamen neceſſarium reddere videtur. Put. *Annibaleinde cupiens.* Alteri duo: *Annibalem inde cupiens.* An ſimpliciter: *Annibal evadere cupiens?* Nec longe: *quinque cohortes additis quinque manipulis nocte jugum ſuperare & in averſis vallibus conſidere jubet.* Omnes rurſum & Gallicani & Palatini *cohortibus.* Scribe: *quinque cohortibus additos quinque manipulos.* Porro: *Ipſe luce prima copias omnes peditum equitumque in aciem eduxit.* Puteanæus integre: *ipſis luce prima:* Vide an potuerit Livius dicere: *Ipſius luce prima.* In fine: *ut ſterni opprimique, priuſquam inſtruantur, poſſint.* Vetus ſcriptura apud Rhenanum: *ſterni operique:* ergo non dubitat *opprimique* ſcribendum. Et paſſi ſunt editores? Noſtri immo omnes, Put. *ſterni opterique* (ut *opſoleta*, *opſidio*, *opſtitiſſe* idem codex) cæteri & Gall. & Pall. *ſterni obterique.* Quod uſitatiſſimum Livio eſt. Lib. 7. *adeo præcipiti turba obtriti plures quam ferro necati.* Lib. 9. *armis viriſque ad obterendum C. Marcium conſulem concurrunt.* Lib. 10. *impetu equorum ac vehiculorum raptorum per agmen obtriti anteſignani.* Auctor ultimi de bello Gall. *complures hoſtium magno noſtrorum impetu vulnerantur & partim in fuga proteruntur, partim intercipiuntur.*

Cap. 42. *quod niſi in veteri exercitu & duce veteri haud facile eſt*] Put. reg. Men. *in vetere exercitu & duci veteri.* Nempe *τὰ duci veteri* non reguntur à præpoſitione, ſed à verbo atque adjectivo *facile.* Ibidem omnes: *Equites enim tergo inhærebant,* deleta præpoſitione. Majoris negoti eſt: *Romanorum ſociorumque ducenti ceciderunt*

Haud

Haud ſcio quis ſit architectatus. nam olim vulgo: *Et circa Romanorum ſociorumque ceciderunt.* Vnde Rhenanus: *Et tres Romanorum ſociorumque ductores ceciderunt:* conjectura, ne quid ſecius dicam, perſpicue inepta. Mss. magna pars: *duo capti. Circa Romanorum ſociorumque victores ceciderunt.* Solus Put. ſincere. *Circa D. Romanorum ſociorumque victores ceciderunt.* hoc eſt, quingentos. Hic eſt, credo, locus, quem quoto ex libro eſſet, non recordari ſe confeſſus tentat Muretus 16, 8. variar. lectionum. Scribit autem pro *victores*, quod ſuſpicabatur olim fuiſſe *V I C T I, quingenti.* Inferius: *fruſtratique aliquamdiu hoſtis*, Put. cæteri *hoſtes.*

Cap. 43. *audendum ac novandum aliquid*] Media duo verba nullis in Gallic. neque in uno Pal. conſpicua ſunt. Ibidem omnes: *ſimul & ipſe Patres conſcriptos, quid pararet, docet.* quod mutaverat Rhenanus.

Cap. 44. *& eo omnia accidiſſe*] Repone ex optimis: *& ea omnia.* Ibidem Put. *haud cum ignoto cum duce C. Nerone.* Dele prius *cum*, aut ſcribe: *haud jam ignoto cum duce.*

Cap. 45. *nam ne ante audiatur, daturum operam*] Sic jubet Rhenanus. At Put. omneſque Gall. *audiretur.* Ibidem: *nihil morari, nec ab ſignis abſiſtere cibum capientes.* Put. reg. Men. Pal. optimi Florent. Barberin. *nec ab ſignis nec ſubſiſtere.* In aliis etiam *ſubſiſtere*, ſed deeſt *nec.* An fuit: *nec ab ſignis abſiſtere, nec ſubſiſtere cibum capientes, diem ac noctem ire.* Duo enim ſunt diverſa, excedere ex ordinibus & ſubſiſtere: utrumque autem de illis negatum mirificam diligentiam prodit. Cæſar lib. 5. de bello Gall. *ſic uti ab ſignis legionibuſque non abſiſterent.*

Cap. 46. *Multorum eo inclinabant ſententia*]

Omnes Gall. & Pall. *inclinant.* Mox Gall. *tempus pugnæ differretur.* non *pugnandi*, ut Rhenanus. Non longe : *antequam ſe moveat, delere exercitum Aſdrubalis poſſe redireque in Apuliam.* Prius, ni fallor, fuit *deleri*, ſed ſubjecit illud Rhenanus, jubetque ſubaudiri *ſe*. Atqui eſt locutio indigna Nerone conſule, ut ubi alterius conſulis, ubi prætoris tantum momentum futurum erat, ibi is ſibi attribuat in conſilio totam gloriam, et dicat, *ſe poſſe delere*. Certe ſanus hic locus non eſt. Put. reg. Men. conſenſu: *delerique in Apuliam.* Intermediorum nulla veſtigia. Mitius conciliaremus: *antequam ſe moveat, debellari poſſe redirique in Apuliam.*

Cap. 47. *Aſdrubal profectus ante ſigna*] Melius Put. & Gall. *provectus.* Item: *multitudo quoque major ſolita viſa eſt.* non *ſolito.* Statimque iidem cum Pal. *Suſpicatus enim id quod erat.* Præterea: *ſi quid forte aduſtioris coloris, ut ex recenti via, eſſent.* Inferius: *In trepidatione & nocturno tumultu duces parum intente aſſervari.* Eſt ab Rhenano, nec poteſt ferri: nam ſequentia demonſtrant non ab exercitu ſolum duces non adſervante, ſed in ipſis quoque ducibus aliquid peccatum, quum alter deſtinatum tenuerit, alter errore vagatus ſit. Vulgo olim: *parum intente iter aſſervare.* Put. *parum inte adſervat.* Reg. Pet. Men. *parum iter adſervant.* Pall. *parum iter adſeverant*, & *aſſervati.* Fortaſſe: *parum intente iter adſervant: alter in deſtinatis jam ante animo.* Etenim τὸ *inde* omnes reſpuunt. Poſt paullo: *Aſdrubal, dum lux viam oſtenderet, ripa fluminis ſigna ferri jubet.* Put. Reg. Men. *oſtendentis ſigna.* Nuſpiam *ripa fluminis* & videtur ex ſequentibus effictum. Nam junior Petav. *oſtenderet in ipſa fluminis ripa ſigna.*

Conjicio:

Omnes Gall. & Pall. *inclinant*. Mor Gall. *ſem-*
pus pugna differretur. non *pugnandi*, ut *ſ*[illegible]
mus. Non longe: *antequam ſe moveat*, [illegible]
exercitum Aſdrubalis poſſe redireque in Apu[illegible]
Prius, ni fallor, fuit *deleri*, ſed ſubjecit illud [illegible]
[illegible]us, jubetque ſubaudiri *ſe*. Atqui eſt [illegible]
indigna Nerone conſule, ut ubi alterius [illegible]
ubi prætoris tantum momentum futurum [illegible]
ibi is ſibi attribuat in conſilio totam gloriam [illegible]
dicat, *ſe poſſe delere*. Certe ſanus hic locus [illegible]
eſt. Put. reg. Men. conſenſu: *delerique* [illegible]
liam. Intermediorum nulla veſtigia. [illegible]
ciliaremus: *antequam ſe moveat*, *deleri* [illegible]
redirique in Apuliam.

Cap. 47. *Aſdrubal profectus ante ſigna*; [illegible]
bus Put. & Gall. *provectus*. Item: *majo*[illegible]
quoque major ſolito viſa eſt. non *ſolito*. [illegible]
iidem cum Pal. *Sufficatus enim id quod* [illegible]
Præterea: *ſi quid forte aduſtioris coloris*, [illegible]
renti vis, *eſſent*. Inferius: *In trepidatione* [illegible]
nocturno tumultu duces parum intente aſſerv[illegible]
ri. Eſt ab Rhenano, nec poteſt ferri: nam [illegible]
quentia demonſtrant non ab exercitu ſolum [illegible]
ces non adſervante, ſed in ipſis quoque du[illegible]
bus aliquid peccatum, quum alter deſtinat[illegible]
tenuerit, alter errore vagatus ſit. Vulgo [illegible]
parum intente iter aſſervare. Put. *parum in*[illegible]
adſervat. Reg. Pet. Men. *parum iter adſerv*[illegible]
Pall. *parum iter adſervant*, & *aſſervati*. [illegible]
[illegible]: *parum intente iter adſervant*: *alterius* [illegible]
[illegible] *jam ante animo*. Etenim τὸ *inde* [illegible]
[illegible]puunt. Poſt paullo: *Aſdrubal*, *dum lux* [illegible]
[illegible]*enderet*, *ripa fluminis ſigna ferri jubet*. [illegible]
[illegible]g. Men. *oſtendentis ſigna*. Nuſpiam *ripa* [illegible]
& videtur ex ſequentibus effictum. Nam [illegible]
[illegible] Petav. *oſtenderet in ipſa fluminis ripa ſigna*
Conjicio

Conjicio: *oſtenderet*, *ſtatim ſigna ferri jubet.* hoc eſt, imperat, ut quod teneant iter, id pergant exſequi. Nonius explicat *perſeveranter & æqualiter*. Vt in illo Plauti; *Nec recedit loco, quin ſtatim rem gerat.* Ennius Ajace: *qui rem cum Achivis gesserunt ſtatim.* Sequitur: *& per tortuoſi amnis ſinus flexuſque quum errore volvens haud multum proceſſiſſet*, *ubi lux prima tranſitum oſtendiſſet*, *tranſiturus erat.* Hic primo nihili eſt illud, *errore volvens*, ut recte advertit Rhenanus. Sed quid ille ariolatur *obiens*, pro *volvens*, incaſſum ei applaudit Glareanus. Legendum enim unica litera adjecta cum Put. *errorem volvens.* Id quid ſit, ponit ante oculos Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſio dicto: *quin ipſos via implicabat errores*, *& nunc dexter, nunc lævus, nunc veſtigiis ſuis obvius incertum iter ancipiti ambage texebat.* Lucanus de Pompejo fugiente: *incerta fugæ veſtigia turbat Implicitaſque errore vias.* Sic Sophocles Ajace Lorario, βάσιν κυκλοῦν. Sed & recte de verbo, *proceſſiſſet*, dubitat Rhenanus, & in fine periodi τὸ *erat* nemo retinet Gallicanorum. Hinc fortaſſis haud vane divino, in illis, *ſinus flexuſque errorem volvens*, τὸ *quum* ex particula præcedente natum Livii non eſſe, qui ſcripſerat: *& per tortuoſi amnis ſinus flexuſque errorem volvens haud multum proceſſit*, *ubi prima lux tranſitum opportunum oſtenderet*, *tranſiturus. Sed quum quantum mare abſcedebat*, *tanto altioribus coërcentibus amnem ripis.* Sic enim omnes Gall. & Pall. non, *quantum à mari abſcedebat.* Dictum ut illud apud Valerium Flaccum lib. 5. v. 51. *heu quantum Phaſis*, *quantum Æa receſſit.* Ita namque legendum, non *Æta*, vel inde licet colligere, quod iidem inferius eodem libro conjunguntur: *Barbarus in patriis ſectatur montibus Æam Phaſis*

 amore-

amore furens. Et Strabo lib. 1. expeditionem Argonauticum vocat τὸν Ἰάσονος πλοῦν τὸν εἰς Αἶαν, de Homero: τοὺς Κόλχους εἰδὼς καὶ τὸν Ἰάσονος πλοῦν τὸν εἰς Αἶαν. Quam vocem etiam reſtituendam lib. 1. legendumque v. 742. *variis ſtupet Æa deorum Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos*, non *acta*, non *Æta*, ut olim volui, facile accedo accredoque Nicolao Heinſio meo. Porro de verbo *recedere* vide ad Statium cap. 40. ubi quem locum Silii de ingenio correximus, eum ſic, ut volueramus, in Oxonienſi codice manu exarato conceptum invenimus.

Cap. 48. *in prima acie ante ſigna elephantos locat*] Ab Rhenano eſt. Put. *conlocat.* cæteri omnes ut priores editiones: *collocat.* Item Inferius: *quum oſtendiſſent ſe ab latere.* Vti ille *in latere.* Longe vero magis placet: *ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo trucidantur Hiſpani:* quod & libri ſervant ſcripti, præ ignavo illo & triviali: *ita ut trucidarentur:* quod idem Rhenanus ingeſſit: præſertim quum proxime præcedat: *ut quum oſtendiſſent ſe ab latere, mox in terga jam pugnarent.* In fine: Put. reg. Pet. *vix arma humeris geſtabant.* Solus Men. *portabant.* Rhenanus, *gerebant:* cui reddam ſua verba: & quid opus fuit illud mutare?

Cap. 49. *magiſter inter aures poſitum; ipſa in compage qua*] Omnes Gall. & duo Pall. *ipſo in articulo, quo jungitur capiti cervix.* Mox: *ubi regendi ſpem vi viciſſet.* Sic editiones pleræque, ſed ſcripti abigunt τὸ *vi.* Put. *regendiſperviciſſent.* Men. & Pal. *regendis perviciſſent.* Lege igitur cum Rhenano: *ubi regendi ſpem viciſſent.* Vt referatur ad *elephanti.* Deinde omnes: *poſtremo quum haud dubie fortuna hoſtium eſſet.* In numero utrimque

hac

hac in pugna occiſorum immane quantum à ſe invicem divortunt Livius & Polybius. Octo millia Romanorũ, quinquaginta ſex de exercitu Aſdrubalis facit Livius. At Polybius: *ἀπέθανον δὲ τῶν μὲν Καρχηδονίων κατὰ τὴν μάχην σὺν τοῖς Κελτοῖς οὐκ ἐλάττους μυρίων· τῶν δὲ Ῥωμαίων περὶ διχιλίους.* Inter hanc narrationem: *ſupra quatuor millia capitum recepta.* Put. *ſupra* ∞ ∞ ∞ *capitum.* Petav. *tria millia.* Eundem numerum ſubindicat Men. qui male intellectis notis habet *XXX.* Valde cupio adſentiri Rhenano, ubi in Spirenſi ait eſſe: *Adeoque etiam victores ſanguinis cædiſque ceperat ſatias*: quum & alibi apud noſtrum exſtirpaverint eam vocem imperiti; ſed nemo Gall. nemo Pall. ei ſubſervit. In fine: *omnes deleri, Superſint, inquit, aliqui nuntii.* Put. *Omnes delerique ſuperſint.* Scribe: *omnes deleri, Quin ſuperſint, inquit.* Vt ſupra: *Quin imus, inquit, ipſi cum equitibus paucis exploratum?* At ſuperius: *ne ſupereſſet tanto exercitui*: omnes, non *ſuperſtes eſſet*, quod profert præfertque Rhenanus.

Cap. 50. *nemo enim præceſſerat*] Nihil intereſt, ſed ſic Rhenanus nolente Put. cæteriſque omnibus. tenent enim: *quia nemo præceſſerat.* Sic & ſtatim: *vix ut compotes mentium præ gaudio eſſent.* Et, *ſatis dici enarrarique poteſt.* Nec non: *ſupplicijs votiſque fatigare deos*: ubi idem Rhenanus, *fatigavere.* Reviſe ad lib. 6. Eadem fortuna correxit illa: *ut adire nuntius non poſſet, trahereturque à percunctantibus vociferantibuſque*: nam ita omnes libri, quorum ratio haberi debet. Negari non poteſt virum illum, cujus laudibus nihil detractum volo (etenim plurima egregie reſtituit apud noſtrum) ſæpe nihil penſi habuiſſe, quid quo mutaret, dummodo aliquid mutaret. Illud longe peſſimum, quod pro, *diſpenſarique lætitia*

inter impotentes ejus animos potuit: quia ab calami errore in libro ſuo invenit, *diſſertarique*, nobis obtrudit: *vixque ſervari.* quum illud ſine ulla mendi ſuſpicione habeant omnes alicujus fidei libri, & ſit phraſis elegantiſſima pro modum accipere, ordine & ſine tumultu atque effuſione haberi. Plinius panegyr. *Quæ ſingula quantum tibi gratiæ diſpenſata addidiſſent? at tu ſimul omnia profudiſti.* Iuſtinus lib. 8. *quoniam omnibus bellis par eſſe non poterat, diſpenſanda ratus.* Silius lib. 9. *Dum Libys incenſo diſpenſat milite vires.* Apud quem etiam *indiſpenſatus niſus* ſine modo & temperamento vires effundentis. Tamen ille ſe effert, & imputat nobis ingratum laborem ſuum. Mox: *quam legatos conſulum vel literas audiſſent.* Repone cum optimis: *legatos conſulumve literas.*

Cap. 51. *appropinquare legatos allatum, tum enimvero*] Vera lectio optimorum codd *allatum eſt. Tum enimvero omnis ætas currere obvii.* Non *obviam*, quod ſuggerit Rhenanus. Mox omnes: *alii comites eorum, quæ acta eſſent, percunctarentur.* non *ſint*, ut iterum Rhenanus. Item: *introducti in concionem legati.* Rhenanus: *inde traducti.* Verius Sigonius: *inde producti.* Ibidem: *eam ſupplicationem C. Hoſtius prætor pro concione edixit.* Put. reg. Men. non habent, *pro concione.* In iiſdem deſiderantur, *emendo, mutuum dando.*

A D

AD
LIB. XXVIII.

CAP. 1. *quantum in Italiam inclinaverat belli*] Rhenani *inundaverat* increpuit merito Sigonius, & tranſlationem in vocibus *inclinare* & *levata* eſſe à lance ſumtam docuit. Manetque illa in noſtra lectione & olim vulgata & Put. reg. Men. Pal. probata: *quantum in Italiam declinaverat belli*. Rhenanus hoc nunc Petrarchæ, nunc Victorino Feltrenſi, modo monacho cuidam, ſed hoc argumento in primis ridiculo atque abſurdo, modo neſcio cui Enchario Cervicorno attribuit. Quorum omnium ante tritavos natos ſcriptus eſt Puteanæus codex. Noſter lib. 30. *quod ſolliciti erant, omni belli mole in unum ducem inclinata, quo evaſura eſſet res*. Mox: *Et Hiſpanias ea tempeſtate ſic habebant Romani Pœnique*. Dele initialem copulativam, quæ in nullo Gall. neque in optimo Pal. reperitur. Nec longe: *Scipio adverſus eum M. Silanum cum decem millibus peditum, equitibus quingentis miſit*. Put. *cum decemiliauoplus millibus peditum, equitibus*. Regius & Pall. unus: *cum decem millibus ſeu plus militum*. Men. *cum X milia ſeu plus militum*. Etiam *ſeu plus* uterque Petavianus, ſed *militum* melior. Palatinus alter. *cum X milibus militum, quingentis equitibus*. Scribe reſecta una litera pauciſque apicibus mutatis ex optimo: *M. Silanum cum decem haud plus millibus militum, equitibus quingentis miſit*. Vides quam nullo coactu ex *liauo* fecerimus *haud*. Exſtatque idem genus loquendi capite ſequenti: *duo haud amplius millia peditum*. Cæterum & hic novum viſum

viſum eſt corruptoribus equites non eſſe *milites*, atque hos ab illis ſeparari. Cæſar lib. 5. de bello Gall. *idoneam tempeſtatem nactus, milites, equites conſcendere naves jubet.* Ibidem: *tripartito milites equiteſque in expeditionem miſit.* Lib. 6. *hos ſubſequuti calones equiteſque eodem impetu militum virtute ſervantur.* Lib. 7. *parſque ibi, quum anguſto exitu portarum ſe ipſi premerent, à militibus, pars jam egreſſa portis ab equitibus eſt interfecta.* Lib. 2. de Civili: *Equites perpauci ex prælio ſe recipiunt, milites ad unum omnes interficiuntur.* Lib. 3. *quum ipſi numero militum equitumque præſtarent.* Noſter libro præcedenti c. 38. *octo millia Hiſpanorum Gallorumque & duo millia de legione militum, equitum mille.* Sic ὁπλίτας ἱππεῦσιν opponunt Græci. Plutarchus in Ageſilao: καὶ συνέβαινε τῷ Ἀγησιλάῳ ταχὺ πολλοὺς καὶ πολεμικοὺς ἔχειν ἱππεῖς ἀντὶ ψιλῶν ὁπλιτῶν. Neque aliter *exercitum* equitatui opponunt. Cæſar lib 2. *exercitum equitatumque caſtris continuit.* Lib. 7. *exercitus equitatuſque, equitibus Romanis adminiſtrantibus, quos ei negotio præfecerat, celeriter tranſmittitur.* Noſter lib. 30. *pars exercitus cum omni equitatu.* Lib. 40. in tabula M. Æmilii Regilli: *exercitu omni, equitatu elephantiſque.*

Cap. 2. *inde ad remittenda ipſi conſurgunt*] Put. Pet. reg. Men. Pal. *ad mittenda.* Ibidem: *Peropportuna victoria nequaquam tantum jam conflatum bellum, quanta futuri materia belli oppreſſerat.* Crimen ridiculum editorum, qui non animadverterunt nec ſenſum nec Grammaticen ferre, ut *oppreſſerat* ſine caſu accuſandi ponatur. Repone ex Put. Men. trib. Pall. *oppreſſa erat.* Vetus editio: *oppreſſum erat:* quod putat Glareanus referri poſſe ad *conflatum bellum.* Idem alte-

rius.

rius lectionis, quam nos dedimus, meminit, tamen vir bonus jubet judicare lectorem, num oratio hiet, cui deeſſe aliquid propemodum ſibi perſuaſerit. Firmant & noſtri deinde quod Sigonius: *ſi nihil eam ipſe cunctando moratus eſſet.* Mox omnes: *Pœnus quum caſtratum forte ad ſociorum:* non, *ſua*, quod ſane quam frigidum ad ſenſum ſuffecit illi Rhenanus. Si quid offenderis, ſcribe potius: *Pœnus qui caſtra tum forte.*

Cap. 3. *Opulentiſſimam in iis locis urbem, quam Oringin.*] Put. reg. Pal. jubent exigi τὸ *quam*, more Livii: *urbem, Oringin barbari appellabant, mittit.* Ibidem Put. reg. Men. *Hiſpanæ gentis.* non *Hiſpaniæ.* Iidem, ut & Pal. inferius: *& Punicum præſidium metu, ne prodita urbs eſſet, relictis ſtationibus in unum ſe colligeret.* exturbato τοῦ *locum*, quod gloſſema adlevit Rhenanus, oblitus illud Maronæum: *compulerantque greges Corydon & Thyrſis in unum.* lib. 4. *quæ ſi in unum conveniant, vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, ſiſti poſſe.* lib. 32. *dimiſitque ſuos per omnia juga valleſque qui palatos in unum colligerent.* Omnes etiam Gall. & Pall. *impetus hoſtilis in transfugas factus, nec ſecus quam adverſa acies cæſa.* Ibidem: *legionarii cæteram partem urbis invadunt direptione & cæde obviorum, niſi qui armis ſe tuebantur.* Ita Rhenanus reſecta voce *abſtinuerunt*, quæ in fine reperiebatur antea, viſaque eſt nobis in Put. Men. reg. exſtititque in optimo Pall. Etiam Petav. *abſtinebant.* Sane non erat tempus illud, quo quiſquam armis adverſus Romanam vim tutus eſſet, urbe foſſa duplicique vallo cincta, hoſtibus per muros & portas effractas admiſſis. Multum ſe fatigat & Modius: veriſimile eſſe ait imperatum fuiſſe militibus, uti reliquas urbis partes pervaderent, iis tamen parcerent qui arma po-

ſuiſſent: itaque conjectat *abſtinentes*. Niſi quod, infit, dum cogito primo impetu obvia quæque cædi proſternique ſolere in captis urbibus à furente milite, æquior ſum Beato, in verbis Livianis nihilo ſecius hæſitans interim. Quid opus tot verba perdere? Non veriſimile eſt, ſed verum, quod ille divinat imperatum militibus, atque eodem pertinet, quod præcedenti membro: *ita enim præceptum erat*. Vetus hæc diſciplina Scipionum, clementia potius quam crudelitate componere victos. Itaque ſalva ſit vetus lectio diſtinctione appoſita: *legionarii cæteram partem urbis pervadunt; direptione & cæde obviorum, niſi qui armis ſe tuebantur, abſtinuerunt*. Cæterum codex optimus Put. regius, Men. præcipuuſque ex Pall. habent: *cæteram partis pervadunt*. Nec ſane mihi admodum placet, ſolo foro appellato, totam aliam urbem dici, *cæteram partem*. Vitium eſt oblatum huic loco, cui ſi quid video, ita medendum: *legionarii cætera urbis pervadunt*. Vides in ſcripta lectione duas ſuperfluas, duas corruptas literas fuiſſe. Denique: *Romanorum haud plus nonaginta*. Put. aliique meliores: *haud amplius XC.*

Cap. 4. *In citeriorem Hiſpaniam recipit exercitum*] Sic Rhenanus, & cantat: Nos repoſuimus veterem ſequentes lectionem. Immo unius maculoſi codicis vitioſam ſcripturam. Etenim Put. & omnes Gall. duoque Pall. *in citeriorem Hiſpaniam omnis* (vel *omnes*) *ſuas copias reduxit*. Iidem: *claſſis Romana cum M. Valerio Lævino proconſule ex Sicilia in Africam tranſmiſſa*. Vbi pariter ex improbo ſuo τὸ *cum* delet Sigonius. Quid eſt autem, *claſſis tranſmiſſa proconſule*? Cur Latine loqui Livium non patitur?

Cap. 5. *Haud procul Argivorum fine*] *Argeorum* Rhenani ab ſciolo eſt. Ibidem optimus:

Scer-

Sterdilaedum Pleuratumque motos eſſe. In reſponſo Philippi ad legationes Græcarum civitatum: *prout tempus ac res ſe daret.* Put. Flor. *tempus ac reſideret.* Inde nihil potuit fieri commodius, quam *res ſe daret.* quod clare conſpicitur in Men. & uno Pal. Neque tamen abſurdum Rhenani: *tempus ac res ſineret*, quamvis id locum hic habere neget Modius. Sed non debuiſſet Beatus alteram phraſin negare Latinam. Plautus Bacchidibus: *An neſciebas, quam ejuſmodi homini raro tempus ſe daret.* Virgilius: *Multa adeo melius gelida ſe nocte dedere.* Seneca epiſt. 79. *Omnibus præterea feliciter hic locus ſe dedit.* Reſtituimus & Statio defendimusque nuper contra hominem Rhenano diſſimillimum. Mox: *in præſentia, quæ maxime urgebant res, pararent, tum præſidium urbi mittit, unde allatum erat, Attalum ab Lemno claſſe tranſmiſſa omnem circa urbem agrum depopulatum.* Iam ex primis editoribus hæc integra non eſſe ſuſpicati ſunt nonnulli: itaque aſteriſcum appoſuerunt. Id reprehendit Rhenanus & cauſſam ait ſe non videre. At Glareanus, quæ ſit ea urbs, non explicari, eoque recte locum aſteriſco in quibuſdam libris notari. Digitum ad fontem, quo ipſe tamen pervenire non potuit, intendit nobis Sigonius monens ex Stephano. Πεπάρηθον eſſe νῆσον μίαν τῶν Κυκλάδων ὁμώνυμον ἔχουσαν πόλιν, & ex Polybio nomen hic ejus deſiderari. Verba Polybii: Προσπεσόντος δ' αὐτῷ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον τοὺς περὶ τὸν Ἄτταλον διαϐάντας καὶ προσορμίσαντας τῇ Πεπαρήθῳ, καθεξηκέναι τὴν χώραν, τούτους μὲν ἐξαπέστελε τοὺς παραφυλάξοντας τὴν πόλιν. Ergo Sigonius: *Tum Peparethum præſidium urbi mittit.* Sed nondum ſanitas reddita Livio. Put. reg. Men. *urgebat reſpiararent linm præſidium.* Ulti-

ma

ma varietas aliter habet in duobus poſterioribus: nam Men. & Pal. *limnum*. Reg. Petav. & Pal. alter: *Lemnum*. Cæterum facile eſt ex iſtis veſtigiis verum elicere: *in præſentia, quæ maxime urgebat res, Peparethum præſidium urbi mittit, unde allatum erat*. Quod Polybius κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, id Livius *in præſentia*: nec de rebus parandis aliis, quæ tum maxime urgerent, ulla ſignificatio. Deinde ſcribe: *Polyphantam cum modica manu*. Vt & libro præcedente cap. 34. *cum Menippo & Polyphanta*. Nam Polybius vocat Πολυφάνταν, & optimus codex: *Polyphantam*. Ex eodem Polybio rectiſſime Sigonius: *quingenti Agrianum*, non *Ænianum*. Eodem cap. *ſegetibus tamen, quæ jam prope maturitatem erant*. Put. Men. nec ſciunt τὸ *jam*. Et in illis: *occurrere, etiam in Phocidem*: omnes Gall. ut ſpurium arguunt τὸ *etiam*. Denique Put. & Men. *in Tiſæo*, ut voluit Sigonius.

Cap. 6. *Altera urbis medio eſt*] Reg. *altera in urbis medio eſt*. Put. *altera urbis media eſt*. Ita ſcribe: nam pejor varietas errore operarum in textum venit. Silius Italicus lib. 1. v. 307. *Concidit exacti medius per viſcera teli*. Sic enim Colon. Oxon. & Marſi editio: ubi male vulgo: *injecto telo*. Sed quid eſt *medius teli?* inquit Barthius 7. adverſ. 15. Nihil aliud quam medius quod ad telum exactum per viſcera, ſeu ratione teli per viſcera exacti medius. Quæ frequentiſſima poëtis & hiſtoricis ſyntaxis. Ibidem ut omnes ante Rhenanum: *& venti ab utriuſque terræ præaltis montibus ſubiti ac procelloſi dejiciunt*. Poſſes cogitare illa: *venti ponunt, mutant, vertunt*. Aut ſi hoc diſplicet, mitius certe fuerat: *procelloſi ſe dejiciunt*: aut, *dejiciuntur*, quam *decidunt*, quod ex ſola opinione Rhenani receperunt editores. Sic infra cap.

cap. 15. *niſi ex vehementi ſole tanta vis aquæ dejeciſſet.* Ita enim omnes libri, præter ſolum Putean. qui confirmat Sigonii conjecturam: *ni ſe ex vehementi ſole tanta vis aquæ dejeciſſet.* Vulgo: *dejecta eſſet.*

Cap. 7. *Vt ponte continenti jungatur, terra aditum faciliorem*] Contra Rhenanum omnes Gall. & Pal. *terraque.* Nec ſane elegans hic aſyndeton. Sic & mox: *dejecto præſidio fuſiſque Ætolis.* Nihil impedit copulativa, quin intelligamus ipſos Ætolos fuiſſe hoc præſidium. Nec longe: *cum Romana claſſis eo ſe recepiſſet. Attalus igitur ignarus.* Neque video cur ex hac lectione minus appareat, ubi tum fuerint Romani, quam ubi Attalus, & quid fecerint. Intelligis enim illos fuiſſe in ſtatione ad Oreum, hunc Opuntios deprædari. Pariter omnes: *molientibus ab terra naves Philippus ſupervenit, tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit.* Qua phraſi & lib. 10. *tumultumque prælio ipſo terribiliorem intermiſti agmini præbebant.* lib. 25. *tumultum tamen majorem hoſtes præbuerunt, quam certamen.* lib. 26. *Ea res tantum tumultum ac fugam præbuit.* Inferius: *Haud majore certamine; quam Opuntem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit.* Verbum *ceperat* in nullis melioribus libris ſalvum eſt. Put. *decertae.* Regius *decertat.* Men. & Pal. *decertans.* Quid velint, non aſſequor. An forte: *quam Opuntem Attalus, de itinere Philippus Toronem cepit.* Vt lib. 45. *eodem die & iter feciſti, & in aciem ex itinere duxiſti.* Lib. 31. *Occaſio egregie gerendæ rei fuit, ſi protinus de via ad caſtra oppugnanda duxiſſet.* Rurſus noſtri: *quum in fidem Ætolorum perfugiſſent, ſedem eis Ætoli eam dederant, urbis vaſtatæ ac deſertæ priore ejuſdem Philippi bello.* Quæ, ut & ſuperiora, omnia firmata antiquiſſimi.

mi & tot aliorum (quibus meliores vix haberi poſſunt) librorum fide pro lubitu unius, uti non peſſimi, ita neque optimi mutare incivile nobis viſum. Propius finem Put. optimique: *per Bœotiam Megara atque inde Corinthum deſcendit*. non *Megaram*. Item omnes Gall. unuſque Pal. *veriti ne ad ſe iretur*. non *in ſe*.

Cap. 8. *Se nulli loco nec tempori defuiſſe*] Omnes Gall. cum Pal *nullo loco*. Scribe: *nullo loco nec tempore defuiſſe*. nempe rei gerendæ aut occaſioni. Iidem ante: *In concilio autem diſſimulans*. Tum quicquid nobis uſui fuit librorum: *eo quanta maxima poſſet, celeritate tenderet*. Sigonianus *contenderet*. Tacitus annali primo: *legatos audita conſternatione ad Germanicum tendentes*. Idem quarto hiſtoriarum: *Adrumeto ad legionem tendit*. Mox etiam omnes: *ſic eis ipſis diebus Machanidam*. Etiam Putean. Pet. Pal. Men. *congreſſus cum hoſtibus ſis*. ſecus atque Rhenanus. Deinde Put. *nequaquam pare ſeſibi*. Pet. & Pal. *pares eſſe ſibi*. Reg. *patere ſe ſibi*. Men. *par eſſe ſibi*. Certe nuſpiam deeſt *ſibi*, quo deleto gaudet Rhenanus. Puto autem ſecundam lectionem veram eſſe. Mox: *Alipheram autem Megalopolitis, quod ſuorum jus eſſe finium ſatis probabant*. Omnes Gall. & veteres editiones: *quod ſuorum fuiſſe finium*. Credo mutaſſe recentiores quum non viderent, quo referretur τὸ *quod*. Nos vero ibi intelligimus τὸ *oppidum*: nam certe alterum ne quidem ſatis Latinum eſt. Secus & *quam ſuorum* legere poſſes. Optimus quoque cum pluribus: *præter terram Atticam ſuper Sunium navigans*. Prope finem: *contractaque ad effectum ejus operis & multitudine fabrorum navalium*. Copulativa eſt erratum operarum in novitiis: nam & Mss. & priores editiones eam non agnoſcunt.

Cap.

Cap. 9. *Legatus ab M. Livio conſule Romam ad ſenatum miſſus*] Put. & meliores excludunt τὸ *miſſus*. Nec nobis ea voce expuncta deeſſe quidquam videtur. Vt apud Plautum frequenter: *ab aliquo nuntius: quemque à milite*. Livius lib. 33. de Annibale: *percontantibus legatum ſe Tyrum dici juſſit*. Ibidem: *quemadmodum uno animo rempublicam geſſiſſent*: omnes Gall. & Pall. defendimuſque olim contra Sigonium. Haud multo poſt: *Non ſalutabant modo univerſi circumfuſi, ſed contingere pro ſe quiſque victrices dextras conſulum cupientes*. Spernunt Put. & antiquiores τὸ *contingere*. An fuit: *ſed pro ſe quiſque victrices dextras conſulum capientes, alii gratulabantur*. Porro Put. Reg. Men. Pal. *pro republica fortiter feliciterque adminiſtrata*. non *fideliterque*. quod urget Rhenanus. Sic lib. 2. de Fabiorum exercitu: *ire fortes, ire felices jubent*. lib. 31. *quum in ſenatu res ab ſe per multos annos fortiter feliciterque geſtas expoſuiſſet*. Mutavimus mox diſtinctionem: *Et ſupplicatione amborum nomine & triumpho utrique decreto, inter ipſos, ne quum* &c. *ita convenit*. Vt plane Barberinus. Atque apparet ſupervacuum eſſe conatum Sigonii, qui valde nobis probat ex ſuo libro: *& ſupplicationem amborum nomine & triumphum utrique decreverunt*. Quod nos in nullis invenimus, & manum correctoris audacis manifeſtiſſime prodit. Statim quas particulas delet Rhenanus, eas Put. & omnes melioris notæ libri tenent, hoc modo: *ut quoniam & provincia M. Livii res geſta eſſet, & eo die, quo pugnatum foret, ejus forte auſpicium fuiſſet, & exercitus Livianus deductus Romam veniſſet, Neronis de provincia deduci non potuiſſet; ut M. Livium quadrigis* &c. Si uſpiam nexas arenas fecit Rhenanus, hic fecit. Sed & duplicatum

Vt ferre non potuit. Cur igitur Plautus Bacchidibus: *ſibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam, Ab iſthoc milite, ut ubi emeritum ſibi ſit, ſe ut revehat domum.* Noſter lib. 22, 11. *ut quibus oppida caſtellaque immunita eſſent, ut hi commigrarent in loca tuta.* Sic enim legendum eſt veſtigiis vett. libb. quod eadem de cauſſa vulgo vitiatum. Lib. 36, 3. *ut quos L. Quintius milites conſcripſiſſet, & quos ſociis nominique Latino imperaſſet, quos ſecum in provinciam ire oporteret, & tribuni militum legionis primæ & tertiæ, ut hi omnes Brunduſium Idibus Majis convenirent.* Sic ibi quoque legendum. Et ſuper hæc alibi ſic Livium reſtituemus: nam hæc revera antiqua formula eſt, non quam ſomniavit Rhenanus.

Cap. 10. *Triginta navibus C. Servilio traditis*] Reg. *relictis.* Put. Men. *præditis.* Scribe: *præbitis.* Neque hoc magis mirum quam lib. 35. *aditum in Græciam Romanis nullos alios quam Ætolos dediſſe, & ad vincendum vires eoſdem præbuiſſe: deinde quantas peditum equitumque copias præbituri Antiocho ad bellum eſſent.* Lib. 45. *A. Bæbius unus eſt damnatus, quod milites Romanos præbuiſſet ad miniſterium cædis.*

Cap. 11. *Foribus ipſis duo prolapſi angues*] Omnes Gall. & melior Pal. *perlapſi.* Ibidem: *Et ſupplicationem una die habere.* Iidem prorſus: *unum diem.* Mox: *terruit animos hominum ignis in æde Veſtæ exſtinctus. ob quam cauſſam cæſa flagro eſt Veſtalis, cujus cuſtodia ejus noctis fuerat.* Dele centonem trium vocum, quem à mala manu adſutam coarguunt Put. reg. Men. exhibendo: *terruit animos hominum ignis in æde Veſtæ exſtinctus. Cæſaque flagro eſt Veſtalis, cujus cuſtodia noctis ejus fuerat.* Itaque & bene delevit Rhenanus τὸ *Virgo.* Sed & verbum *eſt* ſupervacaneum videtur, ſcribendum-

bendumque: *ignis in æde Veſtæ exſtinctus, caſaque flagro Veſtalis.* Rurſus omnes Gall. *Priuſquam proficiſcerentur conſules ad bellum, moniti ab ſenatu ſunt,* non *admoniti,* ut Rhenanus. Inferius: *& præmiſſa præda incolumes legiones in loca tuta evaſere.* Put. & Gall. omnes unuſque Pal. *incolumes & legiones.* Deinde Pet. reg. duo Pall. *in loca culta.* Men. *in loca occulta.* Put. *in loca ulta.* Scribendum forte: *in loca alta.*

Cap. 12. *An mirabilior fuerit adverſis*] Put. Reg. Men. Pal. *An mirabilior adverſis quam ſecundis rebus tulerit.* Nempe volunt ſubſtantivum verbum tranſponi, ut eſt in Pet. alteroque Pal. Ibidem: *ita quodammodo uno vinculo copulaverit eos.* Neſcio cujus ſit in poſtremis editionibus: nam aliæ, *ita quondam uno.* Scripti autem univerſi: *ita quodam uno vinculo copulaverit eos.* Quod mea quidem ſententia ſincerum. Inferius omnes: *& mos vitio etiam inſitus genti per latrocinia militiam exercendi.* non *inter latrocinia.* Suſpecta mihi hic etiam vitii vox *vitio*, vereorque ne ſcripſerit auctor: *& mos ultro etiam inſitus genti.* id eſt, per ſe, ſua natura. libro ſequenti: *latrociniis magis quam juſto bello in Bruttiis gerebantur res, non ſocietate magis Punica, quam ſuopte ingenio congruentibus in eum morem.* Denique: *Ibi tum Aſdrubal Giſgonis filius maximus clariſſimuſque eo bello ſecundum Barchinos dux,* Put. relegat vocem *filius*, & nos cum eo. Sic enim noſter lib. 25. *ad Aſdrubalem Amilcaris citatum agmen rapiunt.* Eodemque: *Aſdrubalem Giſgonis venientem ad reliquias belli delendas.* lib. 26. *Aſdrubal Amilcaris ad lapides atros caſtra habebat.* Lib. 27, 22. idem *Aſdrubal Giſgonis*, bis exſtat, & in epitome libri ejuſdem. Servius ad illud in primo Georg. *claramque Lycaonis Arcton.* Subaudi, *filiam,*

filiam , ut , Deiphobe Glauci. Adde eundem ad primæ Æneidos, *Ajacis Oilei.* Cæterum idem Put. omneſque Gallici ignorant *clariſſimus* , habentque modo : *maximuſque.* Quid velint, haud ſcio : niſi forte & particulam deleri, ſcribique: *Aſdrubal Giſgonis maximus eo bello.*

Cap. 13. *Inde ad Betulam urbem proceſſum cum omni exercitu*] Put. clare : *ad Baeculam.* Et ita ſcribendum , nam Polybius Βαίκυλαν vocat. Lib. 10. De Aſdrubale altero : ἐλύγχανε μὲν διατρίβων ἐν τοῖς περὶ Καστυλῶνα τόποις περὶ Βαίκυλαν πόλιν. Sic ergo in eadem hiſtoriæ parte refinge apud noſtrum libro præcedenti c. 18. *Proximus Carthaginienſium exercitus prope urbem Bæculam erat.* In hac ipſa autem lib. 11. ἐγγίσας δὲ τῷ Κασταλῶνι καὶ τοῖς περὶ Βαίκυλα τόποις. Cætera vulgata eſt Rhenani, nam Put. *progreſſus omni exercitu civium , ſociorum.* ſublata præpoſitione. Sic Cæſar 2. de bello Gall. *Cæſar equitatu præmiſſo ſequebatur omnibus copiis.* Et ibidem : *ſubito omnibus copiis provolaverunt.* Et jam de hoc loquendi genere monuimus. *Progreſſus* omnes alii libri , poſitumque eſt pro verbo , non pro participio : τὸ *cum* deeſt etiam in optimo Pall. Mox conſtanter omnes & Gall. & Pall. *abditi poſt tumulum opportune ad id poſitum ab Scipione equites.* non *poſiti.* Ibidem : *& uſque integri feſſis ſubirent.* Omnes Gall. & Pall. abolent τὸ *uſque* ab Rhenano profectum. Sed nec *ſubirent.* Put. reg. Men. aut ullus ſinceriorum admittunt: quod mirabar initio , nunc certum habeo fullonum & ſarcinatorum eſſe. Sermo Livii purus hic fuit: *ſed quum ab ſtationibus primum expeditæ cohortes , deinde ex opere deducti milites, atque arma capere juſſi plures & integri feſſis, magnumque jam agmen armatorum à caſtris in prælium*

lium rueret, terga haud dubie vertunt Pœni Numideque. In quo *rueret* pertinet ad integranda omnia priora membra: ut & expeditas cohortes ruiſſe, dein ex opere deductos milites ruiſſe, tum arma capere juſſos integros quoque plures his, qui ſive opere ſive prælio feſſi eſſent, ruiſſe, immenſum denique agmen ruiſſe à caſtris in prælium intelligamus. Fuit & difficultas in hoc, quod non viderent τὸ *feſſis* eſſe caſum obſequentem comparativo *plures*: nam *arma capere juſſi plures & integri feſſis* eſt juſſi in hoſtem exire & pugnam capeſſere etiam integri plures his, qui erant feſſi partim opere munitionis, partim præliando. Omnes mox: *Et primo turmatim.*

Cap. 14. *Elephanti caſtellorum procul ſpeciem præbebant*] Put. *ſpeciem vi præbebant*. Pet. reg. Men. Pal. unus: *ſpeciem viſu præbebant*. Vti lectum & vulgo fuit ante Rhenanum. Nec ſane video, quid aliud voluerit optimus codex. Ibidem: *mediæ acies Romanum Pœnumque, quos inter belli cauſſa eſſet, pari robore animorum armorumque concurſuras.* Omnes Gall. & Pall. *concurſuros*. ut ad illa proximiora, *Romanũ Pœnumque*, non ad *mediæ acies* referatur. Statim *Scipio ubi hæc obſtinate credita animadvertit*. Put *animoadvertit*. Videlicet pro *animom*, ſeu *animum advertit*. De quo ad lib. 24. Auctor de bello Africano: *& animum etiam advertebat, frumẽto ſe in Africa niſi importatitio uti non poſſe*. Porro ut Lipſius, Put. reg. & Pal. melior: *ut ante lucem viri equique curati & pranſi eſſent.* Cæteri omnes: *curate pranſi*. Non eſt dubitandum de ſinceritate illius lectionis, quam & ſignificabat ſcriptura ante Rhenanum; *equique cum raptim pranſi*. Statim Putean. *frenatas inſtratoſque teneret equos*. Etiam omnes Gall. & duo Palatini: *equitatum omnem extemplo in equites emit-*

tit. Illa vero: *Equitum jam diu anceps pugna erat, nec ipſa per ſe decerni poterat, quia pulſis (quod prope in vicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat:* nullo apice minus ita ſervant omnes libri. Quæ optimus Rhenanus hic commotior declamat in caſtigatores, in neminem aptius congruunt, quam in ipſum, qui unius libri auctoritate fretus urit ſecatque ut libet. Ne autem offendatur quiſpiam phraſi: *pugna non poterat per ſe decerni:* ſic loquutus Livius quum alibi, tum lib. 5. extremo: *ſed rem dubiam decrevit opportune vox emiſſa.* Et hoc ipſo libro inferius: *emiſſis levibus telis, quæ irritare magis quam decernere pugnam poterant.* lib. 10. *Poſtremo conditionem ferre, quæ decretura ſit, non orator, ſed imperator uter ſit melior.* Sic etiam ſcribendum lib. 7, 9. *Prælia de occupando ponte crebra erant, nec qui potirentur, incertis viribus ſatis decerni poterat.* Vbi vulgatur, *diſcerni.* Vt enim *certamen cernere* Plautus, *cernere bellum* Lucretius Enniuſque, ita *decernitur pugna*, cum pars altera vincit. Sic apud Cæſarem: *dijudicata jam belli fortuna*, lib. 2. de Civili. Tacitus 3. hiſt. *dum inter Veſpaſianum ac Vitellium præliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium judicatur.* Ita Græcis τὸ κρίνειν. Diodorus Siculus lib. 17. μὴ συγκαταβαίνειν εἰς τὸ διὰ μάχης κρίνειν τὸν πόλεμον. Sic Libanius Panegyr. in conſulatum Iuliani: βουλευομένου τοίνυν ἐν Παιονίᾳ περὶ τῆς Θρᾴκης, εἴτ' ἐμβολῆς εἴτε καθέδρας ὁ καιρὸς, τύχη τὶς κρίνει τὸ ἔργον, ἢ συγχαζόντων ὅπλων, πρέπον ἐξευροῦσα τῇ συγγενείᾳ πέρας. Vbi dupliciter peccavit interpres: primum vertendo: *ſive impreſſiones faciendæ ſive reſidentiæ opportunitas occurreret:* dein: *fortuna quædam opus expendebat.* Debuiſſet autem: *utrum impreſſionis fa-*

cienda an belli trahendi tempus eſſet: tum, *fortuna rem decrevit.* Per mortem ſcilicet Conſtantii, quæ prohibuit ne cognata arma miſcerent. Sic ipſe Iulianus in epiſtola quadam: εἰ δὲ μάχῃ κριθείη, τῇ τύχῃ ἅπαντα καὶ τοῖς θεοῖς ἐπιτρέψαι. Libanius declamatione ſub perſona Vlyſſis: εἰ τὸ πρᾶγμα εἰς πόλεμον προβαίη καὶ τοῖς ὅπλοις τὴν κρίσιν ἐπιτρέψαιμεν. Inferius: *ut cornu extenderent in ſiniſtram partem, quemadmodum ſe tendentem ad dextram vidiſſent.* Si omnes Gall. & Pall. Vbi iterum Rhenanus, *in ſiniſtra parte,* &, *à dextra.*

Cap. 15. *Quum eo ipſo acrius, ubi inclinatam ſenſere, victores*] Poſſes referre ad *aciem*, qua in voce præcedens membrum terminatur. Sed optimi: *ubi inclinatam ſenſere rem, victores.* Ibidem: *niſi ex vehementi ſole, qualis inter graves imbres nubes effulget, tanta vis aquæ dejecta eſſet.* Omnes: *dejeciſſet.* Optimus quoque ut Sigonius: *ni ſe ex v.* Statim omnes item Gall & Pall. *ut vix in caſtra ſua receperint ſe victores*, Rhenani ingratiis.

Cap. 16. *In proximos colles cum ſeptem millibus*] Omnes Gall. & Pall. *ſex millibus.* Ibidem Put. & optimus quiſque: *quum hoſtis nequidquam ſubire iniquo aſcenſu conatus eſſet:* nolente Rhenano. Sed mox, ut ille voluit, neque impetravit ab editoribus: *itaque tranſitiones ad hoſtem fiebant.*

Cap. 17. *Regionem Hiſpaniæ, maxime qua ſita eſt Nova Carthago, ſpectant*] Omnes Gall. unus Pal. *in regionem.* Sic. lib. 4. *aliis frons in Etruriam ſpectans obſtruebatur.* Plinius lib. 18, 33. *In hunc Italiæ palmites ſpectent.* Et iterum: *Quum æſtate paſces, in occidentem ſpecta ante meridiem, poſt meridiem in orientem.* Capite ſequenti: *In*

 hunc

hunc Aſiæ, Græciæ, Hiſpaniæ, maritimæ Italiæ, Campaniæ, Apuliæ, arbuſta vineæque ſpectent. Ibidem: *Itaque præmoliendas ibi ratus jam res conciliandoſque regum gentiumque animos.* Putean. & quivis optimi: *Itaque præmolienda ſibi ratus jam reconciliandoſque.* Scribe: *Itaque præmoliendam ſibi ratus jam rem conciliandoſque.* Ibidem omnes Gall. *amicitiam ſe Romanorum accipere.* non *Romani.* Inferius iidem: *interdum & leni adjuvante vento.* non *juvante*, ut Rhenanus. Denique præclare Put. *nec ultra tumultum ciere quiſquam in regio portu audebat.* Vbi vulgo à Beato: *nec ultra tumultum agere quis quicquam in regio portu audebat.* Cæteri omnes libri, etiam ſcripti, plus aut minus vitiati. Obeſas nares habeat, oportet, qui vulgatum eſſe Livii credere poteſt. Diximus aliquid huc ſpectans in Obſervationibus.

Cap. 18. *Atque ad eoſdem penates eſſe voluiſſet*] Quod Sigonius magna confidentia hic reponit: *atque in eodem penate:* etſi duobus ſummis viris perſuaſerit, nec nos in ullo invenimus, & præ vulgato recipiendum non eſſe certiſſima ratione in Obſervationibus evicimus. Duo recentiſſimi: *in eoſdem penates:* cæteri omnes, ut antehac publicatum. Ibidem: *Illud magnopere contendente rege.* Put. *Illud magno, opere tendente rege.* In poſteriorem mutationem cæteri omnes Gall. & Pall. codexque Rhenani, quem tamen hic ille ſpernit, conſentiunt. Rurſum omnes Gall. *regnumque ejus jam in Romanorum eſſet poteſtate.* Vulgo deeſt τὸ *jam* & legitur *Romana.* Iidem: *non quomodo Hiſpaniæ amiſſæ ſint.* Vt & editiones vetuſtiores. Cur ergo numerum ſcioli mutarunt? niſi Hiſpaniam citeriorem & ulteriorem eandem eſſe crediderunt. Eodem capite: *Non pere-*

egri-

egrinabundum &c. *relictis exercitibus, duabus navibus in Africam trajeciſſe & commiſiſſe ſeſe in hoſtilem terram, in poteſtatem regiam, in fidem inexpertam: ſed potiunda Africæ ſpem affectantem.* Put. Men. Reg. & præſtantior Pal. *relictis exercitibus duobus in Africam trajeciſſe ſeſe in hoſtilem terram regiam in fidem inexpertam.* Sic inquam refectis intermediis illi quatuor, niſi quod regius hoc uno differens: *duabus quinqueremibus.* Nondum de his conſtitui: ſed poſt tot gloſſemata deprehenſa, totque improbas farturas reciſas, ubi minores aliqua voce veteres libros video, ibi omnia tuta timeo. Quod ſequitur: *ſed potiunda Africæ ſpem adfectantem*, etſi omnium vett. librorum auctoritate confirmatum eſt, nec molitionem Rhenani probare poſſum: *pretia ſectantem*: tamen mallem: *ſed potiunda Africæ ſpem ſectantem.* Vt apud ſummum Poëtam: *quam quiſque ſecat ſpem.* Cicero 9. famil. 5. *ſequuti enim ſumus non ſpem, ſed officium.* Ovidius epiſtola Leandri: *Spemque ſuo refugi fluminis ore ſequi.* Et *ſequi* non raro ponitur pro perſequi, propoſitum habere. Vt cum Cicero: *quid ſpectaverint, quid ſequuti ſint, num quis exiſtat, cui præter officium quidquam aliud propoſitum fuiſſe videatur.* Seneca 4. de beneficiis: *Qui gratus eſt, quid ſequitur? ut hæc res illi alios amicos, alia beneficia conciliet.* Spes potius nos inducit, ut ſe ſequentes rem adfectemus, quam ipſa adfectatur. Noſter lib. 29. *Spes autem adfectandæ ejus ex minima re adfulſit.* Nec tamen pertinaciter contendam contra eum, qui in vulgato aliquid acuminis reperiſſe atque ideo defendendum id omnino putet.

Cap. 19. *Caſtulonenſes quum proſperis rebus ſocii fuiſſent*] Dictum in commentario de Seſter-

tiis ſcribendum eſſe: *Caſtulo quum proſperis.* Nec aliter codex Rhenani. At vero: *ſcelus etiam defectioni addiderant:* &, *merito magis quam utiliter ſævitum foret:* omnes noſtri ſine ulla mutatione & expeditiſſimo ſenſu. Quæcumque hic molitur Rhenanus, ea omnia non ſunt nauci: & leni videbimur multis, qui temeritatem tantam pruriginemque innovandi non acerbe increpemus. Sed hominem fuiſſe cogitamus; ſed multa egregie reſtituiſſe, de quibus, quia jam ſunt recepta, nihil iteramus; ſed tot bonis libri ſui abreptum ad vitia ejuſdem luſcitioſum fuiſſe; ſed eo vixiſſe tempore, quo nondum fulgebat lux tanta literarum. Et melius eſt mixta malis bona accepiſſe nos, quia ſubnaſcitur alius plerumque, qui aliquando ea cautius diſcernat, quam utriſque caruiſſe. Ibidem Put. *quintis fere ad Illiturgin caſtris.* Et, *Ipſos claudendos portas*, perinde ut codex Beati: quod propius accedit ad conjecturam ejus, *claudendo portas.* Secus & multi codices, nec improbi, ut olim vulgo: *claudendis portis.* Atque ita ſæpe loquutum Livium olim adnotatum eſt. Porro Putean. & omnes Gall. unuſque Pal. *Ab hac cohortatione ducis incitati.* non *exhortatione.* Deinde: *an poſtmodum cremata & diruta urbe.* Put. *poſtmodo.* Nec longe: *ſed fœminæ quoque puerique.* Omnes Gall. & Pall. ejiciunt *quoque.* quibus non repugnamus. Neque quiſquam mutat illud: *non libertas ſolum agebatur:* niſi quod duo Pall. *ſola.* Sed quis unquam dixit, *libertas agitur,* & non potius, *libertatis negotium agitur.* vociferatur Rhenanus: itaque ſubſtituit: *non libertas ſola lædebatur.* Sed norint illud tirones ex Livii ſeptimo, quum legati Campani urbem & populum divina humanaque Romanis dediſſent: *tum jam fides agi viſa, deditos non prodi.*

Quæ-

Quæque diximus ad illud lib. 27, 36. *donec cognati hominis cauſſa M. Livii Macati, quum fama ejus ageretur, ſtantem coëgit in ſenatu ſententiam dicere.* Cicero Lælio: *ut minus juſtæ amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama.* Sequitur: *ſed ultima omnibus ſupplicia & fœda mors ob oculos erat.* Gallici omnes optimuſque Pal. *omnium.* Cujus ſenſus eſt, non tantum ſuam quemque, ſed aliorum etiam, primo propinquorum, dein amicorum & civium, vicem miſeratum, & futuram calamitatem animo præcepiſſe. Et jam alibi illa, *ob oculos erat,* ſine ſuo caſu poſita animadvertimus. Rurſum. *veritus ne vanis conatibus ſuorum hoſtibus creſceret animus.* Put. & omnes Gall. optimuſque Pal. ſecus atque voluit Rhenanus, omiſſo interim τῷ *tot.* Statim non dubito quin verius ſit quod ille propinat: *ſibimet conandum ac partem periculi capeſſendam eſſe ratus.* Vulgata nugax eſt: *ſibimet conandum ad partem periculi capeſſendam.* Mss. alii manifeſte habent lectionem Beati, alii leviter corrupti eodem tendunt. Prope finem: *Et ex altera parte Lælius inſtat. Tum victa oppidanorum vis, dejectiſque propugnatoribus occupantur muri.* Sic omnes, ut & fuit ante Rhenanum.

Cap. 20. *Et oppidanis in ea tuenda unde periculum videbatur, verſis*] Put. *in ea tatuenda.* Fortaſſe: *in ea tantum tuenda.* Mox: *editiſſimam urbis partem, quia rupe prealta tegebatur.* Omnes Gall. duoque Pall. *quæ rupe prealta.* Deinde: *ſublevantes eos, qui præ ſe irent.* Put. reg. Men. Andreanæ atque Aldina: *qui prairent.* Inferius: *terrorque inde ac deſperatio invaſerat omnes.* Vox ultima adjecta eſt in Sigoniano codice ab iis, qui mirabantur verbum *invaſerat,* intranſitive poni. Nam in nullo Gall. & Pall. conſpicua eſt. Salluſtius ad

Cæſarem: *nam, ubi cupido divitiarum invaſit, neq; diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum ſatis pollet.* In fine: *Marcius inde in barbaros, ſi qui nondum perdomiti erāt, ſub jus ditionemq; redigendos miſſus.* Lipſianus codex deficitur Marcii nomine, deinde habet: *redigendos legatis miſſis, Scipio Carthaginem.* Eam putam putam Livii & ſcripturam & hiſtoriam dominus ejus exiſtimat. Sed in priore præter Pal. unum & Men. neminem ex noſtris habet adſentientem, in poſteriori ne illos quidem. Put. immò & quidquid eſt aliorum ignorant ultimum vocabulum *miſſus.* Eamque abeſſe debere & elegantius ſubaudiri cenſeo. Sic Cicero lib. 7. ad Attic. ep. 5. *Ego in Tuſculanum nihil ſane hoc tempore. devium eſt* τοῖς ἐιπαντῶσιν, *& habet alia* δύσχρηστα. *ſed de Formiano Tarracinam pridie Kal. Ianuar. inde Pomtinam ſummam: inde Albanum Pompeji: ita ad urbem tertio Nonas natali meo.* Aut ita diſtingue: *Marcius inde in barbaros, ſi qui nondum perdomiti erant, ſub jus ditionemque redigendos: Scipio Carthaginem ad vota ſolvenda diis, &c. rediit.* Nam ex ultimo hoc verbo ad finem præcedentis membri referendum τὸ *iit.* Lipſius objicit vulgatæ, quod inferius: *interim nihilo minus res per legatos gerebantur.* Atqui quo minus eæ res & per Marcium dignatione principem & per quos ei legatos Scipio adjunxerat, geſtæ intelligantur, nihil vetat, neque abſurdum eſt eum ſolum nominari. Nam quod ſequitur, totum geſſit Marcius, donec Aſtapenſi illa obſidione finita rediiſſet, deinde cum Lælio ad Gades proficiſci juſſus.

Cap. 21. *Servorum delectu ac liberorum qui venalem*] Satis commodi ſenſus hæc eſt lectio. Neque enim niſi delecti & corpore roboreque præſtantes ad hanc ſervitii patientiam idonei. Sed

Sed Rhenanus refert ex ſuo: *ſervorum de cauſa ab liberorum*: unde conjicit: *ſervorum cenſu haud liberorum.* Fulvius Vrſinus: *ſervorum de cataſta aut liberorum.* Quæ quanti ſint, facile vident, qui oculos habent. Ex Pall. duo, pœne ut Rhenani liber, optimus cum Putean. omnibuſque Gallicis tria hæc verba, *delectu ac liberorum*, nullo veſtigio agnoſcunt. Quicquid dicant conjectores veterum librorum ignari, aut vulgatarum lectionum, ſenſum modo habentium (nempe quas homines illis ſimiles, tantummodo ut ſenſum facerent, ſunt fabricati) patroni, non temere eſt, quod vetuſtiſſimæ atque his proximæ membranæ hunc centonem Livio abjudicant. Neque profecto opus illo eſſe cenſebis, ſi videas reſtitutis duabus literis, quas pares vicinæ abſorpſerant, omnia eſſe plana atque integra: *Gladiatorium ſpectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſervorum quive venalem ſanguinem habent: voluntaria omnis & gratuita opera pugnantium fuit.* Eliſa illa particula ad facinus audendum fartores noſtros induxit. *Servorum* putabant minus commode coaleſcere præcedentibus: id velut atomum Democriti hamo inſtruxerunt, appoſuerunt que τὸ *delectu.* Tum provecti ulterius, quia ſervorum tantum mentio fiebat, meminiſſent autem deſperatos quoſdam etiam liberos in ludum ſe addixiſſe, non putarunt aliter conſtare orationem quam ſi adderetur præterea: *ac liberorum.* Sed τὸ *ſervorum* æque pendet à τῷ *genere* atque *hominum*: *librorum* autem mentione nulla opus, quum ſe vendere in ludum aut venalem ſanguinem habere, niſi qui liber ſit, neminem poſſe ſatis intelligatur. Perinde eſt ergo ac ſi expreſſum eſſet: *ex eo genere hominum, ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſervorum puta eorum-*

rumve qui venalem ſanguinem habent. Iul. Firmicus lib. 8. Aſtron. hos vocat, *qui ſe ob alienæ gratiæ voluptatem nundinati ſanguinis jactura ad mortis ſpectaculum vendunt:* Ibidem: *præoptantes, quod ab tanta rabie dirimi nequirent.* Putean. & meliores: *cum dirimi ab tanta rabie nequirent.*

Cap. 22. *Quem incolæ Cirtium appellant*] Put. omnes Gall. & optimus Pal. *Certim*, ut voluit Lipſius. Etiam *Certima* Celtiberorum oppidum Graccho deditum memoratur noſtro lib. 40. Statim: *Aſtapa urbs erat Carthaginienſium ſemper partis.* Verbum *erat* nec Putean. nec meliores Gall. duoque Pall. agnoſcunt. Ibidem omnes: *lixaſque & mercatores exciperent.* Et mox: *circumventum iniquo loco interfecerunt.* Inferius: *quæ peritura forent abſumerent manus.* Galli omnes: *peritura eſſent.* Iidem: *patentibus portis ingenti tumultu erumpunt:* omiſſa præpoſitione. Etiam: *eques qui primus hoſti ſe obtulerat:* conſentientibus duobus Pall. Tertius *primo.* Nullus *primum*, ut Rhenanus. Viſe obſervationes. Propius finem: *diu vetus miles adverſus temerarios impetus pertinax.* Put. Men. *de invectis.* Scribe: *dein vetus.* ut erat in duobus Pall. & Aldina. Tertius & Andreanæ: *deinde vetus.*

Cap. 23. *Dimicantium jure belli in armatos repugnanteſque edebantur.* Put. reg. Men. *dimicantium pugnantiſque edebantur.* vel *pugnanteſque.* Cætera nuſquam. Vna particula *que* in cauſſa fuit, cur tot verba infulcirent, qua deleta quanto mitius eſt: *Atque hæc tamen hoſtium iratorum ac tum maxime dimicantium in pugnantes edebantur.* Nam illud *jus belli* non magis hic ab Livio profectum puto quam ſuperius lib. 26, 30. Aut retine ſane: *in pugnanteſque:* egregio ſenſu: ab dimicantibus & in pugnantes. Ibidem: *quum*

rece-

receptus primis, urgenti ab tergo ingenti turba, non eſſet. Quod Rhenanus immiſit *ab tergo*, nullus Gall. aut Pal. confirmat. Omnes quoq; Gall. *urbem Punicumque præſidium quod in ea urbe eſſet:* etſi non male τὸ *urbe* cancellet Rhenanus. Omnes præterea iidem: *aliquantum auxiliorum & transfectum ex Africa ora:* ſecus atque idem Rhenanus.

Cap. 24. *Iuventute Celtiberorum excitata*] Omnes Gall. duo Pall. *excita*, ut Sigonius. Lib. 4. *plebs ad expugnandam ſecum Ardeam Volſcos excivere.* lib. 22. *Celtiberi nuntio miſſo à Scipione exciti.* Lib. 30. *& omnem juventutem adfirmat exciturum ex regno.* Ibidem: *non tum, quum primum de vita imperatoris dubii rumores allati ſunt.* Omnes Gall. *non tum primum, quum de vita.* Deinde Put. reg. Men. ignorant vocem *rumores.* Regius inter hos: *dubii allati ſunt nuntii.* Puto hanc vocem in antiquiſſimo codice corruptam eſſe in verbum ſubſtantivum, una mutata, duabus omiſſis literis: hinc ex ſenſu adjeciſſe recentiores, alios *rumores*, alios *nuntii:* cum olim fuiſſet: *Mota autem mentes eorum non tum primum, quum de vita imperatoris dubii allati nuntii: ſed jam ante.* Quamvis & liceat: *dubie allatumſt.* pro *allatum eſt:* quippe iſto modo ſæpiſſime in optimo libro verbum ſubſtantivum cohæret: non quod ita Livium feciſſe putem, ſed compendium exſtitiſſe puto librariorum. Ex eo imperitis facile fuit, *allati ſunt*, formare. Statim: *Ac primo ſermones tantum occulti ſerebantur.* Put. reg. Men. *Ac primores tantum occulti.* vel *primones.* ſed illud in Put. Scribe: *Ac primo rumores tantum occulti ſerebantur.* Mox legimus cum Freinshemio: *Forma tamen Romanorum caſtrorum conſtabat una ea ſpecie.* Statim Put. reg. Men. *ut jura reddere in principiis ſinebant.* non *& jura.* Quaſi ſignificent

ſpeciem tantum juriſdictionis & imaginem tribunis conceſſiſſe. Deinde omnes Gall. *in ſtationem ac vigilias in ordinem ibant.* Illud quoque leve: *ſpeciem dicto parentium ultro ipſi imperantes ſervabant.* Put. *ultro ſiim imperantes.* Reg. Men. *ſi imperantes.* Nempe ſcribendum: *ultro ſibi imperantes.* Poſt paullo: *neque iis venit in mentem, ſuis tergis, ſuis cervicibus virgas illas ſecureſque imminere.* Omnes Gall. *ſuiſque cervicibus*: dein relegant τὸ *iis*. Quis credat in his minutiis eſſe aliquid elegantiæ? Eſt tamen: nam ſic Cicero 9. famil. 15. *Et quidem, cum venit in mentem, ponor ad ſcribendum.* Nempe illis, & ab illis ſenatuſconſultorum conditoribus. Livius lib. 6. *an jam memoria exiſſe, quum tribunos militum* &c. Denique o. Gall. duoque Pall. *ſub cujus vulgatam mox famam.*

Cap. 25. *Et ſubtrahentes ſe quoque, ut credidiſſe*] Sic omnis vetus lectio meliorum librorum, quam vere ait Rhenanus hactenus non intellectam. Sed tamen haudquaquam ipſe ſententiam Livii eſt adſecutus ſupponendo: *& ſubiraſcentes quoque.* In pari fiducia par fortuna Lipſii, increpantis licet Rhenanum & præfati: ἢ δεῖ σιωπᾶν, ἢ λέγειν ἀμείνονα. Ille ergo: *& ſubornant eos quoque.* vel, *& ſubdiderant*: facili ſententia, & audebo dicere, inquit, Livii germana. Habeamus ſane ſententiam (nec habemus) utrum tandem recipiemus in contextum? Hoc ipſum nos ambiguos facit, quod duplex conjectura eſt. Vide ut unica litera ſuperflua tantorum virorum fruſtrata ſit ingenium, ne στοχαστικὴν, qui in ſyllaba tenet aliquamdiu pendentes animi homines reſtituendæ & explicandæ antiquitatis ſtudioſos, jure apud male Criticos in odium & faſtidium venire putes. Scribendum eſt: *tum primi auctores requiri cœpti,*

cæpti, & ſubtrahente ſe quoque, ut credidiſſe potius temere quam finxiſſe rem talem videri poſſet; deſtituti duces jam ſua ipſi inſignia &c. nam ita quoque, non *poſſent* optimi codices. Quum ſubtraheret ſe quiſque & auctorem fuiſſe negaret, ut potius acceſſiſſe numero temere credẽtium quam ipſe eum rumorem vulgaſſe aut ementitus *eſſe* videretur, tum Calenus & Vmber expaveſcere. Cicero ad Q. fratrem: *quo me libentius à curia & ab omni parte reipublicæ ſubtraho.* Sic conjeceram dudum, & ſcriptum poſtea in Put. duobuſque Medicæis inveni. Deinde omnes Gall. & Pall. *veram juſtamque mox in ſe verſuram poteſtatem horrebant.* non *exhorrebant.* Interpretare autem *verſuram* παθητικῶς pro *verſum iri.* Etiam quæ ſequuntur, parum integra veteres arguunt: *Stupenti ita ſeditioni quum vivere primo, mox etiam valere Scipionem certi auctores adferrent, tribuni militum ſeptem ab ipſo Scipione miſſi ſupervenerunt.* Primum omnes Gall. & Pal. unus: *Stupente ita ſeditione.* Deinde Put. *ſeptem a qui ab ipſo Scipione ſunt.* Pal. Men. *ſeptem qui ab ipſo Scipione ſunt miſſi.* Reg. *ſeptem miſſi ab ipſo Scipione.* Pet. *ſeptem qui ab ipſo Scipione.* Denique τὰ *miſſi ſupervenerunt* prorſus abolent Put. Pet. Reg. poſteriorem vocem etiam Men. & Pal. Non ſatis me expedio: conjicere tamen in re crepera licet. *Stupente ita ſeditione, quidam vivere primo, mox etiam valere Scipionem certi auctores adferunt tribuni militum ſeptem miſſi ab ipſo Scipione.* Vel, *ſeptem ad hoc ab ipſo Scipione miſſi.* Adſentior ibidem Sigonio ſcribendum: *P. Scipionem deum benignitate & populum Romanum eſſe gratiæ referendæ*: etſi omnes Gall. duoque Pall. *reipublicæ.* Vulgo, *rempublicam.* Non longe: *& miſſis circa ſtipendiarias civitates exactoribus ſtipendii ſpem propinquam facere..*

cere..

cere. Omnes Gall. *miſſi* & *fecere.* Non dubito *exactoribus* factum pro *exactoris*, ut habuit ſcriptura vetuſtior, & reliquiſſe Livium: *leniter agi placuit: & miſſi circa ſtipendiarias civitates exactores ſtipendii ſpem propinquam fecere.* Ab Rhenano eſt: *prater vulgatiſſimum à malis conſiliis receptum.* Antea legebatur: *prater unum tutiſſimum.* Vbi ſunt ſcripti, quos jactant editores? nam Put. Pet. Men. tres Pall. duo Medicæi, Barberin. *omnia circumſpectantes conſilia nihil reliqui habebant prater non tutiſſimum à malis conſiliis receptum.* Veriſſime: neque eſt ſane tutus admodum receptus permittere ſe alienæ vel iræ vel clementiæ. Quid enim ſcias, majoremne doloris ille vindicandi an gratiæ quærendæ cupiditatem habeat?

Cap. 26. *Conſilium de iis Cartagine erat*] Omnes Gall. *Carthagini.* Notatum dudum eruditis in Plauti Caſina: *At ego ajo hoc fieri in Gracia & Carthagini.* Noſter lib. 31. *magnam partem eorum palam Carthagini obverſari dici.* Servius ad quartũ Æneidos, *Tyria Carthagine qui nunc Exſpectat: Carthagine pro Carthagini, & pro adverbio in loco, de loco poſuit.* Quod ſi cogitaſſent viri docti, nõ negaſſent, puto, *Carthaginienſis*, analogia carere. Eſt enim id conceptum quaſi ab *Carthagini*, non *Carthagine*: notum autem I longum in hujuſmodi ἐθνικῶν formatione non ſemper elidi. Sic Latinus, Latini, *Latinienſis.* Cicero de haruſpicum reſponſis: *Quod in agro Latinienſi auditus eſt ſtrepitus cum fremitu.* Aventinus, Aventini, *Aventinienſis.* Valerius Maximus lib. 7, 3. *quiſquis eam Aventinienſi Dianæ immolaſſet.* Sic Carthagini, *Carthaginienſis.* Neque vero, qui *Carthaginienſium*, ſcribunt, id tantum faciunt Ennii auctoritate ſuffulti, ut ait vir doctus ad Curtium,

ſed.

ſed inprimis Columnæ Roſtratæ bello Punico primo ab Duillio conſule ſtructæ, ſed antiquiſſimorum codicum, inter quos inſignis ille Puteanæus, & quiſque vetuſtior, ſed Priſciani, qui plures lapides integrioreſque libros oculis uſurpavit, & ejuſdem analogiæ aliud exemplum dat in voce *Crotonienſis*. Quod confirmant codices Liviani lib. 29, 36, & lib. 22. extremo. Ibidem: *non metu modo omni, qui tacitus incidebat animis.* Put. reg. Men. τὸ *modo* ignorant: dein omnes Gall. & Pall. *inſidebat*. Iidem uno ſolo excepto: *per idoneos homines perducti in hoſpitia.* non *inducti*. Rurſum omnes: *exercitus, cujus ſimulabatur iter.* non *cui*, ut Rhenanus.

Cap. 27. *apud vos quemadmodum loquar*] Put. Men. *ad vos*. Et ſtatim: *quos ne quo nomine quidem.* Ibidem omnes Gall. duo Pall. *qui à patria veſtra deſciſtis?* Poſt paullo: *In caſtris meis (en quantum me opinio feſellit!) fama mortis meæ non accepta ſolum, ſed etiam exſpectata eſt.* Omnes Gall. & Pal. ſincerior: *In caſtris en meis (quantum me opinio feſellit?)* Cur tranſpoſuerunt? Alius quoque Pal. *In caſtris & meis.* nempe eodem digitum intendens. Hic iterum impegit Rhenanus, dum quid ſit *exſpectare mortem alicujus*, tanquam rem deſiderabilem, non cogitat. Terentius Adelphis: *Sineres nunc facere, dum per ætatem licet, potius quam ubi te exſpectatum ejeciſſet foras.* Et eadem fabula: *Illum, ut vivat, optant, meam autem mortem exſpectant.* noſter lib. 40. *Et deſtituta ſenectus aliis expectantibus ſuam mortem, aliis ne expectantibus quidem.* Cicero in paradoxis: *ſi teſtamenta amicorum exſpectas; aut ne exſpectas quidem, at ipſe ſupponis.* Rutilius Lupus de figuris ſententiarum: *Filius reſpondiſſet, non eſſe opus ſæpe eadem oratione moneri,*

neri, nec ſe patris mortem exſpectare. Idem Beatus nobilem comparationem maris & ſeditionum male tractavit, etſi fidere ſibi lectorem jubeat, neque ab ſe deceptum iri promittat. *Sed multitudo omnis, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, ut venti & auræ cient: ita aut tranquillum aut procellæ in vobis ſunt: & cauſſa atque origo omnis furoris penes auctores eſt, vos contagione inſaniſtis.* Sic edebatur olim: ſic omnis ſcripta lectio, nullis differentiis, niſi levibus & memoratu indignis. Vti (ne nos quoque nimis te velle nobis fidere putes) quod Put. *eſt & venti.* Pet. *ſed & venti.* Eam ſic, ut Medea Peliam, recoxit Rhenanus: *immobilis eſt ut venti & auræ cient aut tranquilli aut procelloſi: & cauſſa in vobis atque origo omnis furoris penes auctores eſt.* Miram licentiam, quum ipſe fateatur ſcriptum codicem ſuum tantum in hoc à vulgato divertere, quod τὸ *ita* non habeat. Nempe & hic una vacans ſyllaba primo ipſum decepit, poſtea omnes, qui crediderunt tam ſpecioſæ pollicitationi. Scribe τῷ *ut* deleto: *Sed multitudo omnis, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, venti & auræ cient: ita aut tranquillum aut procellæ in vobis ſunt.* Sermo quidem elegantiſſimus eſt, & ſcita brevitate. Omnis, inquit, multitudo eſt ſicut natura maris; hæc per ſe eſt immobilis, venti & auræ id commovent turbulentumque reddunt, &c. Scilicet, quid eſſet *tranquillum* non meminerat. Atqui Tertullianus vocat *mare de tranquillo probum.* Noſter lib. 24: *non tranquillo navigamus, ſed jam aliquot procellis ſubmerſi pœne ſumus.* Lib. 38. *inſita gentis tranquillitate quieſſe eos: poſteaquam flare ab Aſia Thoas & Dicæarchus cœpiſſent, tum illam tempeſtatem coortam, quæ ad Antiochum eos, ſicut in ſcopulum, intuliſſet.* Cicero pro Cluentio: *Ex quo*

quo intelligi potuit, id, quod ſæpe dictum eſt: ut mare quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitari atque turbari, ſic & populum Romanum ſua ſponte eſſe placatum, hominum ſeditioſorum, ut violentiſſimis tempeſtatibus, concitari. Statim Put. & omnes Gall. *vos contagione inſaniſtis. Qui mihi ne hodie quidem ſcire videmini, quo amentiæ progreſſi ſitis.* non *Quin*, ut vulgo. Et certe nos illud præferimus. Mox: *adverſus auſpicia ſub quibus militaſtis.* Optimi: *militatis.* Item omnes dicti: *avide credideritis: denique ego ſim.* Vt & duo Pall. omiſſo τῷ *is.* Et abſit ſane. Nec longe, quod malit Sigonius, Put. & omnes Gall. *ſederunt in tribunali P. Scipionis.* non *proconſulis.* Iidemque & unus Pal. duo Flor. cum Barberino: *lictor apparuit: ſummoto inceſſerunt: faſces cum ſecuribus prælati ſunt.* Alludunt duo reliqui Pall. & duo alii Flor. *ſummoti inceſſerunt.* Iam ante diximus *incedere ſummoto*, notabili ſermone, eſſe incedere præeuntibus lictoribus, qui turbam obviam ſummoverent. Lapis apud Gruterum: *Lucum. deæ. Diæ. ſummoto. aſcenderunt.* Præterivit hoc Lipſius 1. elector. 23, ubi lictorum munus illuſtrat. Vbi tamen & M. Senecam minus recte corrigere videtur in controverſia: Sacerdos proſtituta: *Procedente hac lictor ſummoveri videbitur: huic prætor via cedet: ſummum imperium conſules cedent tibi.* Reponit ille: *ſummovere jubebitur.* At ego lictorem non hic intelligo virginis, ſed prætoris aut conſulis, ſcribendumque exiſtimo: *lictor ſummovere vetabitur.* Hic eſt locus, qui ob oculos erat Salmaſio ſcribenti Euchariſt. parte priori cap. 1. *Submoto incedere magiſtratum* dicebant veteres, qui per turbam à lictoribus ſubmotam incederet. quam loquutionem olim Livio & Plinio reſtituimus. *per*

dimotum

dimotum incedere dixit Lactantius. Quod viri & rei cauſſa libentiſſime adjeci. Vulgo: *ſummovente eo inceſſerunt: faſces & ſecures prælatæ ſunt.* Denique eodem capite: *& inſuetos fœtus animalia edere.* Put. Men. *animalis.* Pet. Pal. *animales.* Nihil quidem muto: veterem tamen lectionem diſſimulare nolui.

Cap. 28. *nec cum Pyrrho nec Samnitibus*] Omnes Gall. meliorque Pal. *nec cum Pyrrho nec cum Samnitibus aut Lucanis hoſtibus populi Romani ſe conjunxerunt.* Pariter omnes: *Tuſcis veteribus cultoribus:* neque eſt vox poſtrema inſitiva, ut Rhenanus velit. Lib. 10. *Thuriæ redditæ veteri cultori.* Mox quoque ut & vett. editiones: *ſic Rhegium habituri perpetuam ſidem erant.* non *ſpem.* Rurſum Put. Men. *Sed horum quoque memoriam, ſicut patriæ meique, ejeceritis animo.* non *ejeceratis.* Et rectius puto. eſt enim non ſimplex adfirmatio Scipionis, ſed occupatio, quam rhetores vocant. Sit ita, horum quoque ſitis obliti: quæ autem via, quis exitus erat conſilii? Mox, ut Rhenani liber, omnes Gall. & Pall. præter unicum: *vos octo millia hominum, minoris certe omnes pretii, quam Albius & Atrius ſunt, quibus vos ſubjeciſtis.* Sane *minoris* genuinum puto, non *majoris.* Deprimit enim eos in comparatione cum reliquo exercitu, quicum ſe Novam Carthaginem *die uno* (ſic enim Put. Men.) cepiſſe, quicum quatuor imperatores, quatuor exercitus hoſtium fudiſſe, fugaſſe, Hiſpania expuliſſe dixerat. Minoris autem pretii erant ſuo ipſorum judicio, quippe qui Calenum & Vmbrum, tanquam præſtantiores, ſibi præpoſuerant. Qui vero illi? ſemilixæ, ut antea eos vocaverat. Nullo igitur genere cum cætero exercitu comparabiles evincit, quod voluerat. Ex Put. eſt: *ne iſtuc Jupiter optimus maximus*

mus ſirit. non *ſierit*, ut dictum ad lib. 1. Mox omnes Gall. duo Pall. *tot tam præclaris imperatoribus*: ubi vulgo: *tam claris.* *Septimium* quoque *Martium* facit & *M. Silanum* tum hic tum ubique optimus librorum; non *Septimum*, non *Syllanum*, & de utroque dicemus alibi. Neque illud ſanius reddunt Sigoniani: *quibus ſi omnibus ſuperiores eſſetis, arma tamen Pœnis contra patriam, contra cives veſtros ferretis?* Put. & Per. antiquior: *arma conpinxit.* Men. *arma compunxit.* Pal. *arma compinxit.* Alter Pet. duo Pall. & regius, ut prius vulgo: *arma contra patriam.* Scribe: *quibus ſi omnibus ſuperiores eſſetis, arma cum Pœnis contra patriam, contra cives veſtros ferretis?* Particula *tamen* eſt ex illis auxiliaribus adjectamentis hominum Liviani ſtili minus peritorum, qualia multa ejecimus.

Cap. 29. *ut iret ad oppugnandam patriam*] Put. *ut irataadoppugnandam.* Scribe: *ut ab ira ad oppugnandam patriam.* quam formulam auctoribus Rhenano & Lipſio jam ſæpius Livio reddidimus. Vocem autem *ira* requiri ex ſequentibus patet: *vos qui dolor, quæ ira invitavit?* Vbi Put. *qui dolorae uitae ira incit.* Cæteri Gall. unuſque Pal. *qui dolore vitæ ira.* Scribe: *qui dolor aut quæ ira incitavit?* Ibidem inferius: *de nullis enim, quam de vobis infeſtius aut iniquius conſuluerunt.* Put. *inicius.* Scribe: *inimicius.* quod & habent alii antiqui libri, & male Sigonius mutavit. Sic lib. 35. *neque Boji neque Hiſpani tam inimice infeſti erant Romanis, quam Ætolorum gens.* Sæpius duas has voces confuſas reperies, & alibi in Livio obſervavimus.

Cap. 30. *Hanno præfectus à Magone miſſus à Gadibus*] Mirum eſt omnes Gall. unumque Pal. referre: *præfectus Magonis.* Ibidem: *Quum hæc*

ad

ad Batim fluvium geruntur. Omnes Gall. *Dum hac ad Batim.* Latinius certe. Deinde: *Gades ſine certamine proditione recipiendi.* Sic Rhenanus, quum in ſcripto eſſet; *per ditionem recipiendi.* Sigonius: *per proditionem.* Noſtri omnes Gall. & Pall. *per deditionem.* Statim: *ſed patefacta immatura proditio eſt.* Iterum Gall. princepſque Pall. exſtirpant particulam *ſed.* Ibidem Put. *deprenſam rapido in freto.* Et in fine: *cæteraſque quas indepta eſſet, mulcaſſet.* Reddendum hoc verbum Ammiano Marcellino lib. 14. *Rectoremque ut ſibi judicio imperiali addictum calcibus inceſſens & pugnis commulcans, ſeminecem laniatu miſerando diſcerpſit.* Vulgo ubique; *conculcans.* Sed ne in Ammiano quidem fero, *conculcare pugnis.* Iſidorus in Gloſſis: *Commulcat, conculcat, collidit.* Idem: *Mulcat, pugnis vel calcibus cadit.* Appulejus: *indidem ſeſe multinodis commulcat ictibus.* Idem verbum in Livio lib. 29, 9, ubi & Lipſius reponendum monuit, agnoſcit optimus liber: *legatis prius indignum in modum mulcatis.* Nec dubito, quin reficiendum ſit lib. 3, 11. *qui obvius fuerat, mulcatus nudatuſque abibat.*

Cap 31. *ſpe in irritum redacta, qua veniſſent*] Et hoc eſt ab Rhenano ex vitiato codice. Put. & Pall. omnes Gallicique: *ſpem ad irritum redactam; qua veniſſent.* quo ego non tantum non offendor, ſed nec melius quidquam dici poſſe arbitror. Phraſin inferius illuſtrabimus.

Cap. 32. *eam, quæ ſola fuerit, fidem atque amicitiam*] Put. & cæteri Gallicani: *fidei atque amicitiae* Egregie. Varii ſunt tituli & formæ ſocietatum inter homines: eſt civitas, eſt conſanguinitas, affinitas, ſacrorum vel publicorum vel familiarium communitas, collegium, eſt etiam fœdus. Cicero in primo de officiis: *Gradus au-*

tem

tem plures ſunt ſocietatis hominum : ut enim ab illa diſcedatur infinitate, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur : interius etiam eſt ejuſdem eſſe civitatis. Arctior vero colligatio eſt ſocietatis propinquorum : ab illa enim immenſa ſocietate generis humani in exiguum anguſtumque concluditur. Et quæ ſequuntur prope divina. Mallem vero in citatis verbis nihil movere viros doctos : ita variatio illa magis decere videtur Tullium, quam ut omnia adjectiva ad unum ſubſtantivum referantur. Sic igitur ait Scipio, ex propioribus illis & præter immenſam illam ſocietatem generis humani nullam Romanis eſſe cum Hiſpanis, niſi quam hi ipſi ruperint, fidei & amicitiæ. Ibidem Put. reg. Men. *Quod ad expeditionem attineat, quæ inſtet.* inducto τοῦ *eam*, nec nos id deſideramus, ut libuit Rhenano.

Cap. 35. *Campus autem montibus circumſeptus erat*] Put. *Campus ante montibus circa ſeptus erat.* Priorem mutationem Gall. omnes alii, poſteriorem reg. & Men. utramque duo Pall. ſtabiliunt. *Ante* intellige à fronte caſtrorum. Statim : *rapta pleraque ex ipſorum hoſtium agris.* Gallici omnes abjiciunt *ipſorum.* Inferius : *deinde miſſis levibus telis.* Iidem & Pal. unus, *deinde emiſſis*, ut Sigonius contra Rhenanum. Iidem : *duæ ferme peditum partes, omnis equitatus :* ſpreta copulativa. Et mox invito Rhenano : *quod reliquum peditum erat, obliquo conſtituerunt colle :* Put. reg. Men. Pal. nempe barbari, qui nominativus non longe præcedit. *Conſtituerunt* autem eſt locaverunt, poſuerunt, ut alibi noſter, Cæſar, Salluſtius. Levia ſunt, ſed à Put. *averteret ab conſpectu tranſeuntium per colles equitum. neque ante circumductos.*

Cap. 34. *illos quidem merito perituros fuiſſe ipſo-*

rum maleficio] Omnis vetus lectio: *periſſe ipſorum*. Dixerat Rhenanus: Fortaſſis etiam legi poſſet: *perituros fuiſſe*. Id continuo neſcio quis in textum, & prope ſeculum per libros regnare paſſi ſunt editores. Exſpecto, ut quum apud Comicos legitur: *Perii, occidi, nullus ſum*: veniat, qui fortaſſis etiam legi poſſe cenſeat: *peribo, occidam, nullus ero*. Quomodo autem hic ferat, quod apud Ciceronem ſecundo de divinatione dicitur, *avem incluſam cavea & fame enectam in offam pultis invadere?* Quomodo apud Petronium: *æque laſſus ac moriens Aſcyltos?* Ibidem: *pecunia tantummodo imperata, ex qua ſtipendium militi præſtari poſſet*. Put. reg. Men. Pal. *ex qua præſidium militi*. Forte legendum: *ex qua reſiduum militi præſtari poſſet*. Nemo non intelligit ſtipendium ſubaudiri: & *reſiduas pecunias* alibi noſter: notaque ſunt *reſidua* juriſconſultorum noſtrorum. Eodem capite operatum vitium aliquot editiones fefellit: *præſidia urbibus impoſita forent*. Sic emenda, ubi impreſſum eſt, *viribus*.

Cap. 35. *ſed virilis ac vere militaris*] Put. reg. duo Pall. *ſed virilis vere ac militaris*. Statim: *& ætas erat in medio virium robore*. Put. & Men. carent τῷ *erat*. Et ſine eo integra oratio eſt: *adornabat promiſſa cæſaries, habituſque corporis non cultus munditiis, ſed virilis vere ac militaris, & ætas in medio virium robore*.

Cap. 36. *conductaque ibi Gallorum ac Ligurum*] Copulativa prior in Gallicanis omnibus deſideratur. Ex iiſdem Put. Men. *ſuperfuiſſet pugnæ aut fugæ quiſquam*. Statim: *dum ne hoſtes ſimul cum ſuis inrumperent*: Put. cæteri. *irrumperent*. non *erumperent*. Etiam Put. *incerto præ tenebris, quid aut peterent aut vitarent*. quod perperam mutatum vellet Sigonius. Alii *incertos*. Mox omnes:

omnes: *ad octingentos homines cæſi inter murum litusque, & ad duo millia armorum inventa.* Melius & expeditius quam vulgo. Servant quidem omnes *armatorum*, ſed omnino vere codex Rhenani *armorum*.

Cap. 37. *Excluſus inde ad Cimbin*] Mſs. fere *Cimbros.* Lipſius *Ambros.* Put. *Cimbios.* Mox Put. *abs conſcendentibus naves militibus.* Ibidem: *centum millia ferme à continenti (Pœni tum eam incolebant) trajecit: itaque claſsis bona cum pace accepta eſt.* Arguunt ſarcinatorum manum ſcripti. Put. *incolebant precititaque accepta eſt.* Nihil intermedii. Manus ſecunda priori *T* ſupra ſcripſerat *P* & τοῖς *QV* τὸ *T*: inde Men. & reg. *precipitate.* Scribe: *incolebant) trajecit, ibique acceptus eſt.* Non longe: *ubi commode hibernaturum ſe (& jam extremum autumni erat) cenſebat.* Omnes Gall. duoque Pall. *credebat*, quod arcuit Rhenanus. Propius finem Put. reg. Men. Pal. unus: *viris armis haud æque validam*: omiſſa copulativa.

Cap. 38. *victores exercitus in Hiſpaniam iviſſe*] Put. reg. Men. Pal. *iſſe.* Alii alludentes *eſſe.* Ibidem: *argentique præ ſe in ærarium tulit quatuordecim millia pondo CCCXLII.* Put. *decem quatuor*: dein: *trecentum quadraginta duo.* Nec longe: *deſpondebantque animis, ſicut C. Lutatius ſuperius bellum Punicum finiſſet.* Ab Rhenano eſt, nec ignoro quod lib. 4. habetur: *plebem ſecum trahere, haud dubium conſulatum ſpe ac favore deſpondentem.* Cicero ad Caſſium: *Exigua eſt ſpes reipublicæ: ſed quæcunque eſt, ea deſpondetur anno conſulatus tui.* Tamen quia plures & inprimis Put. *ſpondebantque*, veterem lectionem reſtitui. Nec paruimus eidem Rhenano in illis: *ut conſulatum inierunt, nominatæ conſulibus provinciæ ſunt.* Delet ille particulam *ut*, mutatque diſtinctionem:

ctionem : ſed omnes Gall. noſtri unuſque Pal. ſtant pro particula tenenda.

Cap. 39. *luctuoſius prope nobis quam vobis perierunt*] Put.reg. Men. *luctuoſius quoque nobis quam.* Mox : *ab Turdetanis veterrimis hoſtibus.* Put. reg. Men. *ab Turoiliſnos veterr.* Scribe: *ab Turdulis nos veterrimis hoſtibus, qui prioris quoque excidii cauſſa nobis fuerant, exſtingui poſſe.* Nam & ſic hi populi appellantur. Varro lib. 1. de r. ruſtic. 10. *Non omnis apta natio ad pecuariam, quod neque Baſculus neque Turdulus idonei; Galli appoſitiſſimi.* Tum: *conſulem declaratum vidimus, ac vidiſſe nos civibus noſtris renuntiaturi ſumus, ſpem, opem, ſalutem noſtram.* Optimi cum Andreanis Aldinaque: *videmus:* dein omnes Gall. duoque Pall. *ſpem omnem ſalutemque noſtram.* Etiam proxime: *ubique ex captorum numero excerptos Saguntinos in patriam remiſit.* Omnes Gall. Barberin. melioreſque Flor. & Pal. cum Sigoniano: *excretos Saguntinos.* Quid veriti ſunt admittere? Noſter lib. 9. *omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus conjecit.* Virgilius 3. Georg. *Multi etiam excretos prohibent à matribus hœdos.* Gratius Cynegetico: *jamque inde excernere parvos.* Columella, *excreta tritici*, & *furfures à farina modice excreti.* Curtius lib. 10. *Ceterum priuſquam excerneret, quos erat retenturus, edixit, ut omnes milites æs alienum profiterentur.* Ita Modius ex mss. & vellem non id faſtidiſſet poſtrema editio: nec diſſimulaſſet Gruteri codicum collatorem ad marginem notando, in uno Dan. eſſe *ſcerneret*, ſatis ſignificare in Pall. fuiſſe *excerneret*; quum eadem pagina in aliis varietatibus Bong. Dan. Pal. 1, 2, 3, hoc eſt, Bongarſianus, Danielius, Palatinus primus, ſecundus, tertius citentur. Nec multo poſt omnes Gall. optimuſque

muſque è Pall. *ut non modo nobis, (abſit verbo invidia) ne poſteris quidem noſtris timenda eſſet*: reſecto τῷ, *ſed*, quod mihi quoque eleganter abeſſe videtur. Sic in Statio lib. 6. Thebaidos: *ſolis abjecit in arvis Non regem dominumve, alienos impia partus.* Senſus enim eſt: abjecit in deſertis locis non, dico, regem, vel dominum, ſed vel alienos partus: & hoc ſatis impium eſt. Martialis lib. 7. epig. 51. *Major me tanto reverentia turbat, & aures Non auditoris, judicis eſſe puto.* Iterum omnes Gall. *quod nobis non tam fructu jucundius eſt quam ultione.* Parique conſenſu iidem: *ſimul gratulatum, quod ita res hos annos in Hiſpania atque Italia geſſiſtis.* Certe τὸ *per*, quod è vulgata excludunt, gratius eſt ſubintellectum quam adſcriptum hic quidem. Lib. 10, 21. *juſtitium remittitur, quod fuerat dies decem & octo.* Sic mss. nam vulgo ab Sigonio eſt: *per dies.* Sequitur: *ut Hiſpaniam non Ibero amne tenus, ſed qua terrarum ultimus finis Oceanus, domitam armis habeatis.* Verba Rhenani: Hic ſe exercuit ſciolus aliquis. Livius ſcripſit, quemadmodum atteſtatur archetypon Spirenſe: *qua terrarum ultimus finis Oceanus.* Subauditur, *eſt.* Deinde: ô caſtigatorem! Sigonius producit è ſuo, *ultima finis.* ut Virgilius: *Hæc finis Priami fatorum.* Abſit, ut tantos viros tam indigno nomine traducam: ſed profecto hac parte ſciolorum magis quam bonorum caſtigatorum operam ediderunt. Put. omneſque Gallici, optimus Pal. duoque Medicæi cum Barberino obtinent, quod ſuſtulit Beatus: *qua terrarum ultimas finit Oceanus.* Omnes autem omnino *finit.* Pudet pigetque huic rei tot verba impendi. Lib. 27. *& ipſum intervallum loci, quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, ſpatium dediſſe ad reſpirandum.* Mox Put. &

omnes Gall. *utique ſi vobis ita videretur.* quod flagitat Latinitas, non ſecus ac, *ſi vos permitteretis*, quod præceſſit. Eſt ibidem: *locus inde lautiaque legatis præberi juſſa, & muneris ergo in ſingulos dari ne minus dena millia æris.* Quatuor verba: *ergo in ſingulos dari:* expellit Men. tria, *ergo in ſingulos*, Put. regiuſque: neque his certe opus eſt ad ſenſum integrandum. Denique ſtatim: *Legationes deinde cætera in ſenatum introductæ auditæque. Et petentibus Saguntbinis.* Omnes Gallicani abjurant, *in ſenatum introductæ.* Et videntur ex alio loco irrupiſſe quum ſenſus conſtet, modo deleas particulam *que* ſæpe in optimo libro ſuperfluam.

Cap. 40. *neque aliter finiri id poſſe*] Et hoc eſt Beati. Omnes autem Gall. & duo Pall. *neque aliter id fieri poſſe.* Statim: *idque conſilium haudquaquam primoribus Patrum placeret.* Put. & reg. *id concilium haudquaquam primoribus Patrum cum placeret.* Nec diſſentiunt cæteri Gallici optimuſque Pal. niſi quod oggerunt, *complaceret.* Illam lectionem judico eſſe ſinceram. Etſi enim pendeat oratio ab illo: *Quum Africam novam provinciam:* tamen id tanto ante præceſſit, ut non inelegantcr illud *quum* repetatur. Et confirmant, quæ ſuperius de particulæ *ut* iteratione diximus. Rhenano de doctulo, ut loquitur, *opinionem* pro *opinatione* ſupponente fidem abrogant libri noſtri. Mox: *dum me non pœniteat adhuc aliorum ſpecioſiora primo adſpectu conſilia ſemper viſa, mea uſu meliora.* Particulam negandi omittunt Put. reg. Men. Nempe duo ſignificant, quod habet plane regius: *dum ne pœniteat, adhuc aliorum.* Sic omiſſo pronomine perſonam demonſtrante lib. 23, 12. *Quid eſt, Hanno? etiam nunc pœnitet belli ſuſcepti adverſus Romanos?* Vbi

male

male & contra optimos libros Sigonius: *etiam nunc te pœnitet.* Omnes verò: *ætas ſaltem liberet.* quod diſplicebat Rhenano, non nobis.

Cap. 41. *ne tuam quidem gloriam bono publico præponam*] Tres voces poſteriores abſunt à Put. reg. Men. Vide an ſine illis pati poſſis: *Illud te mihi ignoſcere, P. Corneli, æquum erit, ſi cum in me ipſo nunquam pluris famam hominum quam rempublicam fecerim, ne tuam quidem gloriam.* Vt per ἀποσιώπησιν intelligat, *pluris quam rempublicam faciam.* Vel lege: *ne tua quidem in gloria.* ſcilicet, *pluris faciam hominum famam quam rempublicam.* Incredibile eſt, quantum ejuſmodi, ut videbatur, lacunarum ſuppleverit in Livio ante ducentos circiter annos præpoſtera doctorum ſedulitas, quum rediret è ſitu primum in manus hominum. Oſtendimus in nonnullis quid modeſtior emendandi ratio valeat; ut in omnibus præſtemus idem, poſci à nobis non debet. Ibidem omnes Gall. *materiam gloriæ tuæ iſſe ereptum videri poſſet:* ut non multis ante verſibus quoque reſtituimus. non *ire.* Inferius: *Egregiam iſtam palmam belli Punici patrati petis? & natura prius eſt, tua quum defenderis, aliena ire oppugnatum.* Omnes Gall. & Pall. cum vett. edd. *petis? Hoc & natura prius eſt.* Nec faciunt ſecundas Rhenano Gallici noſtri copulativam tollenti illic: *Quid ſi (quod omnes dei omen* etc.) *& victor Annibal ire ad urbem pergat.* Statim: *Quid quod in Africa quoque Mars communis pars belli erit?* Auctoribus & Gall. & Pall. omnibus demeſſuimus importunam illam *partem,* quæ neque Andreanæ atque Aldina habent editiones. Potuiſſet ipſe ſermo Livio frequens hoc docere editores. Lib. 5. *Sergio martem communem belli fortunamque accuſante.* Lib. 7. *quicquid hinc aut illinc communis*

mars belli aufert. Lib. 10. *quamquam communis adhuc mars belli erat.* Lib. 30. *vim fortunæ martemque belli communem propone animo.* Lib. 37. *quum communis mars & incertus belli eventus eſſet.* Lib. 42. *qui belli caſus, quam incertus fortunæ eventus communiſque mars belli ſit.* Cicero ad Torquatum: *quum omnis belli mars communis, & quum ſemper incerti exitus præliorum ſint.*

Cap. 42. *Pacato mari præter oram Italiæ Galliæ vectus Emporias*] Placet, *præter oram*: nihilo minus Put. Pet. Men. *per oram.* Deinde optimus; *vectus in urbem ſociorum claſſem Emporiis adpuliſti.* Lib. 21. *Pyrenæoſque montes circumvectos Emporiis appuliſſet claſſem.* Deinde: *circa Iberum exercitus patris patruique tui poſt amiſſos imperatores ferociores calamitate ipſa facti: & dux tumultuarius quidem ille L. Martius.* Put. omneſque Gall. reſecant *facti.* Horatius: *Deliberata morte ferocior.* Deinde iidem cum duobus Pall. *ferociores & calamitate ipſa: dux, tumultuarius quidem ille.* Cur ſpernamus? Statim cum Sigoniano omnes: *& militari ſuffragio ad tempus lectus.* non *electus.* Inferius paullo: *Petere nos omnia, quæ proſpera tibi ac reipublicæ in imperio evenere, tuo conſilio adſignare; adverſa caſibus incertis belli & fortunæ legare.* Egregie ac vere Rhenanus, *in imperio:* etſi ſilentibus noſtris: ſed, *tibi ac populo Romano*, quod habent veteres editiones ſcriptique libri, ſine cauſſa mutatum puto. Lib. 29. *uti quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, ſociis nominique Latino bene verruncent.* Et deinde: *ea ut mihi populoque Romano in civitatem Carthaginienſium exempla edendi facultatem detis.* Poſt Rhenanus ex volumine antiquo profert *relegare*, & conjectat: *adverſa caſibus incertis belli* (ſubaudi, *adſignare*)

ſignare) & *ad fortunam relegare.* Sigonius ex ſuo libro propinat *allegare.* Miror quum emendandum contextum ſuccepiſſent, doctos viros adeo parum Livianæ phraſi cognoſcendæ ſtuduiſſe. Omnes noſtri libri nos deſtituunt : nam Gall. Pall. optimus, ut vulgo : ſecundus, *relegare*, tertius, *religare.* Neque tamen veriti ſumus ſtatim reponere: *adverſa caſibus incertis belli & fortunæ delegare.* Qua fiducia, inquis? Dicet Livius. Lib. 5. *ipſum dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque eo delegaſſe ad ſenatum.* Ibidem: *diſceptatio anceps ſenatui viſa delegata ad pontifices eſſet.* Lib. 6. *Hac inanium rerum inanes ipſas volventes cogitationes fortuna loci delegaverant ſpes ſuas.* Lib. 7. *vulgus aliud armatorum, velut delegata primoribus pugna, eventum ſuum in aliena virtute ponit.* Lib. 9. *obſidione delegata in curam collegæ, vacuus per agros cuncta infeſta commeatibus hoſtium fecerat.* Lib. 10. *ut omnis rei bene aut ſecus geſtæ decus dedecuſque ad L. Volumnium ſit delegatum.* Ibidem: *Samnitibus Galliſque delegata pugna, inter ipſum certamen Etruſci Vmbrique juſſi caſtra Romana oppugnare.* Et ſæpius. Auctor libri octavi de bello Gallico: *cauſſam peccati facillime mortuis delegari.* Putidi ſumus tamen tot loca deſcribendo? quid illi ex tot locis, quid Livium deceret, non obſervando? Eodem capite: *non quia reipublicæ id utile, ſed quia id amplum & glorioſum cenſes eſſe.* Novitiorum commentum, quum mss. & veteres editiones: *ſed quia tibi amplum & glorioſum.* Hoc quoque Ciceronis, Livii & optimorum eſt. Lib. 5. *ſibi amplum quoque eſſe, urbem ab ſe captam frequentari.* Lib. 8. *Eſt quidem nobis hoc per ſe haud nimis amplum.* Lib. 25. *mihi hoc imperium ut amplum judicio veſtro, ita re ipſa grave ac ſollici-*

tum eſſe. Lib. 30. *tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax.*

Cap. 43. *quam quod ea ſuſpicio, vitio orationis an rei,*] In Gemonias particulam *quod*, omnibus Gall. pariter & Pall. ignoratam, & ſenſui obſtantem. Vbi mens Glareani, quum aliquid deſiderari opinaretur, & pro hac ſententia gratiam ſibi deberi dictaret? Vbi Sigonii, quum defectum ſic ſuppleri putaret? Neutri equidem hic aliam gratiam debemus, quam qualem Fabius M. Livio Tarenti præfecto ferebat expenſam. An deeſſet aliquid, ſi dixiſſet: *Magis ille criminis hujus reum ſe facit, quam ego illum accuſare audeam?* Atqui hoc ipſum, ut nihil melius, veteri lectione opprimitur. Aliter hodie Latine balbutimus, aliter Livius loquebatur. Ibidem omnes Gall. & princeps Pall. *ſic ſenem ſe perſunctum & me infra ætatem filii etiam ſui poſuit.* Nec longe optimi: *Maximo cuique id accidere animo certum habeo, ut ſe non cum præſentibus modo, ſed cum omnis ævi claris viris comparent.* Præterea Put. *Illud nec tibi in me neu mihi in minores natu animi ſit.* ut & priſcæ editiones, citatque Rhenanus. Vulgatæ: *nec mihi in minores.* Inferius: *Nihil igitur me iſto exemplo terrueris.* Put. *me iſtota exemplo.* Lege: *me iſto tu exemplo.* Denique optimi: *quoniam Græcas fabulas enarrare vacat.*

Cap. 44. *an tuos uri exſcindique videas*] Put. delet copulativam. Recte. Ibidem Put. omneſque populares ejus: *Ad hoc nos etiam deſerti ab ſociis.* Statim Pall. omnes Pet. Men. *Carthaginienſi nihil civilis roboris eſt.* Put. ut ſemper, reg. melioreſque Petav. & Florentini: *Carthaginienſi.* Cur mutemus? an abſurdum eſt intelligi *populo?* Rhenanus de conjectura, *Carthagine.* Nec male, ſed quid opus interpolare? Ejuſdem divinatio eſt: *ut veriturus*

turus perfidiam ſim. Put. *quorum ego fidei ita perfidia ita innitar, ut bene tutus à perfidia ſim.* Duabus ſuperfluis vocibus, *ita perfidia*, reſectis nihil hic video, quo offendar, aut cur neſcio quos ſemidoctos accuſem. Omnes alii Gall. Pall. Florentini aut prorſus ita, aut omiſſis quæ delenda dixi, de cætero nulla obſervanda differentia. Poſſes tamen legere: *quorum ego fidei ita provide innitar, ut bene tutus à perfidia ſim.* Mox egregie Put. reg. tres Pall. *Habebo, Q. Fabi, parem, quem das, Annibalem.* non *parem quidem Annibalem*, ut edebatur. Deinde, ut Lipſius: *& Carthago præmium victoriæ erit, quam ſemiruta Bruttiorum caſtella:* omiſſo τῶ *potius* Put. reg. Men. Statim Put. *dum expono exercitum in Africa.* non *Africam.* Idem etiam cum omnibus cæteris Gall. Pall. Medicæis melioribus, Barberino: *Requieſcat aliquando vexata tam diu Italia: uratur evaſteturque in vicem Africa.* Rhenanus ſubſtituit ex ſuo evidentiſſimum gloſſema: *populeturque:* quod verbum interdum paſſive accipi ſero nos docet. Lib. 32. *quæ ſpoliaſſet evaſtaſſetque, pro incorruptis reſtitui.* Denique omnes Gall. *neutrum faciam P. C. & ſi ulla alia re, modeſtia certe & temperando linguæ adoleſcens ſenem vicero.* Solus Pet. *nulla.* Pall. quoque habent *temperando.* Vtraque emendatio veriſſima. Spectabat enim multis aliis quoque, vel potius omnibus rebus, ſeſe ſuperaturum gloriam Fabii: tam mares gerebat ſpiritus Scipio, non ex invidia aut vanitate, ſed ex vera conſcientia verarum inſitarum ſibi virtutum, & eorum, quæ jam geſſerat, reſpectu. id quod tota hæc oratio clamat. Ergo, *ſi ulla:* nam alterum eſt magis deſperantis aut deſperationem præ ſe ferentis. Iam *temperando linguæ* magis eſſe Latinum quam *temperamento linguæ*, quis velit diffiteri?

Cap. 45. *quod ſi in meam ſententiam diſcedatur*] Omnes Gall. *quod eſt in meam.* Scribe: *quod etſi in meam ſententiam.* Ibidem: *ſtari eo quod ſenatus cenſuerit, placet: nec de ea referre ad populum patiemur.* Omnes Gall. *cenſuerit ferri, placet:* extra unum Men. in quo: *quod ſenatus cenſuerit fieri, placet.* Atque ita puto ſcribendum, etſi plane vox hæc abeſſe poſſit. Deinde iidem cum priſcis edd. *nec de ea referri ad populum patiemur.* Clare etiam omnes unuſque Pal. *& ceteris prater conſules pratoreſque, qui exercitibus provinciiſque prafuturi erant, prorogata imperia:* ut Sigonius, cui obtemperaſſe editores oportuit. Mox: *Q. Cacilio ſorte evenit.* Optimus: *ſorti.* Vt Virgilius: *cecidit cuſtodia ſorti.* Ibidem: *Volaterrani armamenta navium & frumentum.* Put. omneſque Gallici, omnes Medicæi (ad ſex aut ſeptem hoc loco inſpeximus) duo Pall. Barberinus: *Volaterrani interamenta navium.* Poteſt videri *interamentum*, ut & *interamen*, ab *interare deduci.* Gloſſarium: *Interata* ἐξεντερισθέντα. Ejus compoſitum *exenterare.* Et *interior* oſtendit fuiſſe aliquando *interus*, ut *ſuperior*, *ſuperus*, *ſuperare.* Etiam veteres *interatim* dixiſſe pro *interim* teſtis eſt Feſtus. Vix tamen putem *interare* veteres uſurpaſſe: quum & *externare* quam *exterare* maluerint, & *exenterare* potius dixerint à Græco ἔντερα quam *exinterare.* Tertius Pal. diſerte exhibet: *inceramenta navium*: quod etiam atque etiam vide annon præſtet. Naves cera piceque oblini & oblitas olim fuiſſe notum eſt. Hinc Iulius Pollux inter τὰ τῶν ναυπηγῶν ponit πισσοῦν & κηροῦν. Plinius lib. 16, 11. *Zopiſſam*, ait vocari deraſam navibus maritimis *picem cum cera.* Vegetius lib. 5. de re militari cap. 14. *ardentes ſagitta per baliſtas in hoſticarum navium alveos infiguntur, inunctaſque*

que cera & pice & reſina tabulas tot fomentis ignium repente ſuccendunt. Eam mixturam picis cum cera una voce κηρὸν dicunt Græci. Arrianus in periplo Ponti Euxini: ἀλλὰ καὶ οἱ ἧλοι καὶ ὁ κηρὸς ἀπεξύσθη ὡς μηδενὸς ἄλλου, ξύλων δεῖσθαι ναυπηγησίμων εἰς τὴν κατασκευήν. Et Latini *ceram*. Vegetius lib. 5, 7. *Colore Veneto ceræ etiam, qua ungere ſolent naves, inficitur.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. *tenues ſubiere latentia ceræ Lumina.* Et iterum: *fiſſaque fluctu Vel pice vel molli conducere vulnera cera.* Ita enim legimus cum ſcripto Oxonienſi. non *concludere*, ut vulgo. Carrionis etiam codex habuit *conducere*. Quod verbum, infit ille, neſcio an ſatis huic loco conveniat. Convenit utique, quum proprie cera dicatur *induci*: eleganter igitur & coeuntes inducta ceræ rima dicuntur *conduci*. Ovidius undecimo metam. *ſpoliataque tegmine ceræ Rima patet.* Lucianus in dialogo Charontis & Mercurii: καὶ κηρὸν, ὡς ἐπιπλάσαι τοῦ σκαφιδίου τὰ ἀνεῳγότα. Hinc & *ceratæ naves*. Ovidius in epiſt. Oenones: *ſectaque trabes & claſſe parata Cærula ceratas accipit unda rates.* Idem lib. 14. met. *fert ecce avidas in pinea Turnus Texta faces, igneſque timent, quibus unda pepercit. Iamque picem & ceras alimentaque catera flamma Mulciber urebat.* Hunc igitur κηρὸν Livius vocat *inceramenta*, quippe quo *incerantur* naves. Neque enim ignotum illud Iuvenalis: *genua incerare deorum.* Servant hodieque verbum utrumque in vernacula ſua Itali. Si quis tamen per *interamenta navium* intelligere malit aut τὸ μεσσάτατον νηὸς aut ſtuppam & quidquid infercitur ſive vaſis componendis ſive navium rimis: quæ ſunt interpretationes amicorum noſtrorum: (alterius, quem longiſſime ſequor & veſtigia ſemper adoro; alte-

rius cujus naſcéti famæ flagrantiſſime ſtudeo) per me liberam optionem habeat. Mox Put. *Arretini* ∞ ∞ ∞ *ſcutorum.* id eſt, *tria millia*, non *triginta millia*, ut editur. Etiam Regius: *III.* Poſt paullum omnes Gall. *Vmbriæ populi & præter hos Nurſini & Reatini & Amiternini.* Vbi iterum de nihilo vaticinatur Rhenanus, quæ piget referre.

Cap. 46. *Metello quibus præfuiſſet, legionibus iis præeſſet*] Put. reg. duo Pall. *Metello, ut quibus.* Tertius: *Metello autem, ut quibus.* Dein tria poſtrema verba nullo in Gall. conſpiciuntur. Vnde ſuſpicor duo ex iis eſſe ſpuria, tertium adfinitate literarum evanuiſſe, & ſcribendum: *Metello, ut quibus præfuiſſet, præeſſet (facilius cum adſuetis imperio rem geſturum ratus) permiſit.* Mox quod immutavit Rhenanus: *ut Campani cives, ubi cuique ex ſenatuſconſulto liceret habitare, ibi habitarent:* quaſi de compacto omnes Gallicani, quorum fides apud me paullo major, quam illius, qui Rhenanum circumduxit. Iidem conſenſu: *montanos inſtituit oppugnare.* non *inſtitit.* ut Beatus. Haud ignoro lib. 24. legi: *Fabius ab Sueſſula profectus Arpos primum inſtitit oppugnare.* Et apud Curtium lib 9. *rurſus aliam partem ſecare inſtitit.* Et hujuſmodi permulta. Sed quum utrumque bonum ſit, prævalere debet vetuſtiorum atque integriorum librorum auctoritate quod eſt fultum. Noſter lib. 29. *Conſules dilectum habere inſtituerunt.* Cæſar lib. 7. de bello Gall. *Ille oppidum Biturigum poſitum in via Noviodunum oppugnare inſtituerat.* Idem lib. 3. de bello Gall. in fine: *qui longe alia ratione, ac reliqui Galli, bellum agere inſtituerunt.* Sic præſtantes Andinæ membranæ. Vulgo olim: *bellum gerere cœperunt.* Doctiſſimorum virorum editio: *gerere inſtituerunt.* Nempe unum deerat. Phraſin illuſtravimus in Obſerva-

tionibus

tionibus editis. Rurſum Cæſar lib. 5. *delectum habere inſtituit.* Et, *facere pontem inſtituit.* Lib. 7. *directiſque operibus, quæ facere inſtituerat.* Hinc, ut liber Rhenani, Put. & omnes Gall. *oreretur, curam ingentem accendit Patribus.* non *accenderunt.* Itaque ut reſpondeat oratio ſuperior, de conjectura ille: *Ea res literis cognita.* Sed nuſpiam τὸ *res* invenimus. Senſus tamen hujuſmodi quid requirit, niſi τὸ *Ea* velis referre ad *fama* ex illis quæ præcedunt: *Et creſcebat exercitus indies ad famam nominis ejus Gallis undique confluentibus.* Mox: *ut ſi è republica cenſeret eſſe, duas urbanas legiones, cui imperio videretur dato, ex urbe duci juberet.* Nulli habent τὸ *duas.* Præterea etſi nihil in his verbis mutent, commodius tamen erit: *legiones, imperio, cui videretur, dato, ex urbe.* Statim: *Eiſdem diebus naves onerariæ Pœnorum.* Hic *onerarias.* Men. deinde: *præerat captas.* Put. reg. Men. Præterea inferius, ubi vulgo: *Carthaginem portantes captas tradit:* omnis manus veterum: *Carthaginem perportantes tradit:* expuncto τοῦ *captas.* Neque habent priſcæ editiones ante Rhenanum, qui, ut fatetur ipſe, illud inſeruit. Ego vero his omnibus perpenſis deleto ſuperfluo pronomine, *Eas,* ita ſcribendum & utramque periodum connectendam exiſtimo: *Eiſdem diebus naves onerarias Pœnorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciæ præerat, captas, Cælius frumento miſſo ad Annibalem commeatuque onuſtas, Valerius prædam Etruſcam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem perportantes, tradit.* En rotundiſſimam & prorſus Livianam periodum! Quum librarius hæſitans, *captæ* acciperet an *captas*, utramque lectionem breviter poſuiſſet, ut adſolet fieri in ſanctioribus codicibus: *captacas*; fecit aliquis exinde: *captae cas.*

Sic lib. 29, 7. *omnibus ad oppugnationib. emparatis* optimus liber, pro, *oppugnationem paratis.* Ne quid tamen diſſimulem, ille antiquiſſimus omnium: *porportantes.* itaque poſſis ſuſpicari, per errorem librarii primam vocis ſyllabam repetitam eſſe. Sed Reg. Pet. Pal. Men. *perportantes.* Neque video, cur *perportantes*, perinde ut *perferentes* dici non poſſit. Sic & *perpopulari* amat: ſic *perpacata loca*, ſic *percuratum vulnus*. Subjungitur: *In Bruttiis nihil ferme anno eo memorabile geſtum eſt.* Verbum ſubſtantivum (ut ſæpe alias, ubi facile intelligitur, non exprimitur) exulat Put. omnibuſque Gallicanis.

AD
LIB. XXIX.

CAP. 1. *ex iis trecentos juvenes.*] Et Glareanus hic nodum quærit in ſcirpo, & Sigonius fruſtra ſubtilis. Neque enim *ex iis* eſt præter eos, ut τὸ *iis* referatur ad *centuriatos*. Sed *ex iis*, puta *voluntariis*, habebat trecentos inermes, quos non centuriavit: quos ſtupidus ſit oportet, qui dubitet an fuerint alii præter centuriatos. Hoc ergo non exprimitur, neque opus eſt, ut communis ſermo hominum paullo conſideratius loquentium prodit. Fruſtra etiam morantur in illo lib. 6, 1. *In primis fœdera ac leges (erant autem ea duodecim tabulæ & quædam regiæ leges) conquiri, quæ comparerent, juſſerunt. Alia ex eis edita etiam in vulgus: quæ autem ad ſacra pertinebant, à pontificibus maxime, ut religione obſtrictos haberent multitudinis animos, ſuppreſſa.* Glareanus

quærit

quærit quæ *alia*, cum poſſit referri tam ad *fœdera* quam ad *leges*. Sigonius iterum, *ex eis*, explicat, præter regias leges & duodecim tabulas. Immo alia condita & ſtatuta legibus ex eiſdem ſunt in vulgus edita: quæ religionem ſpectabant, partim à Numa & Ancó publicata, partim in duodecim tabulas relata, mutilarunt vel potius tota ſecreta habuerunt pontifices, ut ab ſe peterentur, non promiſcue noſcerentur. Exemplum eſt in illis, quæ de Cn. Flavio in libro nono extremo referuntur. Nimis curioſus eſt Glareanus, qui putat ea Livio exponenda fuiſſe, & de neſcio quibus Bacchicis ſuſpicatur ſacris. Erant patria & publica, ad quæ cives religione erant obligati; eorum è propatulo ſumendorum poteſtatem plebi negarunt pontifices, ſed edocendorum per partes & opportuna tempora jus auctoritatis ſuæ firmandæ cauſſa ſibi ſervarunt. Neque vero auſus eſt quiſpiam ſupponere pro *inſignes*, *inermes*, ut ariolatur Rhenanus: ſed omnes Gall. Pall. Medicæi, Barberinus: *ex iis trecentos juvenes, florentes ætate & virium robore, inermes circa ſe habebat.* Ergo veterem lectionem repoſuimus: nam alterum, *inſignes*, deprehendimus tantum in duobus recentiſſimæ manus: *robore inſignes inermes.* Quod adjectum ab illis, qui non videbant τὸ *robore* æque pendere ab τῷ *florentes*. Narrat idem paullo aliter Valerius Maximus lib. 7, 3. Videtur autem Scipio id conſilii cepiſſe ab Ageſilao Lacedæmoniorum rege, in cujus vita Plutarchus: *Ἀναχωρήσας εἰς Ἔφεσον ἱππικὸν συνῆγε, τοῖς δ' εὐπόροις προειπὼν, εἰ μὴ βούλονται στρατεύεσθαι, παρασχεῖν ἕκαστον ἵππον ἀνθ' ἑαυτοῦ καὶ ἄνδρα. Πολλοὶ δ' ἦσαν οὗτοι, καὶ συνέβαινε τῷ Ἀγησιλάῳ ταχὺ πολλοὺς καὶ πολεμικοὺς ἔχειν ἱππεῖς ἀντὶ ψιλῶν ὁπλιτῶν.* Levia ſunt ibidem: *ſibi*

jam

jam tum fateri, quam poſtmodo querentes: item: *ſi ſibi, utrum velit, liberum eſſet, nolle militare: tum Scipio ei, Quoniam igitur adoleſcens*. Conſenſum tamen Gall. ſpernere noluimus. Mox quod confirmat probatum nobis, *inermes*, iidem cum Pall. ut Lipſius: *docendum cures equo armiſque*. Cicero ad Pœtum: *Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen*. Ibidem Put. reg. Men. duo Pall. cum Sigoniano: *eoque enixius ad bellum adjuverunt*. Omnes etiam Gall. *eo nec in Hiſpania cæſis Scipionibus, alium quem mitterent*, nempe eodem, *habuiſſe*. Pariterque: *trepida omnia, ut inconditam turbam tironum, eſſe*. Olim erat: *& inconditam inde turbam*. quam particulam ſuſtulit Rhenanus, nec agnoſcunt eam noſtri. Poſſet legi; *ut incondita in turba tironum*. Syphax de Numidis in militiam adſcriptis lib. 24. *omnia, velut forte congregata turba, veſca ac temeraria eſſe*. Sed nihil opus mutare veterem lectionem. Illic comparatio mera eſt cum turba forte congregata: hic rei, ut ſe habet utque ſemper habere ſe ſolet, explicatio. Vſus particulæ ſingularis, nec Livio infrequens. Lib. 24, 45. *fama per totam urbem vulgata tumultum, ut principe amiſſo, fecit*. Sic Put. & Petav. melior. Idque ſignificant alii, in quibus, *ut pro principe*, vel *pro ut principe*. Lib. 25, 20. *Annibal non Capuam neglectam, neque, ut tanto diſcrimine, deſertos volebat ſocios*. Ita conſenſu omnes & Gall. & Pall. non *in tanto*, quod editur. Hoc lib. 29, 51. *ſi quis arceat, ut quod maxime opus ſit, acie dimicaturum*. Sic Put. reg. Men. Pal. optimus. Dubitet aliquis an huc referri debeat ex lib. 28, 5. *Ne ex regno quidem ipſi ut tranquillæ nuntiabantur res*. Sic Put. & omnes Gall. non *ipſius*. Ego non inſuper habere tot ſuffragia velim. Sic & eodem libro, c. 24. Put. reg. Men.

Men. *tribunos contagione furoris haud expertos ſeditionis defectioniſque rati fore ut jura reddere in principiis ſinebant.* uti diximus illic. lib. 36, 41. *Annibal unus cujus ut maxima apud regem auctoritas erat.* Sic Mss. & vett. ed. Vulgo deeſt. Denique hoc capite omnes Gall. *Hæc aliaque dicendo.*

Cap. 2. *Primo per legatos nequidquam eſt tentatum*] Verbum *eſt* ignorant omnes Gall. Iidem mox: *dein cum in pabulatores Romanos.* Ibidem operarum vitium eſt, *cornu dextrum Illergetes.* nam Mss. ut Rhenanus, *cornua.* Inferius: *quæ prior in dehiſcentem intervallis hoſtium aciem equites immiſiſſet.* Omnes Gall. & duo Pall. *emiſiſſet.* nempe ex ſua acie. Vt paullo ante: *qua equitatum, ubi tempus eſſet, emitterent.* At error eſt Rhenani in illo: *equites per patentes in hoſtium acie vias permittere equos jubeat:* quod ſupponit *immittere.* Nam eodem ſignificatu eſt, quo apud Gratium notavimus in Obſervationibus. lib. 9. *infeſta cuſpide ita permiſit equum, ut uno ictu exanimem equo præcipitaret.* Lib. 30. *Primo barbari ſegnius permittere equos, deinde ſtare ac prope turbari.* Et recte profecto ſcripti codices apud Martialem lib. 10. ep. 12. *Æmilia gentes & Apollineas Vercellas, Et Phaetontei, quæ petis, arva Padi, Nec vivam, niſi te, Domiti, permitto libenter.* Vt Gruterus quoque animadvertit. Doctis qui vident, *præmitto,* invitis vett. libb. legendum, non invideo: ſed næ illi duobus plus oculorum habent ſi videre poſſunt ex hoc epigrammate, Martiali aut ſpem aut ex ſpe votum fuiſſe Domitium ſequendi. Latinius exquiſitiuſque altero: ſed ut allegavimus, *quæ petis*, non *qui petis*, eſt ſcribendum. Pertinent enim illi caſus accuſativi, *gentes*, & *Vercellas* & *arva* ad verbum *permitto,* intel-

intellecta præpoſitione: hoc, credo, dum non vident docti viri, nimium eos vidiſſe. *Permittere ad locum, in urbem, in hoſtem* dicimus, ut, *ire, proficiſci*: ſed quia *Vercellæ* appellantur, nomen videlicet oppidi, in qualibus regulariter ſubauditur prævocabulum, non apponitur, pariter & ad cætera intelligit. Vt in illo: *Lavinaque litora venit*, &, *Devenere locos.* Ne vivam Domiti, niſi libenter te permitto Vercellas & in gentes Æmiliæ viæ inque arva Padi, quæ petis. De hoc certior ſum, quam de illo quod ſequitur apud Livium: *cedenti duodecimæ legioni, quæ in lævo cornu adverſus Illergetes locata erat.* Hæc Rhenani codici lectio debetur: nam antea habebatur una voce auctius: *locata prona erat*: quod nos in uno tantum ex Medicæis, valde recenti invenimus. Nam alter etiam non nimis annoſus: *loca prona erat.* Duo optimi cum Barberino, duobus Pall. Petav. regio, Menar. *adverſus Illergetes prona erat.* Put. omnium princeps: *adverſus Illergetes roga erat.* Manus ſecunda adjecerat interlineares à principio *P* & ſupra *G* virgula transfixam *N*, unde cæteri illi *prona.* Nondum video quid melius illo, quod Beato debemus. Mox Put. *jam miſſum eſſe ab ſe Cornelium Servium.* Neque inſolens illud Livio, prænomina poſtponere interdum. Denique Put. omneſque Gall. cum opt. Pal. *Decem tria millia Hiſpanorum.*

Cap. 3. *in auctores belli Indibilem cæteroſque*] Omnes Gall. *auctorem.* Mox iidem cum duobus Pall. *belli concitores*, non *concitatores*, ut diximus. Item: *Ibi Mandonius cæterique principes comprehenſi & traditi ad ſupplicium. Hiſpaniæ populis reddita pax.* non *Hiſpanis.* Etiam Put. *& frumentum ſex menſum imperatum.* Vt & infra cap. 5. *duorum menſum.* non *menſium.* Et iſto modo non

non ſemel Ovidius, notante etiam Priſciano. Sic in cõtrarium idem vetuſtiſſimus liber habet *principium, ſupplicium, civitatium*, de quibus etiam Priſcianus lib. 7. Inferius omnes: *ſtratiſque tot hoſtium* (ſic & Put.) aut, *totque ſtratis*. Placeret conjectura Rhenani: *ii verſa ſorte Africæ populationes & obſidionem Carthaginis viſuri forent*: ubi vulgo, *verſo Marte*: ſi parum juvarent ſcripti. Sed illi tenent omnes vulgatum. Lib. 31. *verſaque momento temporis fortuna pugnæ eſt, terga dantibus, qui modo ſequuti erant*. Sub finem Put. *nec conjungere ſeſe Annibali*.

Cap. 4. *Summam belli molem adhuc in Sicilia eſſe*] Liber optimus omnium: *ſummae belli molum*. Scribe: *ſummæ belli molem adhuc in Sicilia eſſe*. Inferius: *Ad hæc magna pecunia*. Idem: *Ad hoc*, ut ex ſuo Rhenanus. Mox: *Hæc Carthagine parabant agitabantque, quum ad Lælium*. Particulam *quum* adjecit Rhenanus in Put. reg. Men. & optimo quoque deficientem. Nec ſi diſtinctionem mutes, ea opus eſt. Statim omnes Gall. *quod tum non jam exercitum*. Dein pari conſpiratione *quem incertum habere*: non, *certum haberet*. Emenda: *Syphace impedito finitimis bellis, quem incertum hærere; ſi ſpatium ad ſua, ut velit, componenda detur, nihil ſincera fide cum Romanis acturum*. Senſus apparet, nunc etiam ambiguum eſſe, & conceptas inimicitias diſſimulare. Videtur ortum mendum ex antiquiſſimo codice, in quo & lib. 30, 10. *onerariam habentem*, pro *hærentem*, legitur. Adde hunc locum ad illa, quæ notavimus de orationibus infinitivis ad lib. 1.

Cap. 5. *Quanto exercitu id bellum gereretur*] Omnes Gall. duo Pall. vetuſtæque edd. *geratur*. Inferius: *occulte ad eum à Gallicis populis mitteban-*

bantur. Put. reg. Men. *Gallis*. Mallem tamen, *à Galliæ populis*. Ibidem omnes Gall. *& ipſe in eadem regione circa Ariminum Italiæ præſidio futurus*, non *ſtatione*.

Cap. 6. *Spes autem adfectandæ ejus rei ex minima re affulſit*] Quo magis conſidero, eo minus placet illa *res* tam prope *minimam rem*, & mox *gerebantur res*. Hoc tamen prædico: ſervant ita libri omnes, neque adverſus pertinacem contendam. Nimis tamen ſuſpicor primum illud *rei* inſititium eſſe. Dixerat Livius: *intervenit majori minor cogitatio, Locros urbem recipiendi*. Subjungit: *Spes autem adfectandæ ejus ex minima re adfulſit*. nempe cogitationis, ſeu cogitatæ rei. Nam hoc eſt *cogitatio*, ut *deſtinatio* pro re deſtinata, *venatio* pro re venando capta, & ſimilia multa. Quæ ſequuntur, Rhenani & Sigonii libri vexant, atque illis hi imprudenter manum & aures præbent. Prior, *quia latrociniis:* alter, *quod latrocinii magis more:* quorum utrumque haud dubie à mala manu. Noſtri omnes tum Gall. tum Pall. & *quod* & *quia* ignorant, neque injuria: ſed omnes quoque *latrociniis*, ut editur. Deinde iſte truncus: *principio Numidis, non ſocietate magis Punica, quam ſuopte ingenio promtis in eum morem*. Qua labe etiam unus è Pall. fœdatus. Duo reliqui, omnes Gall. Florent. Barberinus, ut ante Rhenanum publicatum erat: *principio ab Numidis facto & Bruttiis, non ſocietate magis Punica, quam ſuopte ingenio congruentibus in eum morem*. Nuſpiam *promtis*, niſi in uno non ſummi pretii: id quod tamen ceu unicam gemmam ex Beati mangonio, cæteris ſpretis, editores receperunt. Nobis potior auctoritas tot codicum, & meminimus illorum: lib. 3. *Omnes ea res in unum congruentes haud dubiam damnationem Volſcii*.

ſcii faciebant. lib. 25. *conſilium advocatum, omniumque in unum congruerunt ſententiæ.* Quodque apud Senecam lib. 6. natur. quæſt. cap. 1. *& propoſiti operis contextus exigit, & ipſe in hoc tempus congruens caſus.* Totum igitur locum ita ſcribimus: *Spes autem adfectandæ ejus ex minima re adfulſit. Latrociniis magis quam juſto bello in Bruttiis gerebantur res: principio ab Numidis facto, & Bruttiis non ſocietate magis Punica, quam ſuopte ingenio congruentibus in eum morem.* Sequitur: *poſtremo Romani quoque milites.* Vocem ultimam Put. reg. Men. duo Pall. jubent aboleri. Mox omnes Gall. & Put. *Ab iis egreſſi quidam urbem Locrenſes.* Vt alibi, *excedere urbem.* Lib. 22. *cuſtodes præterea ad portas ponant, qui prohibeant quemquam egredi urbem.* Et ſic defenditur apud Tacitum lib. 11. annal. 28. *dum hiſtrio cubiculum principis exſultat, hero dedecus quidem illatum, ſed exſcidium procul abfuiſſe.* Hiſtrionis eſt ſaltare fabulam: eo alludens egreſſum ejus è cubiculo principis ſpolio matronalis pudoris ſuperbum ita circumſcribit, *exſultare cubiculum.* Sed ubi alias apud Tacitum, gravioreſque auctores principi *heri* datur cognomentum? Certe non Comicorum tantum vox eſt *herus*, ſed graviorum etiam auctorum. Quis gravior Cicerone in libris de Officiis? ille tamen lib. 2. *Sed iis qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia, ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt.* Quis Statio in Thebaide? is tamen in quarta: *& arma Mirantem gravioris heri.* Ne ſit igitur mirum apud Tacitum graveſque auctores familiares ſervilis conditionis aut non multo melioris ſcapham ſcapham dicere, hoc eſt, heros ſuos *heros* appellare. Dixerat Tacitus: *Igitur domus principis inhorruerat*, hoc eſt, familiares, etiam ſervi honeſtio-

neſtio-

neſtiores, *maximeque quos penes potentia*, celebres nimirum iſti liberti: horum igitur ſermones format Tacitus: hi Claudium *herum*, non qua principem, ſed qua ſervi cum maxime, aut paullo ante ſervi nuncupant. Itaque lecta vox hæc accuratiſſimo ſcriptori, ut oſtendat, quod genus hominum in iſta domo, in qua toto anno Saturnalia celebrabantur & mancipia imperabant, partem præcipuam habuerit: quomodo vocare eos deceret illum, cujus non modo conſilium participabant, ſed & conſilium, &, ut ita dicam, magiſterium erant. Et eſt ſane maximi viri ad pallium Tertulliani hæc emendatio, quam non opus erat, ut neſcio quibus aliis adſcriberent: niſi forte poſtrema illius tractationis non legerant. Sequitur iterum locus, in quo culpanda venit Rhenani præceps mutatio. Put. Pet. melior, reg. duo Flor. optimi clare: *ii cogniti ab Locrenſium principibus, qui pulſi ab adverſa factione, quæ Annibali Locros tradiderat, Rhegium ſe contulerant, quum cætera*. Men. Pal. optimus, Barberinus, eodem modo, niſi quod, *principibus pulſis*, omiſſo pronomine. Petav. alter, duo Pall. duo alii Flor. & Andreanæ editiones: *principibus qui exulabant Rhegii pulſi ab adverſa factione, quæ An. Loc. trad. Rhegium ſe contulerant*. Ita ſine dubio invenit Rhenanus in ſuo codice (nam quomodo lectum ibi fuerit, ſilet) maleque judicavit abeſſe debere, *Rhegium ſe contulerant*: cum revera gloſſema ſit, *exulabant Rhegii*. Itaque reſtituimus veterem lectionem firmiſſimis tibicinibus ſuffultam. Phraſin quid opus illuſtrare, qua nihil vulgarius? Tamen ne hoc ipſo ſpernatur, quod nimis eſt vulgaris, eſt etiam Livii. lib. 6. *qui ædificandi Romæ pigritia, occupatu ibi vacuis tectis, Vejos ſe contulerant*. Lib. 22. *quo ſe Annibal poſt*
præ-

prælium contulerit. lib. 23. *cum paucis Romanis Latinique nominis, quos eodem audita Cannenſis clades contulerat.* Continenter: *ut mos eſt iis qui diu abſunt.* Omnes Gall. & Pall. ut & editiones Andreanæ abolent *τὸ iis*, habentque tantum: *ut mos eſt qui diu abſunt.* id quod multo tenerius ſe mihi commendat. Dein: *qui ſimul deſiderio patriæ agerentur.* Dignum ſane, quod placeat, qui ſoli ſibi placent præ lectione omnium Gallicor. & Ital. *angerentur.* Nec dubito, quin ita fuerit in Pall. ſed ſprevit, credo, excerptor, ut ſæpe alibi. Mox recte recentiores cum Rhenano: *ſcalas ad editam altitudinem arcis fabricatas.* Sic noſtri meliores. Put. *ad deditam*, litera una ſuperflua. Vulgo prius: *ad dictam.* Sigonius è libro ſuo notat, *ad edictam.* Inferius: *ni clamor ab iis, qui extra arcem erant, ſublatus incertus unde accidiſſet (omnia vana augente nocturno tumultu) feciſſet.* Omnes Gall. & Pall. *incertum.* Neque aliter priſcæ editiones. Quod niſi recipias, ne ſenſum quidem hujus loci ullum reperies. Quid enim *feciſſet?* neque enim puto ſatis Latine dici: *ni clamor feciſſet:* pro eo: *abſque clamore fuiſſet.* Quod videtur exiſtimaſſe Sigonius auctor illius *incertus.* Sed ait Livius, clamorem ſublatum ab iis, qui extra arcem erant, feciſſe incertum præſidio Punico, unde accidiſſet prior tumultus excitatus ab illis, qui jam muros conſcenderant. Hoc amplius Put. *præſidio præerat arceſſentes ex propinquis.* deleta copulativa, quam & cæteri omnes Gall. ſpernunt. Scribe: *Q. Pleminius Romano, Amilcar Punico præſidio præerant: arceſſentes ex propinquis locis ſubſidia copias augebant.*

Cap. 7. *Naves mari ſecundo tranſmiſit*] Videtur aliquid latere: nam Put. *nalles mari ſecundo. miſit.* Et poſterius hoc, *miſit*, non *tranſmiſit*, habent

bent omnes Gall. Palatinique. & editiones ante Sigonium. Ibidem: *progreſſus ad murum, ſcorpione ictus, qui proximus.* Progreſſus dicitur Annibal, *ictus* qui prope illum ſtabat: quomodo igitur cohæret oratio, ni ſcribas cum Put. omnibuſque Gall. *progreſſus ad murum, ſcorpione icto, qui proximus eum forte ſteterat, territus.* Annibal nempe, quum alter ſcorpione ictus eſſet. Fortaſſis etiam olim fuit: *ſteterat, abſterritus inde tam periculoſo caſu.* Certe vocula *inde* id requirere videtur. Mox: *Claſſis Romana à Meſſana Locros multa die ſuperante acceſſit.* Cur mutarunt, quod eſt in Put. Pet. Men. optimo Pal. *à Meſſana aliquot horis die ſuperante acceſſit.* Sane Put. *diei.* ubi poſſet explicari *ſuperante horis*, ut erat apud antiquos *abſente nobis*: ſed ego Livii cauſſa illud malo. Statim omnes Gall. duo Pall. *expoſiti omnes è navibus.*

Cap. 8. *Ita ſuperbe crudeliterque habiti*] Scripti: *Ita ſuperbe & crudeliter.* Statim: *ut modicas injurias non æquo modo animo pati, ſed prope libenti videri poſſent.* Rhenani liber, Put. omneſque Gall. & Pall. inducunt *τὸ videri*: itaque relegavimus. Etiam Put. reg. Men. optimus Pal. *Nam avaritia ne ſacrorum.* nec Rhenano juſta mutandi fuiſſe cauſſa videtur.

Cap. 9. *Quam ipſe ab Rhegio adduxerat*] Ut Rhenanus, Put. Men. optimus Pal. *abduxerat.* Levia ſunt ex iiſdem Gall. *cruorem ac vulnera.* Et ex omnibus: *domo ſeſe proripuit.* Illud majoris paullo momenti: *repugnabant enim, militumque fidem implorabant.* Ab Rhenano eſt, eique conſentit Pal. unus. Turba codicum, ut ante vulgati: *militumque implorabant auxilium.* At præſtantiſſimus Put. utramvis vocem pro ſpuria habet, tantumque exhibet: *militumque implorabant tem-*

pus.

pus. Scribe : *Dum ſpoliandis iis (repugnabant enim militemque implorabant) tempus teritur.* Propertius : *Hanc miſer implorat navita Leucothoen.* Sub finem omnes Gall. *ad T. Scipionem profectos audivit.*

Cap. 10. *Quum à P. Licinio Cos. literæ Romam allatæ ſunt*] Præpoſitio *à* una cum verbo ſubſtantivo nunquam fuerunt in Put. Men. Particulam quoque duo Pall. neſciunt, ex quibus alter, *Licinii conſulis.* Scribe : *quum P. Licinii conſulis literæ Romam allatæ : ſe exercitumque ſuum.* Sequitur: *gravi morbo afflictari, nec ſubſiſti potuiſſe.* Put. reg. Men. optimus Pal. tres Flor. *gravi morbo adſectari, ſiſti potuiſſe, ni eadem vis.* Poſteriorem mutationem ſervant omnes alii codices tãtum non peſſimi: jamque confirmavimus contra Rhenanum. At ſi diſplicet *adſectari*, poſſis ſubjicere *adtentari.* Appulejus in diſertiſſima apologia: *an quod verius eſt, ex crapula heluco attentatur?* Ibidem omnes Gall. & Pall. *nam neque uſum ejus ullum in præſentia eſſe, quum Annibal jam in hiberna ſuos receperit, & tanta inceſſerit in ea caſtra vis morbi, ut niſi.* Neque ſecus Andreanæ atque Aldina editiones. Vulgatum, *tantam inceſſiſſe vim*, ab illis ortum, qui putabant altero membro periodum carere, in quo certe ſunt falſi. Mox etiam fere placet, quod habent nonnulli ſcripti & Andreanæ Aldinaque: *Civitatem eo tempore repens religio invaſerat.* Put. tamen *recens*, alii *ingens*, quale mendum & alibi ſuſtulimus. Et, quod omnes Gall. Pall. cum Andreanis propinant: *Quandoque hoſtis alienigena.* non *Quandocumque.* Præterea optimi : *ſi mater Idæa à Peſſinunte Romam advecta foret.* Nec vero ſanum putes: *& ſacrificantibus ipſis Pythio Apollini omnia læta exta fuiſſe.* Nam Put. omneſque Gall. optimus

mus Pal. tres meliores Florent. cum Barberino: *& ſacrificantibus ipſis Pythio Apollini laeta fuiſſe.* duabus vocibus omiſſis. Nempe ſcripſerat Livius; *& ſacrificantes ipſos Pythio Apollini litaviſſe.* In qua conjectura pœne glorior: nec tamen defore arbitror difficulter vero adſentientes, quibus rationem dare alibi ſumus conati. Sequitur locus, in quo mirifice tumultuatur Rhenanus, neque ullum tamen noſtris è codd. antiquis habet molitioni ſuæ ſecundum: *Itaque quo maturius fatis omnibus oraculiſque portendentis ſeſe victoria compotes fierent.* Sic omnes libri omnino, ut redire juſſit in textum Sigonius, laudante eum Modio: qui tamen non viderunt *ominibus* pro *omnibus* eſſe ſcribendum. Facile intelligitur: enarravimus tamen nonnihil in obſervationibus, & aliis ſcriptoribus & Statio noſtro voce *ominibus* reddita, quam cum corruptam in *omnibus* inveniſſent librarii, idque contra legem verſus eſſe viderent, *cunctis* ſuppoſuerunt.

Cap. 11. *Delphos quum exſcendiſſent*] Men. duo Pall. editt. Andreanæ atque Aldina: *deſcendiſſent.* Clare autem Putean. & Pal. unus: *quum eſcendiſſent.* Situs ipſe templi firmat hanc lectionem. Lib. 42. *Satis conſtabat, Eumenem, ut ſacrificaret Apollini, Delphos aſcenſurum.* Et mox: *Aſcendentibus templum à Cirrha.* Ibidem omnes Gall. uno tantum excepto: *ut eam qui vir optimus Roma eſſet, hoſpitio exciperet.* non *acciperet.* Deinde iidem omnes ſine exceptione: *Comitiis peractis dictator ſeſe magiſtratu abdicavit,* non *perfectis.* Atque hic illis ſe aggregant etiam Andreanæ. Epit. lib. 47. *Conſules anno quingenteſimo nonageſimo octavo ab urbe condita magiſtratum peractis comitiis inſequentiſque anni conſulibus creatis inierunt.* Denique conſenſu ſcripti mu-

tant cognomen ædilis plebei faciuntque: *T. Claudius Aſilus.*

Cap. 12. *Deſertos ab Romanis, cui uni fidebant auxilio*] Non diſpliceret, ſi locupletes haberet auctores. Cæterum ſic inter noſtros unicus tantum Pal. Put. & cæteri omnes tum Gall. tum Pall. *ab Romano.* quod mutavit Rhenanus. Ibidem: *Dimallumque oppugnari. eo ſe averterant Romani ab Ætolorum, quo miſſi erant, auxilio: irati, quod ſine auctoritate ſua adverſus fœdus cum rege pacem feciſſent.* Immane vitium objecerunt hic Livio fartores, & quidem ita tecte, ut abſque veteribus libris non poſſit deprehendi. Hæc omnia, *Romani ab Ætolorum quo miſſi erant*, nullum habent veſtigium ſui in Put. Pet. meliore, reg. Men. ſed ibi ſolummodo: *eos verterant auxilio irati.* Scribe: *Dimallumque oppugnari. eo ſe verterant auxilia, irati quod ſine auctoritate ſua.* Vides integrum & optimum ſenſum extrito illo arceſſito ferrumine correctorum. *Auxilia* nihil aliud ſunt, quam Romani imperatore P. Sulpitio proconſule in auxilium Ætolis miſſi. Itaque τὸ *irati* ad ſenſum retulit, non ad vocem. Offendit hoc bonos viros: *auxilia irati:* quaſi potius ſit pinguiſſimum centonem inſui, quam unam vocem, *Romani* nimirum, qui appellantur *auxilia*, intelligi. Complura figuratæ ſyntaxeos hujus exempla jam nobis occurrerunt. Sic apud Comicum: *ſcelus qui me perdidit.* Habebat autem regius. codex plane, *auxilia.* Ibidem: *Philippus agros Apolloniatum vaſtavit.* Iterum meliores: *Apolloniatium.* Poſtea: *neque enim nec ipſius quidem regis abhorrebat animus.* omnes Gall. *ne ipſius.* lib. 31. *neque enim nec regis quidem primum conſilium reprehendendum foret.* Glareanum & Sigonium mire exercuit ibidem: *Atintanas miſſis*

Ro-

Romam legatis ab ſenatu impetraſſe, ut Macedoni accederent. Ego vero magis miror, ex qua pannucea libri, non enim libro, hauſerit propinatam nobis, quam ſenſum habere optimum & perfectiſſimum cenſet, lectionem Sigonius: *Romanorum eſſent, addito quod miſſis Romam legatis ab ſenatu impetraſſent, ut Macedoni accederent.* Primo vide Latinitatem. Dixit autem, *addito quod*, ait, pro eo quod quidam dicunt, *dato quod*, & pro *quamvis*. Scilicet hujuſmodi ſermone perſuaderet nobis Carolinam conſolationem Tullianam eſſe. Ne ſcholaſtici quidem palæſtræ concedent, *addito quod*, idem eſſe quod illi dicunt, *dato quod*, vel *poſito quod*, aut ut Latini, *fac vel finge ſic eſſe.* Galli uſurpant: *joinctque*, hoc ad verbum eſſet, *addito quod.* Deinde qui impetraſſent? qui accederent? Romanine, an Parthini & Dimallum Bargulumque & Eugenium? Hi certe, inquiet. Sed ſi ab ſenatu impetrarant, ut Macedonis eſſent, qua fronte Sulpicius eos jubet eſſe Romanorum? Vbi, quando impetratum? quid intervenit, cur ſenatus donum ratum non eſſet? Sed non merentur illa refutari. Duo Florentini proletarii aut capite cenſi: *adjunctoſi, adjuta ſi.* Sed tres claſſici, duo Pall. tres Gall. Barberin. proque omnibus Put. *Atintania, ſi miſſis.* dein: *impetraſſet Macedoniae cederet.* Vnde facilis reſtitutio: *ut Parthini & Dimallum & Bargulum & Eugenium Romanorum eſſent; Atintania, ſi miſſis Romam legatis ab ſenatu impetraſſet, Macedoni accederet.* Gens Illyria eſt, cujus nomen jam ante reddidimus noſtro. Meminit & lib. 44. Statim omnes Gall. *In eas conditiones quum pax conveniret.* non *conveniſſet.*

Cap. 13. *Ad novas ſcribendas in Bruttios legiones & caeterorum*]. Omnes Gall. duo Pall. &

in

...rum (ita enim juſſi ab ſenatu erant) ... ſupplementum. Quod ſincerum ... ſcribendum enim: *ſcribendas aliquos mi...*

Cap. 14. *Occultantibus id, credo, Patribus, ne ...ſerent Carthaginienſes*] Put. reg. Men. unus ... *ne praeſcriberent.* Duo alii Pal. *ne praſciſſo...*, ut vulgo legebatur ante Sigonium. Videtur ...ndum: *ne reſciſcerent Carthaginienſes.* Ibi... Put. reg. Men. duo Pall. *Impleverat ea res ...ſtitionum animos.* non *ſuperſtitione.* Plau...: *omnes angulos furum implevisti. me implevit ...ti & formidinis: impleantur meae fores elogio...* Noſter lib. 35. *quem adveniens exemplo ...mplevit.* Lib. 36. *Leucadem venit, imple...que ſpe ſocios.* Ceterum ſuperſtitio eſt morbus ...ani, ideo nonnunquam eleganti pleonaſmo di... veteres, *ſuperſtitio animi.* Curtius lib. 5. *ſed ...que adhibere cœpit a ſuperſtitione animi.* ...lib. 4. *& erat non intactus ea ſuperſtitione ...* Quæ nos juvabunt ad juvandum Plinium l. 5. epiſt. 2. *quod ſemper aruſpices conſulebat ... animi ſuperſtitione, ſed tamen & ...gno ſtudiorum honore veniebat.* Caſaubonus ... Gruteri: *anili ſuperſtitione.* Etiam ... hiat oratio: verbum enim *veniebat* ad... præpoſitionem flagitat. Vulebam olim: *a ni... ſuperſtitione:* ſed poſtquam recordatus ſum ... nequaquam illam vocem turbandam eſſe ..., ſed potius ſcribendum: *ab animi ſuper...ne, ſed & a magno ſtudiorum honore veniebat.* ...tum omnes Gall. ut nonnullæ recentiores: ... vulgabantur. nempe quod pleni ſuperſtitio... animi & ad nuntianda credendaque pro... Pars maxima: *ea plura*, quod ſuppoſu..., qui eo fine quo ſtare non poſſe putarent. Ej... mendis jam aliquot ſupra correxim...

T

M

in cæterorum (ita enim juſſi ab ſenatu erant) exercituum ſupplementum. Quod ſincerum arbitror. Subaudiendum enim: *ſcribendos aliquos milites*.

Cap. 14. *Occultantibus id, credo, Patribus, ne præſcirent Carthaginienſes*] Put. reg. Men. unus Pal. *ne praeſcriberent*. Duo alii Pal. *ne præſciſcerent*, ut vulgo legebatur ante Sigonium. Videtur reponendum: *ne reſciſcerent Carthaginienſes*. Ibidem Put. reg. Men. duo Pall. *Impleverat ea res ſuperſtitionum animos*. non *ſuperſtitione*. Plautus: *omnes angulos furum implevisti: me implevit flagitii & formidinis: impleantur meæ fores elogiorum*. Noſter lib. 35. *quem adveniens extemplo ſpei implevit*. Lib. 36. *Leucadem venit, implevitque ſpi ſocios*. Cæterum ſuperſtitio eſt morbus animi: ideo nonnunquam eleganti pleonaſmo dicunt veteres, *ſuperſtitio animi*. Curtius lib. 5. *ſed vates quoque adhibere cœpit à ſuperſtitione animi*. Idem lib. 4. *& erat non intactus ea ſuperſtitione mentis*. Quæ nos juvabunt ad juvandum Plinium lib. 6. epiſt. 2. *quod ſemper aruſpices conſulebat de actionis eventu, animi ſuperſtitione, ſed tamen & à magno ſtudiorum honore veniebat*. Caſaubonus cum applauſu Gruteri: *anili ſuperſtitione*. Etiam ſic tamen hiat oratio: verbum enim *veniebat* addi præpoſitionem flagitat. Volebam olim: *à nimia ſuperſtitione*: ſed poſtquam recordatus ſum Curtii, nequaquam illam vocem turbandam eſſe cenſui, ſed potius ſcribendum: *ab animi ſuperſtitione, ſed & à magno ſtudiorum honore veniebat*. Statim omnes Gall. ut nonnullæ recentiores: *eo plura vulgabantur*. nempe quod pleni ſuperſtitionum animi & ad nuntianda credendaque proni eſſent. Pars maxima: *ea plura*, quod ſuppoſuerunt, qui *eo* ſine *quo* ſtare non poſſe putarent. Ejus indolis menda jam aliquot ſupra correximus.

Mox quicquid eſt librorum à nobis viſum: *duos ſoles viſos & nocte interluxiſſe.* Corrigunt: *internoctu luxiſſe.* id inuſitatius paullo vocabulum tranſpoſitum & mutatum eſſe ab imperitis: nuſpiam quidem eam vocem reperiri, ſed analogia eſſe tam evidenti, ipſam autem tam neceſſariam, ut non dubitent, quin eloquenda fuerit Romanis, & quidem hoc modo. Præivit hanc illis conjecturam, etſi nolunt ſcire videri, Lipſius, qui apud Gellium 2, 3. *ſacra Romana, quæ inter noctem fiunt,* libens ita mutaret: *quæ internoctu fiunt,* lib. 2. elect. 3. Verum quemadmodum Romani dixere *noctu* pro *per noctem* aut *inter noctem*, non autem *diu* pro *per diem* aut *die*: ſic è contrario in compoſitis dixerunt *interdiu*, non *internoctu.* Quid quod Cicero & Plautus opponunt: *noctu an interdiu: noctu neque interdius:* ſatis oſtendentes: *noctu* idem eſſe, quod illi volunt *internoctu.* Noſter lib. 27. *interdiu an noctu venire ſeſe vellet.* Immo & *nocte.* Livius lib. 8. *neque diſcernatur, interdiu nocte, æquo iniquo loco, juſſu injuſſu imperatoris pugnent.* Hoc lib. 29. *Nocte profectus Vermina, Syphax interdiu.* lib. 30. *nocte an interdiu opportuniores inſidianti eſſent.* Et apud Comicos ex vetuſtiſſimorum ſermone, *nox.* *Noctu* autem & *nocte* omnino ſunt ablativi, & intelligunt verbum ſubſtantivum, vel *exiſtente.* Non igitur res tam neceſſaria eſt, ut ſibi promittebant: habent enim Romani, quo eloquantur, & quidem alio modo. Agamus ſubtilius, & rationem ſpectemus. Non enim *interdiu*, ut primo adſpectu videatur, ab *inter* & *diu* compoſitum eſt, ut ſimiliter dici poſſit *internoctu*; nec tamen etiam *interdiu* ablativum eſt, ut conjicit vir inſignis. *Interdiu* dicitur reſecto uno elemento pro *interdius*, quod eſt apud Plautum, qua forma *nudiuſtertius*,

tertius, nudiuſquartus, & reliqua: nam ut *nudiuſtertius* dicitur, pro *nunc diuſt* (vel *dies eſt*) *tertius*; ita *interdius* quaſi *interim* vel *interea dum diuſt*, vel *dies eſt*: & neutrum poteſt declinari: neque enim nomen unum eſt, ſed inſtar orationis ex pluribus partibus conſtantis, quæ cum ſæpiſſime conjungerentur, cohæſerunt ſibi & in unam vocem coaluerunt. Non ita facere potuerunt *internoctus* ex illis, *interim dum nox eſt*. Hoc quoque conteſtentur famam hominum, ut loquuntur, nunquam ſibi in mentem veniſſe. Eſt autem eleganter uſurpatum *interluxiſſe*, ſenſuque idem quod inter tenebras luxiſſe: indicatque non diu duraſſe lucem illam, ſed mox rediiſſe noctis habitum conſuetum fulgore illo interruptum. In iiſdem prodigiis omnes ſcripti: *ab ortu ſolis ad occidentem*. Ibidem: *Veram certe victoriam ejus rei ſibi quiſque mallet*: ex mutilo codice fruſtra tentat Rhenanus: nam vulgata in omnibus libris noſtris ſalva eſt. De P. Scipione Cn. filio: *judicaverunt in tota civitate virum optimum eſſe*. Quis hic mendum latere ſuſpicetur? Tamen id calamo exarati oculis ſubjiciunt. Put. reg. Med. Barber. duo optimi Florentinorum: *virum bonum optimum eſſe*. Lapis vetus: *Honc. oinom. ploerumei. coſentiont. duonorum. optimom. fuiſſe. virom*. Vides hoc eſſe adumbratum ab Livio, ſcribendumque: *judicaverunt in tota civitate virum bonorum optimum eſſe*. Eadem forma Plautus Amphitruone, *viros primorum principes*. & Aulularia, *pauperum pauperrimus*. Statim Put. *ita judicarint*: omnes autem noſtri contra Rhenanum: *ſicut traditum à proximis memoriæ temporum illorum ſcriptoribus libens poſteris traderem*. Senſus eſt, quemadmodum, ſi à ſcriptoribus, qui memoriæ illius ævi fuerunt proxi-

mi, quidquam huc ſpectans relictum eſſet, non pigrarer ipſe quoque referre. Similis excuſatio lib. 3. *Quem decreto ſermonem prætenderit, forſan aliquem verum auctores antiqui tradiderint, quia nuſquam ullum in tanta fœditate decreti veriſimilem invênio, id quod conſtat nudum videtur proponendum.* Et lib. 6. *quod quum ab antiquis tacitum prætermiſſumque ſit, cujus tandem rei ego, præter opinionem, quæ ſua cuique conjectanti eſſe poteſt, auctor ſim?* Omnes dein Gall. tranſpoſitis vocibus: *P. Cornelius cum omnibus matronis Oſtiam ire juſſus obviam deæ, iſque eam.* Denique iidem pari conſenſu: *Poſtquam navis ad oſtium Tiberini amnis acceſſit.* non *acceſſiſſet.*

Cap. 15. *Pro fide atque obſequio imperii Romani*] Put. *inperii.* Quod factum eſſe præclare conjecit Salmaſius ex *in P. R.* ut vera ſcriptura ſit: *quum interim boni obedienteſque ſocii pro fide atque obſequio in populum Romanum continuis omnium annorum delectibus exhauſti eſſent.* Ibidem: *ſtipendium præterea iis coloniis tria millia æris aſſes ſingulos imperari.* Vt hæc lectio manere nullo modo poteſt, ita ſatis fero quod eſt in Put. reg. Pet. Men. tribus Pall. *iis coloniis in millia æris aſſes ſingulos.* Intelligo autem, in ſingula millia. Sic lib. 22. *numero quoque peditum equitumque legiones auctas, millibus peditum & centenis equitibus in ſingulas adjectis.* lib. 39. *Vicenos quinos & ſemiſſes in millia æris quæſtores urbani, cum fide & cura ſolverunt.* Eodem libro: *& his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur.* Male ergo Glareanus *in mille æris.* Vide illum & interpretationem ejus expende. Etiam meliores: *militem ſtipendiumque imperaſſent.*

Cap. 16. *Etiam ſe auctorem ita conferendi fuiſſe inopi ærario.* Libri fere: *inopia aut inopia ærarii.*

ærarii. Editiones Moguntina, quam contulit Modius, Andreanæ, Aldina: *in inopia ærarii.* Pur. ille optimus: *fuiſſe inopia aerariacnec plebe.* Scribe: *etiam ſe auctorem ita conferendi fuiſſe inopia ærarii, ac nec plebe.* id eſt, ob inopiam ærarii, & quod nec plebs ſufficeret tributo pendendo. Ibidem: *Locrenſium clades, quæ ignotæ ad eam diem fuerant.* Idem liber optimus: *ignoratæ.* In fine: *orare, uti ſibi Patres adeundi deplorandique ærumnas ſuas poteſtatem facerent.* Parum intereſt: tamen omnes Gall. Andreanæ & Aldina: *rogare, uti Patres.*

Cap. 17. *Scio, inquit, quanti æſtimentur*] Omnes Gall. unuſque Pal. ignorant, *inquit.* In altero Pal. eſt, *ait.* Neutro contra veteres libros videmur indigere. Ibidem: *ut coram P. Scipione, qui Locros recepit, quique omnium nobis recte perperamque factorum eſt teſtis, agatur.* Vere in nullo Gall. eſt τὸ *quique:* uti neque in libro Rhenani. Quare pœne adſentior illi, deleto præterea verbo ſubſtantivo, quod intelligi Livius voluit, ſcribendum: *qui Locros recepit, omnium nobis recte perperamque factorum teſtis.* At noſtri omnes: *multa fœda & indigna & à præfecto præſidii Amilcare & ab Numidis:* partim contra Rhenanum, partim ex ſententia ejus. Item Gall. omnes cum uno Pal. *quod invitus dicam.* non *eloquar.* Iidem duoque reliqui Pall. *ad recipiendos à Carthaginienſibus Locros.* non *recuperandos* Rhenani. Item: *neque Romani civis præter habitum veſtitumque & ſonum Latinæ linguæ:* invito Rhenano, qui τὸ *veſtitumque* deleverat invito Livio, ut & Modius ſenſit. Lib. 28. *corpora, ora, veſtitum, habitum civium agnoſco: facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.* lib. 30. *quibus non lingua, non mores, non lex, non arma, non veſtitus*

habituſque, non cauſſa militandi eadem eſſet. Lib. 37. *non enim ſonum modo linguæ veſtitumque & habitum, ſed ante omnia mores* &c. Statim: *peſtis ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur.* Put. reg. Men. *qualis*. id eſt, *quales*. neque enim ſimplex aut una fuit. Omnes deinde: *At ſi ſcelus libidinemque & avaritiam ſolus*. unde rurſus *τὸ que* ſubmoverat Rhenanus. Ab eodem eſt: *conſtuprant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum.* Et quidem ſatis concinne. Prius erat: *conſtuprant matronas, ſiunt in virgines ingenuas raptus ex.* Scripti meliores cætera probantes ſatis reſtitutionem Beati, inſerunt poſt *matronas fuit* (Sic Put.) vel *fuint*, vel *ſiunt*, vel *fuerint*. Quod ſuſpicor eſſe è gloſſemate non admodum decenti: itaque edicere ipſum nolo. Non longe antiqua lectio eſt: *Miretur qui ſciat.* non *neſciat*, quæ eſt recens Beati. Denique: *paſſi ſumus, & nunc quum maxime patimur, P. C.* Non moverem, niſi omnes Gall. & Pall. unico ſolum excepto, deleta particula referrent: *paſſi ſumus & cum maxime patimur.*

Cap. 18. *Nos queri religio infixa animis cogat*] Put. reg. Men. *religio infixa animos.* Eſtne ſcriptorum mendum? an dictum, ut lib. 26, 19. *velut divinitus mentem monita.* lib. 22. *cæterum tacita cura animum incenſus.* Ibidem: *quæ propter fidem noſtram erga vos in civitatem noſtram facinora edidit.* Putean. omneſque Gall. abigunt prius *noſtram*. Omnes quoque & Gall. & Pall. *quæ ſacram pecuniam habuerunt.* non *habebant*. Nec longe omnes Gall. *nec tamen illi unquam poſtea proſperi quicquam evenit.* Sequitur locus habens aliquid animadvertendum, in quo ſcriptinos deſtituunt, non manifeſtiſſima ratio: *quibus per vos fidemque veſtram, P. C. priuſquam eorum*

ſcelus.

ſcelus expietis, neque in Italia neque in Africa quidquam rei geſſeritis. Glareano & Sigonio hic veniã damus, quorum alter fruſtra dubitat, alter temere nihil vitii continere pronunciat. Lippis & tonſoribus notum videtur eſſe, in deprecationibus obteſtationibuſq; veteres inter præpoſitionem ejuſque caſum proprium interponere amaſſe alium & plerumque perſonæ caſum. Sed hic notavimus aliquot differentias non, puto lippis & tonſoribus omnibus, ſed nec quibuſdam oculatis, notas. Interdum duo interjiciuntur pronomina; ut, *per, ego te, deos, oro.* Noſter lib. 23. *Per, ego te, fili, quæcunque jura liberos jungunt parentibus, precor quæſoque.* Sic reliquiſſe puto Plautum Moſtell. 3, 2, v. 56. *nunc per, ego te, genua, Obſecro.* Vulgo tranſpoſitæ duæ voces ſunt. At iterat idem Rud. 2. 3. ſ. 2. *per, ego te, hæc genua obteſtor ſenex.* Interdum τὸ *ego* omittitur: ut, *Per, te, parentis memoriam obteſtor mei.* Sic fecerat auctor Ciris. apud quem legendum: *per, te, mea alumna, tuumque Expertum multis miſera mihi rebus amorem, Per, te, & ſacra precor, per luminaque Ilithyæ.* Vulgo: *per me mea alumna.* Quod ſciebat Scaliger Latinum non eſſe: itaque reponit: *te per mea alumna.* ſed cur non ſecutus eſt ipſe, quod ait ibidem eſſe notiſſimum. Dein vulgo: *Per me & ſacra.* Vetuſtiores: *Perdere ſacra.* Ipſe: *Per te ſacra.* Denique editur. *per flumina Ilithyæ.* Recte Scaliger, ſed non integre: *per lumina:* nam etſi cum diſpliceret hiatus, *perluminis*, malebat, idem tamen mox reprobat. Sed contextus orationis ſatis indicat copulativam excidiſſe. Nam ita concipiuntur preces: *per, te, precor, mea alumna, & amorem tuum, & per ſacra perq; lumina Ilithyæ.* Si unam ex poſterioribus conjunctionibus demas, non tam verſus quam ſermo indecore hiat. Inter-

dum ſolũ omittitur *τὸ precor* vel *oro*. Declamatione, quæ adſcribitur Fabio, titulo Mathematici: *per, ego te, ſi fas eſt, quidquid feci, per hanc ipſam mei caritatem, qua me nondum timere cœpiſti, miſerere.* Et in extrema ſequenti: *Per, ego te, juvenis, illos meos, de quibus nunc quereris, annos, per expertos tibi notoſque humanorum accidentium caſus.* &c. *paſce nunc quod te redimere volui.* Eandem formulam Curtio deberi ſumus perſuaſi, & prævenit quidem nos Modius, ſed viri docti eleganiſſimo ſcriptori illum profuiſſe non patiuntur. Lib. 4. in oratione Darii: *Precor vos per deos patrios* &c. *per æternam memoriam Cyri* &c. *vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Perſarum.* Sed rectiſſime Modius: *Per, ego vos, deos patrios.* Quam lectionem habent inviolatam & duo membranacei Voſſiani: nec aliter inter Gruteri codices habuiſſe illum, quem vocat Dan. eadem pagina citatum, inde mihi liquet, quod Pal. 1. a Modiano textu differre & vulgatam tenere monet. Certum habeo *τὸ precor* inconſultos homines adleviſſe. Qui reliquerunt tamen lib. 5. in altera oratione Darii: *Per ego vos, decora majorum:* ſed ibi adeſt, *oro & obteſtor:* quorum ſimile & illic deeſſe viſum bonis viris, perinde ut Glareano apud Livium. Interdum ſimul omittuntur *τὼ ego* & *precor*. Vt apud Lucanum lib. 10. *per te, quod fecimus una, Perdidimuſque nefas, perque ictum ſanguine Magni Fœdus, ades.* Et Statium Thebaide undecima: *felicia per, te, Regna, verende Creon, ſanctaſque Menœceos umbras, Da veniam adflicto.* Atque hoc genus hic & apud Salluſtium vitiatum deprehendimus. Nam Livius ita ſcripſerat deleta copulativa: *quibus, per, vos, fidem veſtram, P. C.* Quod integre eſt; quibus, obteſtor vos per fidem veſtram, ne quid rei gerere

tere velitis. Parem culpam admiſerunt librarii lib. 40, 9. *Per te patriumque nomen, quod utri noſtrum ſanctius ſit, jampridem ſentis, ita me audias, precor.* Etenim hic quoque Livii manus: *Per, te, patrium nomen.* Quod tamen ad ſecundam ſpeciem referre memineris. Ter infecit hæc menda Salluſtium, neque adhuc vindicatum à quoquam, quod ſciam. Bello Iugurthino cap. 14. *nunc neque vivere libet, neque mori licet ſine dedecore, Patres conſcripti: per vos, per liberos atque parentes veſtros, per majeſtatem populi Romani, ſubvenite mihi miſero.* Sic ab Rivio Gruterus, cum impreſſi olim interjeciſſent, *oro.* Sed ne totum ſit ſanum, obſtat particula *per* ab inepto homine inculcata. nam auctor reliquerat: *ſine dedecore, Patres conſcripti. Per, vos, liberos atque parentes veſtros, per majeſtatem populi Romani, ſubvenite mihi miſero.* Vbi enim leges: *oro te per te?* Non vereor, ne quis objiciat mihi ex Naſone lib. 2. amorum el. 16. *At mihi te comitem jurabas uſq; futuram Per me perque oculos, ſidera noſtra, tuos.* Neque enim juramentum fuit conceptum, *per te,* ſed *per caput tuum.* Aut ex Martiali lib. 2. ep. 14. *Per, te, perque tuam, vector laſcive puellam Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure voca.* Nā hoc ita explicabis: te vector laſcive rogo per atque iterum per tuam puellam. Vel, rogo te, laſcive vector, per, per, inquam, tuam puellam. Sic *etiam etiamque, iterum iterumque, longe longeque, quanto quantoque* dicebant augendæ rei cauſſa. Porro ſalem ultimorum verborum non perceperunt interpretes. *Tu taure ad cœnam Selium voca,* eſt, fac eum eſurire: nam taurus ille æneus ſaxeus nunquam cœnabat. Rurſus eodem Salluſtii libro cap. 24. *me ex manibus impiis eripite, per, majeſtatem imperii, per amicitiæ fidem, ſi ulla apud vos memoria rema-*

T 5 net

net avi mei Maſiniſſæ. Sic iterum Gruterus, & adnotat: Intruſerant alii: *eripite, per vos, per majeſtatem.* Sed abdicunt Mss. ſimul & olim publicati. Credo, quos ipſe vidit: nam ſine libris quis iſta adjiceret? Sed hic iterum abundat unum *per.* nam non poteſt eripi mihi ſcripſiſſe Sallustium: *eripite; per, vos, majeſtatem imperii, per amicitiæ fidem.* Denique inter fragmenta in oratione C. Cottæ extrema: *Per vos igitur, Quirites, & gloriam majorum, tolerate adverſa, & conſulite reipublicæ.* Vocem *igitur* jubet induci Carrio de conſilio antiquorum librorum. Non eſt ſatis: nam & copulativam oportet induci, ut habeamus ſcripturam auctoris: *Per vos, Quirites, gloriam majorum.* hoc eſt: oro vos, Quirites, per gloriam majorum. Facturuſne operæ pretium ſum, ſi ulterius provehar? κέλεται δέ με θυμός. Cenſeo eadem formula juvandum Livium lib. 3, 40. *C. Claudii, qui patruus decemviri erat. oratio fuit precibus quam jurgio ſimilis, orantis per ſui fratris parentiſque ejus Manes, ut civilis potius ſocietatis* &c. Tres Mss. Palatini, editiones veteres Andreæ Mediolanenſis ante centum ſexaginta ſeptem, Tarviſina ante centum ſexaginta, Veneta ante 146. Pariſienſis ante 150. annos factæ, Aldina, cum antiquiore omnibus Campani: *perorantis per ſui fratris.* Qui poſſim non credere ab Livio profectum: *oratio fuit precibus quam jurgio ſimilis, per, orantis, ſui fratris parentiſque ejus Manes.* Chariſius ait τὸ *per* accipi nonnunquam apud Latinos, quemadmodum apud Græcos, μὰ τοὺς θεοὺς, νὴ τοὺς θεούς. ſed non hoc proprie huc pertinet, verum ad communiorem formulam: *Subveni igitur, per deos, idque quamprimum.* Quamvis hic quoque haud dudie τὸ *precor*, intelligatur: ſed ſenſu conveniunt. Ovidius

dius 3. amor. 11. *Parce, per, o, lecti ſocialia jura.* Lib. 4. de Ponto 13. *At tu per ſtudii communia fœdera ſacri, Per non vile tibi nomen amicitiæ, Quanta potes, præbe noſtræ monumenta ſaluti.* Vbi legendum arbitror: *noſtræ momenta ſaluti.* hoc eſt, adminicula, adjumenta. Nota phraſis: *momentum eſſe ad aliquam rem:* tranſlatione ſumta ab lance & ponderum momentis. Noſter hoc libro: *haud parvum & ipſi tuendæ Africæ momentum adjecerunt.* Lucanus, Martem, dicit, *ducibus fati momenta daturum.* Sic & Silius lib. 9. *Per toties, inquit, concuſſa mœnia Romæ, Perque has, nox Stygia quas jam circumvolat umbra, Inſontes animas, cladi parce obvius ire.* Male in hanc rem Chariſius allegat Virgilium lib. 4. nam illic exſtat verbum *oro*, etſi turbata compoſitione, & ſic evolvenda: *per, ego, has lacrimas dextramque tuam te &c. oro, ſi quis adhuc locus precibus; miſerere, domus labentis.* Pariter turbat Statius lib. 6. Thebaid. *Illam, oro, cineri ſimul exciſæque parenti Reddite quæſo duces. per, ego, hæc primordia belli Cui peperi.* Et Silius lib. 5. v. 81. *Iliacas per te flammas, Tarpejaque ſaxa, Per patrios conſul muros ſuſpenſaque noſtræ, Eventu pugnæ natorum pignora, cedas, Oramus, ſuperis.* Sic enim non dubito ſcribere, etſi vulgo ſit: *Iliacas te per flammas.* Eſt etiam apud Senecam in ludo de morte Claudii, ubi eandem formulam requirit Nicolaus Faber: *L. Silanum enim generum ſuum occidit. Oro per. quod ſororem ſuam, feſtiviſſimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare.* In quo, inquit, illam commiſerantis reticentiam, *Oro per,* qui non intellexerunt, *Oropen* effecerunt. Sed arbitror magnum illum virum hujus quidem reticentiæ exemplum nullum producere potuiſſe:

recte-

recte autem conjeciſſe Lipſium: *occidit. Oro propter quid? Sororem ſuam, feſtiviſſimam.* Atque hæc ſatis de hac formula, de qua diu nemo quicquam reſtare dicendum putavit. Nunc repoſcit manum noſtram Livii locus, ſi optimis libris fides, ita adfectus, ut abſque ſectione defungi non poſſimus. Put. reg. Men. tres Florent. *P. Conſcripti priuſquam eo geſſeritis.* Omnia intermedia abſunt ſine ullo lacunæ veſtigio. Si penitius inſpicias, etſi ſenatus piaculare ſacrum juſſerit fieri, militeſque in Siciliam tranſportari, legatus Locrenſis ſuperſtitioſior religionis patriæ defenſor ne locum quidem expiationi contactorum hoc ſacrilegio relinquit. Omnes Pleminios factos dixerat, hoc eſt, omnes perditos & deſperatos. Pyrrhum quoque regem, etſi referri theſauros raptos juſſiſſet, tamen poſtea in perpetuum à fortuna deſtitutum fuiſſe. Ergo brevius ita concipe: *quibus per, vos, fidem veſtram, Patres conſcripti, ne quam rem geſſeritis: ne, quod piaculi commiſerunt, non ſuo ſolum ſanguine, ſed etiam publica clade luant.* Illius *priuſquam* prima ſyllaba ex repetitione ultimæ vocis præcedentis eſt: *Ptinequam*, cum neſcirent quid ſibi vellet, fecerunt *priuſquam*. Quot erunt tamen, quibus ita curandum eſſe Livium perſuadebo? Vel duo, vel nemo. Facile tamen, credo, illis qui Puteanæum codicem tractarunt, qui poſſunt æſtimare, quanta illi reverentia debeatur, unde conſtat omnia prope, quæ nunc habentur ſcripta exemplaria, ſerius citius, ex ipſo aut apographis ejus, profecta eſſe. Eodem capite: *dein verberatos ſervilibuſque omnibus ſuppliciis trucidatos cruciando occidit.* Sic Put. reg. Men. Pal. optimi Medicæi, Barberinus. Itaque legebatur ante Rhenanum, qui *trucidatos* expunxit. Acceſſit dein Sigonius, & ne nihil ageret, ingeſſit: *ſuppliciis cruciatos*

ciatos

ciatos occidit. Vnus ex Pal. *ſuppliciis trucidatos trucidando occidit.* Nos levi mendo ſublato ſic adjuvamus veterem ſcriptûram: *ſervilibuſque omnibus ſuppliciis cruciatos trucidãdo occidit.* Significat, non tortos ſolum, ſed omni ſævitiæ genere, quod pati corpus humanum poteſt, truncatis artubus diſcerptos tandem mortem inveniſſe. Livius lib. 21. *Sed hæc patienda cenſeo potius, quam trucidari corpora noſtra.* In nobili fragmento de Cicerone, quod M. Seneca nobis ſervavit: *vix attollentes præ lacrimis oculos homines intueri trucidata ejus membra poterant.* Valerius Maximus lib. 9, 2. *L. Cæſaris conſularis & cenſorii corpus ignobili ſævitia trucidando.* Rhenano tamen debetur *verberatos*, quod cuſtodiunt antiquiſſimi codices. Denique Putean. *noctu audita ex delubro vox eſt.*

Cap. 19. *Q. Fabius natum ad corumpendam*] Omnes Gall. duo Pall. *natum eum ad corr.* Item: *Sententiam deinde æque trucem.* Tum: *P. Scipionem, quod de provincia deceſſiſſet.* Denique: *factaſquererentur, eas neque ſenatum.* Omnia hæc invito Rhenano. Ibidem Put. duo Pal. & meliores alii: *duplamque pecuniam in theſauros reponi.* non *theſauris.* Vt & lib. 31, 13. Pall. & Barb. *pecuniaque ex bonis noxiorum in theſauros repoſita.* Rurſus hoc capite: *theſauri moti, aperti, violati eſſent:* omiſſa copulativa omnes Pall. & Gall. & optimus ſtatim: *milites qui qui Locris eſſent, omnes in Siciliam tranſportari.* Sed iidem Gall. & Pall. omnes conſenſu: *libellis eum palæſtræque operam dare.* Olim erat: *libellis etiam eum.* Pronomen delevit Rhenanus. In fine Putean. *exercitum omnem licentia corruptum, qualis Sucrone* (Sic omnes etiam alii Gall.) *in Hiſpania fuerit, qualis nunc Locris, ſociis magis quam hoſti metuendum.*

Cap.

Cap. 20. *Vnum recuperandæ Hiſpaniæ delegerit ducem*] Optimi: *delegarit*. Non temere. Infra de Pleminio: *delegatum in Tullianum*. Lib. 39. *& cum eo conſule belli partem, quamcunque mihi delegavit, geſſi*. Suetonius Tiberio: *Data rurſus poteſtas tribunitia in quinquennium: delegatus pacandæ Germaniæ ſtatus.* Ibidemque: *quum interim manente officii titulo, etiam delegaret plurima.* Iterum: *M. Pomponium prætorem, cui Sicilia provincia ſorte eveniſſet*. Put. *ſorti veniſſet*. Mox perſpicue Put. & Men. *tribunos plebei atque ædilem*. Ibidem, ut Sigonius, Put. reg. unus Pal. *ut ad exercitum Scipio maneret*. Put. Pal. melior, Men. vitioſe, ut tamen verum ſignificent: *ut de exercitum*. Deinde: *Ad collegium pontificum relatum de expiandis*. Put. reg. Men. *Ad concilium pontificum*. Tum omnes Gall. *relatum & de expiandis*. Omnes etiam: *Alimentus ædilis plebis datur*: reciſis, *iiſque* & *eſt*. Conjunctionem & verbum abundare puto: nam τὸ *iis* abſcondit vocis præcedentis ultima ſyllaba. Scripſiſſe Livius videtur: *& M. Cincius Alimentus: iis ædilis plebis datus, quem ſi aut in Sicilia prætori dicto audiens non eſſet Scipio*. Nam ſic quoque Puteam. & reg. exigitque Latinitas, non *prætoris*. Lib. 4. *placere conſules ſenatui dicto audientes eſſe*. lib. 5. *ne plebs nobis dicto audiens atque obediens ſit*. Lib. 37. *& dicto audiens eſſe pontifici flamen juſſus*. Lib. 38. *Modo certe conſules Græciam atque Aſiam volebant; tamen perſeverantibus vobis Ligures provinciam decernere dicto audientes fuerunt*. Lib. 40. *dicto eſſe audientem pontifici duum virum juberent*. Et alibi. Cælius ad Ciceronem: *omnes oportere ſenatui dicto audientes eſſe*. Statim: *Aut jam in Africam trajeciſſet, comprehendere tribuni juberent*. Put. *trajeciſſet & prendere*. Cæteri quoque Gall.

Gall. & Pall. omnes, omiſſa tamen copula, *prendere*. Simplex etiam quam compoſitum mavult Sigonius. Optimum tamen monſtrare puto: *trajeciſſet, adprendere tribuni juberent.*

Cap. 21. *Et ab eo Rhegium vi retractum; alii ab ipſo Scipione*] Omnes Gall. & Pall. *& ab eo Rhegium vi retractum tradunt: alii ab ipſo Scipione.* Mox parvulum mendum omnes recentiores editiones conſpurcavit: *ſeu ante Scipionis ſeu cum prætoris juſſu.* Requirit enim ratio: *ſeu tum:* nec aliter primæ edd. & Mss. Quorum Put. reg. Men. denuo abeſt *ſunt*, in ſequenti: *traditi in cuſtodiam Rheginis ſunt.* Item omnes Gall. *primam, ſicuti mandatum erat, religionis curam habuere.* non *primum*, ut male ſuppoſuit Sigonius. Porro iidem: *vocatos ad concionem*, nolente Rhenano. Inde: *Locrenſibus ſe permittere, quod ſuum quiſque cognoſceret, prehenderet.* Meliores: *quod ſui* (hoc omnes habent Gall.) *quiſque cognoſſet, prenderet.* Sic & Livium alibi correximus. Cicero pro lege Manil. *Vos, Quirites, hoc ipſo in loco ſæpe cognoſtis.* Lib. 2. in Verr. *ſe de his Dionis incommodis pro hoſpitio quod ſibi cum eo eſſet, cognoſſe.* Sequitur: *ſi quid non compareret, repeterent, ante omnia.* Non eſt in Put. reg. Men. duobus Pall. verbum *repeteret*: ſed in cæteris, *unde*, in uno ex. Pall. *unum.* Put. *compararareturdeante.* Non ſatis adſequor, quid ſubſit, niſi forte: *ſi quid non compareret, repetundum.* Parvulum quod in o. Gall. ac Pall. *gratias egerunt*: tum in o. Gall. Andreaniſque & Aldina *tot tam nefanda*: non *tot jam*, ut editiones, nec, *tot tamque*, ut Sigonius.

Cap. 22. *Scipio res, non verba, ad purgandum ſe paravit*] Put. Men. duo Pall. *ſeſe.* Mox: *Quo die venerunt, hoſpitio comiter accepti.* Put. & meliores *acceptis.* Recte: non enim ſeparanda hæc

parti-

particula periodi ab ſequentibus, & regitur *τὸ acceptis* à verbo *oſtendit*. Ibidem: *tantaque admiratio ſingularum univerſarumque rerum incuſſa.* Omnes Gallici ignorant *τὸ univerſarum:* & meliores quidem, *ſingularumque*, alii & conjunctionem omittunt. Vides quæ cauſa fuerit defectuum ſarcinatoribus, vocem illam inculcandi. At mitius fuerat: *ſingularum* quoque *rerum:* (intellige, non modo univerſarum) aut prorſus delere particulam ſæpe in optimo ſuperfluam. Sic inferius hoc ipſo capite Put. reg. Men. *quos provinciæ relinqueret quos præſidio.* Sed illud malo. Statim poſt ſuperiora illa omnes: *juberentque, quod dii bene verterent, trajicere.* Quare & in eadem periodo, *facere*, legendum: non *trajiceret* & *faceret*, ut diximus contra Rhenanum. Deinde: *jam ſeneſcente invidia molliebatur ira.* Put. & Gall. meliores duoque Pall. *molliebantur iræ:* quod iterum male mutavit Rhenanus. Cujus egregium eſt illud: *memoriaque abſentis Scipionis favorem ad vulgum conciliabat.* Solus optimus ille Put. hanc lectionem commonſtrat: *Scipionis fatiorem ad vulgum:* & quidem à manu prima: nam ſecunda, *faciliorem*, ex patraverat. Cæteri omnes prodigioſe corrupti. Antea erat editum: *facilius eos ad vulgum.* At plane Put. reg. Men. *legatique & tribuni claſſem eam, exercitum ducemque*, ingratiis Beati. Neque mutatum velim ab eodem: *ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia eſſent, ipſe legeret;* etſi ſcripti fere *liceret* àut *diceret*.

Cap. 23. *mentio inchoatæ adfinitatis*] Scribe, *inchoata*, cum optimis, in quibus *incohata*. Porro omnes libri: *Ad eam rem conſummandam.* non *confirmandam*, ut Rhenanus. Item omnes cum Andreanis atque Aldina: *jam enim & nubilis erat virgo.* Denique; *& ſunt ante omnes Numidæ barbaros.*

baros effuſi in Venerem. Et ordo verborum placet, & particula, quam mutat Sigonius, in hujuſmodi fere correctionibus ſemper infelix. Ibidem Put. *optare primum*, ut procul ab Africa. non *hortari*.

Cap. 24. *timorque in exercitum incideret*] Fortaſſe malis. Conſidera tamen Put. Pet. reg. Men. duumque Pall. ſcripturam: *timorque in exercitu incederet*. Verbum haud infrequens hoc modo Livio. Lib. 25. *tanta religio, & ea magna ex parte externa civitatem inceſſit*. Lib. 28. *Timor deinde oppidanos inceſſit ne ſi hoſtis urbem intraſſet*. Ibidem: *Peſtilentia inceſſerat, pari clade in Romanos Pœnoſque*. Hoc libro ſuperius: *& tanta inceſſerit in ea caſtra vis morbi*. Lib. 36. *timor deinde inceſſit, ne quos per imminentia juga calles inveniret ad tranſitum Romanus*. Tacitus 2. hiſtor. *Sabinus, ſuopte ingenio mitis, ubi formido inceſſiſſet, facilis mutatu*. Ibidem: *Itaque jam ſatis omnibus inſtructis apparatiſque & re jam non ultra*. Et hic *apparatis* adjecerunt, ut conſulerent τῷ *que*, quod deſolatum ipſis videbatur: etenim optimus & poſt illum meliores: *inſtructiſque & re*. Emenda: *Itaque jam ſatis omnibus inſtructis, quin & re jam non ultra recipiente cunctationem, in animo ſibi eſſe*.

Cap. 25. *non parvo numero inter auctores diſcrepat*] Sic integre ſcripti, & argutatur incaſſum Rhenanus. Mox omnes Gall. & Pall. *ſedecim millia peditum, mille & ſexcentos equites*: ut ex Appiano Sigonius. Statim: *in naves impoſita invenio*. Verbum *invenio* ignorant omnes Gall. quæ tamen requiri videtur: niſi pro *alibi* ter legas *alii*. Sic enim ἀπὸ κοινοῦ poſſet repeti, *adjicere numerum*. Iidem optimuſque Pal. *in navibus, ante conſcendere coactos, continuit*. Olim legebatur: *in naves*. Rhenanus fecit, *navibus*, deleta præpoſitione.

tione. Ibidem: *ut ex omnibus navibus gubernatoreſque & magiſtri navium.* Meliores τὸ *omnibus* relegant. Habent iidem: *Vbi reſponderunt, aquam dierum.* Denique: *cum viginti roſtratis ſe ac L. Scipionem ab dextro cornu, lævum totidem roſtratas & C. Lælium præfectum claßis cum M. Porcio Catone (quæſtor tum is erat) onerariis futurum præſidio.* Longe quidem elegantius meo judicio, quam vulgo: *ab lævo totidem roſtratis C. Lælium.*

Cap. 27. *qui maria terraſque colitis*] Vtinam reliquiſſet Rhenanus: *maria terraſque qui colitis.* Vtinam: *uti quæ in meo imperio.* Sic enim mss. fidi, aut huc trahunt. At præclarum eſt & prædicandum ab eodem: *bene verruncent.* Hac correctione unica centum culpas facile redemit. Eſt autem ita plane in optimo illo Put. Alludit & Pal. unus, qui *vertuntent.* Egregie fluctus in ſimpulo movet hic Sigonius. Reſtitat Rhenano: vulgatam olim, magiſtrorum gloſſema, non fert, quod quo pertineat tertia hæc perſona, *bene vertant*, quum ad ſecundam oratio converſa ſit, non poſſit intelligi: ergo, *bene vertundo æque vos omnia bene juvetis*, pro priſca lectione, ſi diis placet, nobis impingit. Quid eſt fateri, pœne dixerim, turpitudinem ſuam, ſi hoc non eſt? Scilicet non poteſt intelligi, qui dicit: *vos dii precor, ut hæc bene vertant.* Nec intelligitur, quid velit Virgilius dicendo: *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.* Quoties ſic ipſe Livius? Sed nos inſultare tanto viro nolumus: ſufficit tirones moneri, ut ab his erroribus ſibi caveant. *Bene verruncent*, divine Rhenanus: idque pro *vertere* uſurpaſſe veteres colligit ex verbo *averruncare*, quod *avertere* Nonius explicet. Sane *averruncare* non Nonii modo eſt, verum ipſius Livii. Lib. 8. *placuit averruncandæ deum iræ victimas cædi.* Lib. 10. *Eo anno*

anno prodigia multa fuerunt, quorum averruncandorum cauſſa ſupplicationes in biduum ſenatus decrevit. Immo & Cicero lib. 9. ad Atticum Ep. 2. *Dii, inquis, averruncent.* Varro nequaquam pro doctiſſimo Romanorum: *Avertendo averruncare; ut deus, qui iis rebus præeſt, Averruncus.* Sed vir doctus: *Runco*, inquit, βοτανίζω. Hinc *errunco*, quaſi *esrunco*, mutata litera præpoſitionis in primam verbi, ut in *arrodo, effodio, efficio*. Inde *ab errunco*, ut ſcribitur in Gloſſario, poſtea *averrunco*, *B* tranſeunte in *V* ut in *aufero*. *Averrunco* igitur pro re ſignatiſſima vox à duplici præpoſitione eſt orta, ut *indeprenſus, ineffabilis*. Hoc ſi verum eſt, quid fiet noſtro *verrunco?* quod tamen probum & antiquum non Livius modo, ſed alii quoque teſtantur. Feſtus: *Verruncent, vertant.* Attius Decio apud Nonium: *Te ſancte venerans precibus, invicte, invoco, Portenta ut populo, patriæ verruncent bene.* Pacuvius Peribœa: *precor veniam, Petens, ut quæ egi, ego, axim, verruncent bene.* Vbi habes Livii formulam. In rus runcam & runcinam, pace docti ſane viri dixerim. *Verrunco* eſt ab ἐρύκω præpoſito V, ut in ἔαρ, ἦρ, *ver*, ἑστία *Veſta*, ἑσπέρα *veſpera*, εἴδω *video*, & innumeris talibus, emollito digammate Æolico: interjectoque N, ut in θησαυρὸς *thenſaurus*, σκαπτησύλη *ſcaptenſula*, γλυκὺς, *lucuns.* Ἐρύκω interdum eſt contineo & cohibeo, ne id, quod continetur, mali quid faciat vel patiatur. Homerus Ιλ. λ'. Ἵππους δ' αὖ κατὰ κόσμον ἐρυκέμεν. Idem Ιλ. ω'. Ποσσῆμαρ μέμονας κτερεΐζεμεν Ἕκτορα δῖον, Ὄφρα τέως αὐτός τε μένω καὶ λαὸν ἐρύκω. Quæ continentur hoc modo & ſervantur, ſalva manent & bonos habent eventus. Itaque *ſe bene verruncant:* nam hoc pronomen intelligitur, perinde ut quum *vertere*.

tere οὐδετέρως ponitur. Vt ab ἐρύκω ἀπερύκω, unde ἀπερύκειν τοὺς λύκους ἀπὸ τοῦ οἴκου, ut à *verto averto*, ſic à *verrunco* etiam *averrunco*, à quo deinceps *Averruncus*, ut à *promo promus*, *condo condus*, *carpo carpus*. Appulejus de Deo Socratis: *qui tibi queat tum in ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram, cum uſus poſtulat, mala averruncare, bona proſperare.* Vt viri docti reſtituerunt ex mss. & primus P. Pithœus: nam hic quoque infulſerant, *avertere*. Quod ſi ab *Averruncus*, *Auruncus*, & *Aurunci* populi Italiæ dicti, ut placet Scaligero ad Feſtum, non tam ea ratio eſt, quod ἀποσπασθέντες, avulſi ab ſedibus ſuis & πλάνητες fuerint, quam quod ipſi expulſores fuerint aliorum, eoſque ſedibus ſuis excedere coëgerint. Habet enim ποιητικὴν ſignificationem, non παθητικὴν, *Averruncus*. Cæterum nomen hujus populi reſtituendum eſt Valerio Maximo lib. 5. cap. 5. *M. Fabius conſul inclita pugna Etruſcis ac Vejentibus ſuperatis, delatum ſibi ſummo ſenatus populique ſtudio triumphum ducere non ſuſtinuit.* Sic repoſuerunt ex hiſtoria, quæ exſtat apud Livium lib. 2. Sed mss. pro *Etruſcis*, ut notat Pighius, *& anicis*, *& amiclis*, *& amiculis*. Nos quoque in duobus deprehendimus *& amicis*: at in tertio membranaceo liquide erat: *& Aruncis.* Scribe, igitur: *inclita pugna & Auruncis & Vejentibus ſuperatis.* Si narrant aliter alii, aut ſi error Valerii fuit, quid ad nos? reprehendatur immo potius quàm ut ita licenter veterum librorum ſcripturam mutemus. Porro Sigonius quaſi juraſſet ſe nihil hic allaturum boni, verba illa, *præda onuſtos* (hoc quidem cum Rhenano) &, *exempla edendi facultatem*, quæ in omnibus omnino noſtris & Gall. & Pall. integra comparent, & ipſo ſono produnt à magiſtello aut librario adjici

non

non potuiſſe, peſſimo haud dubie uno alterove auctore delet. Quid porro utrique mentis fuiſſe dicam, quum *domo reduces*, nobis facerent pro *domos reduces*, quomodo omnes libri & exigit flagitando raucus dudum, dudum ramicibus ruptis Priſcianus? Certe nihil humani alienū à nobis putare debemus nos, quando præcipuis Livii ſoſpitatoribus contigit, ut tantis exemplis homines ſe fuiſſe demonſtrarent. Eodem capite: *Secundum eas preces cruda exta caſa victima (uti mos) in mare porricit, tubaque ſignum dedit proficiſcendi.* Put. *cruda extrā victimam.* Men. *crudam extam victimam.* Et Pall. hic omnes corruptos (hoc tantum) notat excerptor. An. *cruda exta victimæ.* Satis enim intelligitur cæſam fuiſſe. Omnes autem libri ſcripti, etiam Put. ut ex ſuo Rhenanus: *projecit*: qui & hoc movetur, qnod ſequitur verbum præteriti temporis. Sed hoc perpetuum non eſt. Sic lib. 22. *ubi primum in ſicco potuit, caſtra locat: certumque per præmiſſos exploratores habuit.* Lib. 23. *Ibi hærentia inter obnata ripis ſalicta conſpiciuntur, nuntiatumque Annibali eſt.* Lib. 28. *Tum victa oppidanorum vis, dejectiſque propugnatoribus occupantur muri.* Neque ego *porricere* Livio vile fuiſſe puto, quod nec Virgilius ſprevit. Eſt autem ſignatum & proprium verbum, nec refugiunt in hujuſmodi formulis antiquitatem, velut abſoletam, puriſſimi quoque ſcriptores. Itaque in talibus reſpiciendum magis exiſtimo, quid ſignificent libri veteres, quam quid exhibeant. Nulli enim adeo ſunt correcti, ut nihil habeant mendoſum, & ideo ad collationem eorum vis aliqua judicii & doctrinæ requiritur, non tantum conferendi labor. Vix poteſt ullius libri antiqui major eſſe auctoritas, quam debet eſſe illius Puteanæi: non tamen eum ſequar,

quum

quum lib. 23, 11. pro *oraculum* habet *cornaculum*, lib. 25, 31. pro *ſervam civitatem*, *reſervatam*, lib. eodem c. 36. *clientelas* pro *clitellas* lib. 27, 32. *indutus latiarum tempore* pro *indutiarum tempore*, & eodem c. 33. pro *antiquaretur*, *antequaereretur*, lib. 28, 12. pro *vulnere*, *voluntatere*, & eodem cap. 37. *ſuperſtes* pro *ſuffetes*. Quare magnum periculum adiit vir doctiſſimus, qui non ita pridem in elegantiſſimo auctore pro *ſoliſtimo tripudio* unius librarii fide nobis *ſolemniſſimum tripudium* dedit. Ego ſicubi hoc reperiſſem non antea emendatum, illud de conjectura reponere vetitus non fuiſſem. Sed per me quidem ſententia quiſque ſua fruatur. Ibidem omnes noſtri præter unum infimæ dignitatis cum Sigoniano: *celeriter è conſpectu terræ ablati ſunt*. Statimque Put. Men. *ita vix ut concurſus navium*.

Cap. 28. *Præcipue Carthagini prope ut capta tumultus fuit*] Omnes Gall. *Carthaginis*.

Cap. 29. *Militante eo pro Carthaginienſibus in Hiſpania pater ejus moritur*] Sigonii liber: *pater ei moritur*. Neque aliter omnes Gall. & Pall. Sed nondum ſic integritas loco parta eſt. Put. & Gall. amplius non agnoſcunt *τὸ eo*. Sed Put. reg. Men. *Militandi pro Carthagin.* Pet. *Militanti pro Cart.* Atque hæc auctoris eſt manus: *Militanti pro Carthaginienſibus in Hiſpania pater ei moritur*. Vides elaboratum & rotundum ſermonem. Nomen patrui Maſiniſſæ ubique fecimus *Oeſalces*, non *Deſalces*: quod illo modo alicubi omnes, alicubi optimi Gall. id repræſentarent. Et idem prorſus videtur, quod lib. 23. effertur *Iſalca*, ubi eſt præfecti Gætulorum. Apud Silium Italicum quoque *Iſalces* memoratur. De Capuſa Oeſalcæ filio: *quum magis jure gentis, auctoritate inter ſuos quam viribus obtineret regnum*. Quis cre-

crederet, hanc balbutiem vel ſomnianti excidiſſe Livio? Tamen id non ſolum credidit Rhenanus, ſed, ut ſeculum jam crederent alii, effecit, mutata optimi & expediti ſenſus lectione, quam vetuſtiſſimi, immo omnes alicujus loci, ſcripti codices ſervant: *quum magis jure gentis quam auctoritate inter ſuos aut viribus obtineret regnum.* Tutiſſimum quidem eſt juſtis viribus opibuſque regiam potentiam niti: ſed tametſi abſint illæ, quandiu auctoritas inter ſuos principi ſalva eſt, facile à ſceleratis molitionibus æmulos abſterret: quia quidquid factum de illo fuerit, vindices habere creditur. Patet in Arato, in Timoleonte, in Hierone, aliiſque tot illuſtribus viris, qui in liberis civitatibus, nullis invidioſis opibus accincti, auctoritate tantum valuerunt, ut prope dominarentur. Ergo vult puerum Livius, ſolo jure gentis legitimum regem, non viribus munitum, non auctoritate venerabilem fuiſſe, atque eo facilius rebellaſſe Mozetulum.

Cap. 30. *quum in urbem refugiſſet, & urbem Maſiniſſa*] Omnes Gall. duo Pall. ἀσυνδέτως, contra quam Rhenanus. Ita Put. reg. Men. *veteres milites Galæ, & invitabant juvenem.* non *incitabant*, ut ille. Ibidem: *Vicit tamen & veterum militum virtus & prudentia inter Romana & Punica arma exercitati ducis.* Put. reg. Men. *τὸ militum* ſpernunt. An fuit, *veteranorum virtus?* Lib. 37. de Achæis Eumeni auxilio miſſis: *Veterani omnes & periti belli erant.* Omnes rurſum Gall. & duo Pall. *quia ſibi adverſus Syphacem haud paullo majorem.* Et, *futurum eum in eodem honore.* Quibus fraudi fuit defectus Rhenani codex.

Cap. 31. *vix dum coaleſcere foventi regnum*] Put. & duo Pall. *coaleſcens foventis.* Reg. Men. *coa-*

coaleſcent foventis. Ibidem: *tanquam haud dubie juris ſui, caſtra locet.* Put. *haud dubii.* Regius: *haud ubi.* Mox: *in medium regni eundem.* Put. Men. *regnum*, ſecus quam Rhenanus. Inferius: *pluresque quum juſto ſæpe in bello Carthaginienſium caderentur caperenturque.* Bene *bello* Rhenanus, bene *Carthaginienſium:* ſed præterea Put. reg. Men. duo Pall. *caderent caperenturque.*

Cap. 32. *faucibus utrimque obſeſſis incluſit*] Put. à manu prima: *faucibus utrimque oppoſitus incluſit.* Manus poſterior *VS* mutavit in *IS*. Reg. & Men. *oppoſitos.* Cur ſperneremus antiquiſſimam lectionem, cauſſæ nihil erat. Dein omnes Gall. optimus Pal. *patentibus prope urbem Clupeam campis ita circumvenit*, repugnante Rhenano, qui *circumdedit:* ut etiam: *omnes ad unum interficeret.* Inſigniter vexatum eſt, quod ſequitur: *In conſpectu erant fugientis ala equitum diſperſa lato campo.* Nam Put. reg. Pal. *ala equitum diſperſa.* Reg. etiam *toto campo.* Quidam: *ala equitum diſperſato campo.* Prodigii autem inſtar eſt, quod pro, *quacunque hoſtis flectebat*, omnes Gall. & Palatinorum optimus: *quinque hoſtes ſequebantur.* Nos facile id procuramus. Scribendum enim: *inter tumultum amiſit. In conſpectu* (Bocchari & cæterorum) *erant fugientes;* (Maſiniſſa & quatuor equites;) *ala equitum* (ducentorum) *diſperſa toto campo, quibuſdam,* (perſequentium equitum) *ut* (diverſa effugia petentibus) *occurrerent, per obliqua tendentibus, quinque hoſtes* (Maſiniſſam & comites) *ſequebatur.* Eſt admodum notabilis caſus magni poſtea virtute ac fortuna regis: eo accuratius illum exſequitur narrando Livius. Lib. 37. *dilapſi cæteri ſparſerant ſe toto paſſim campo.* Mox: *raptique gurgite & in obliquum relati.* Pet. Pal. *perlati.* Put. duo optimi Medicæi,

Medicæi, Barber. melior Pal. *prælati.* Quod verum eſt. Ait, cum directo niſu tranare amnem cuperent, violentia gurgitis abreptos in obliquum fuiſſe aliquantum præter litus latos. Verbum domeſticum Livio. Lib. 2. *Cumanæ cohortes arte adverſus vim uſæ declinavere paullulum, effuſeque prælatos hoſtes converſis ſignis ab tergo adortæ ſunt.* Lib. 5. *ut effuſa fuga caſtra ſua, quæ propiora erant, prælati urbem peterent.* Lib. 6. *conſternatique & præter caſtra etiam ſua pavore prælati.* Lib. 7. *fuſique per campos & præter caſtra etiam ſua fuga prælati.* Lib. 38. *Fuga ad caſtra inclinavit: ſed pauci intra munimenta ſe recepere: pars major dextra lævaque prælati, qua quemque impetus tulit, fugerunt.* Tacitus annali ſexto: *Pharaſmanes Orodi vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit prælatus equo.* Sic *prævehi.* Lucanus: *Aſiamque potentem prævehitur.* Tacitus de Rheno: *qua Germaniam prævehitur.* Cui reddendum id ex Vaticano codice puto lib. 2. hiſtor. 2. *Igitur oram Achaiæ & Aſiæ ac læva maris prævectus Rhodum & Cyprum inſulas, &c.* Vulgo: *prætervectus.* ſic *prælabi, præfluere, prænavigare:* quod poſtremum in membranis invenimus epiſt. 51. Senecæ: *prænavigantes adulteras dinumeraret.* Eoque verbo utitur epiſt. 70. Statim omnes Pall. Flor. Barb. & Gall. *duobus in conſpectu hoſtium in prærapidum gurgitem hauſtis.* non *præruptum.* Subjicitur: *ipſe periiſſe creditus, duo reliqui equites cum eo virgulta interioris ripæ tenuerunt.* Sic quidem Rhenanus, qui deos bonos invocat ad impudentiam caſtigatorum improvidorum, hoc eſt, ſibi ipſi verum dicit. Quid eſt *interior ripa?* Certe aut citerior ſimpliciter, aut pars citerioris, quæ propius fluvium. Quid autem illo loco Maſiniſſæ infeſtius? Aut quid fuiſſet hoc aliud quam præſentem captivita-

tem amplecti, quæ crudeli & ignominioſa morte finiretur? Scilicet ripam interiorem ſcrutaturi non erant tanta cum ira, tanta cum ſpe perſequentes. Sed audacem illum correctorem librarium & poſtea bonum Rhenanum decepit corrupta vox *relati*, ut crederent neminem tranaſſe. Nos cum veteribus edd. cum Gallicanis omnibus, optimis Florent. Barber. & duobus Pall. teneamus: *ipſe periiſſe creditus; at duo reliqui equites cum eo inter virgulta ulterioris ripæ emerſerunt.* Sic, inquam, omnes illi, niſi quod ex copulativa fecimus adverſativam: habent enim: *creditus ac duo.* Inferius: *patique poſſe viſus eſt jactationem.* Et hoc ab Rhenano. Olim erat, *viſa eſt*: Put. reg. optimus Pal. *viſa* ſine verbo ſubſtantivo. Forte & deleta conjunctione ſcribendum: *ubi primum ducta cicatrix pati poſſe viſa jactationem.* Omnes vero Gall. *Inde irritato ad bellum Syphace.* quod denuo mutavit Beatus. Etiam cum optimis ſcribe: *in jugis opportunorum ad omnia montium.* non *opportuniorum.*

Cap. 33. *miſſa, illum circumducto agmine, in ſe intentum hoſtem ab tergo invadere jubet*] Rurſum omnes Gall. & Pal. optimus invito Rhenano: *parte exercitus miſſa imperat, ut circumducto agmine in ſe intentum hoſtem ab tergo invadat. Nocte profectus.* Et quid opus mutare? At placet, confirmantque aliquot noſtri, quod idem Rhenanus: *duæ turmæ hæſere. altera metu dedita hoſti, pertinacior in repugnando telis obruta & confixa eſt:* deleta ſemel voce *altera.* Eſt autem par illi lib. 10, 29. *quibus pleriſque in ſcuta, verutis in corpora ipſa fixis, ſternitur cuneus.* Vbi inculcaverant iterum τὸ *pleriſque.* Repete, quæ diximus ad lib. 3. 36. Deinde Put. duo Pall. cæterique Gall. *ipſe cum ſexaginta equitibus ad minorem Syrtim*

per-

pervenit. Vulgo, *octoginta:* Andreanæ atque Aldina, *ſeptuaginta:* Rhenani codex unuſque Pal. *decem.* Statim omnes una cum illis edd. *conſcientia egregia ſæpe repetiti.* non *egregie.* Adhæret: *inter Punica Emporia gentemque Garamantum omne tempus uſque ad C. Lælii claſſiſque Romanæ adventum conſumſit.* Verba illa: *Garamantum omne tempus uſque:* in Put. reg. Men. melioribus Flor. non videntur. Invexerunt illa, qui non videbant indigere conjectura duo verba, *gentem* & *conſumſit.* Ex quibus illud ſuſpicor ſignificare verum Livii, *Syrtimque*, vel *Leptimque*, de altero amplius cogitandum. An *permanſit?* Lib. 34. *Emporia vocant eam regionem. ora eſt minoris Syrtis & agri uberis. una civitas ejus Leptis.*

Cap. 34. *alioque equitatu per novum delectum comparato*] Dele copulativam volentibus Put. reg. Men. ipſoque ſenſu. Mox: *ut Carthagini & univerſæ Africæ ſubveniat.* Repone cum optimis: *ut Carthagini, ut univerſæ.* Ibidem: *quum Saletam nomine urbem occupavit.* Put. & Gall. *Salaeca.* Et inferius: *præſidio Salacæ impoſita.* Videtur eſſe eadem quam Λόχα vocat Appianus. Paullo poſt: *Quod ubi Scipioni relatum eſt, æſtiva ſub tectis agere equitatus.* Verbum *agere* ignorant Put. & Menardi. Et ſane diſplicet vulgata. An fuit: *æſtiva ſub tectis equitem agere?* Lib. 27. *bis cæſum exercitum ejus æſtiva Venuſiæ ſub tectis agere.* Non longe Put. & Gall. omnes cum optimo Pal. & Sigoniano: *ſe in tempore pugnæ obventurum.* Vtitur verbo, ut alibi τῷ *occurrere.* Lib. 10. *hoſtes non inventi, ſeptem millia quum abeſſent à Cominio, revocati ab ſuis neutri prælio occurrerunt.* Lib. 31. *Concilium Ætolorum ſtatuta die, quod Panætolium vocant, futurum erat. Huic ut occurrerent, & legati regis iter accelerarunt,* &c.

Athenienſium quoque legati ad id concilium occurrerunt. Eodem libro: *qui non, cum exercitum ex Etruria tranſire in Galliam juſſiſſet, ipſe Arimini occurrerit.* Plautus Pſeudolo: *proin tu Pſeudolo Nunties, abduxiſſe alium prædam, qui occurrit prior Harpax.* Mox audiendus fuit Rhenanus: *qui peropportune circa viæ flexus oppoſiti erant.* Put. enim & meliores plene: *peropportunè.* Dein: *cum timoris ſimulati ſpecie audaciam hoſti faceret.* Jam Rhenani codex τὸ *ſpecie* peregrinitatis arguerat. Ergo ille: *timore ſimulato.* Sed, ut Sigonius, Put. & Gall. duoque Pall. *cum timoris ſimulatio audaciam hoſti faceret.* Continenter Put. reg. *inſequentem temere eliciebat.* non *ad inſequendum.* Præterea: *primo incaute ſe invehentes Maſaniſſa excipiebat.* Put. *incauteſeuehentis.* Reg. *incautos evehentes.* Men. *incaute ſevientes.* Voluerunt nempe: *incaute ſe evehentes.* Denique: *ſuſtineri ultra nequivere.* Put. & Pet. *nequiere.*

Cap. 35. *captum Hannonem tradunt*] Vt Sigonius, omnes Gall. optimuſque Pal. Andreanæque & Aldina: *captum etiam Hannonem.* Statim Gall. *præfectos equiteſque, prout cujuſque opera fuerat, ante omnes Maſaniſſam*: poſteriore copulativa deleta. Nugax Rhenani codex: *quorum opera fuerant*: unde prava conjectura ejuſdem: *quorum opera fuſi erant.* Ibidem: *tormenta machinaſque & advexerat ſecum & ex Sicilia cum commeatu miſſa erant, & nova.* Et hic Rhenani codex malam manum paſſus. Tu reſtitue ex Put. popularibuſque ejus: *& ex Sicilia miſſa cum commeatibus erant, & nova.* Etſi propius eſt *machinas*, tamen utrique junctim aptius reſpondent neutra. Inferius: *Aſdrubal intentiſſima inquiſitione quum ad triginta millia peditum tria equitum effeciſſet.* Non ſuſtulit, ſed addidit vitium Rhenanus.

Etenim

Etenim Put. Reg. Men. *confeciſſet.* Auctor libri 8. de bello Gallico: *Nocte inſequenti legati reſponſa ad ſuos referunt, obſides conficiunt.* quos nempe Cæſari daturos ſe promiſerant. Sed *inquiſitione* mendum eſt poſtremarum editionum: nam anteriores cum antiquis & mss. *conquiſitione*, qua voce frequenter hac in re Livius utitur. Etiam Put. Reg. Men. *& navalium caſtra amplectitur.* Denique omnes Gall. & Pall. *latus ad ſeptemtrionem verſum.*

Cap. 36. *horreaque non ſolum ea quæ jam facta erant.*] Omnes Gall. abolent *ea.* Ibidem Put. reg. *Romani pulſi & tumultu verius quam pugna mille & ducenti interfecti:* (quod ſequitur, omnes Gall.) *in caſtra trepide reditum.* Mox: *quum conſuli duplicata vires, Pœno recens victoria animos faceret.* Elegantius Put. reg. Men. optimus Pall. *victoria animo eſſet.* Neque dubitem pro vero adſerere. Sic Plautus Mercatore: *Nec quid corde nunc conſilii capere poſſim, Scio: tantus cum cura meo eſt error animo.* Omnes vero Gall. *paullo minus trecenti vivi capti & equi quadraginta.* Delevit copulativam Rhenanus. Iidem: *non tam armis quam judiciorum terrore Etruriam continet.* Omnes etiam cum Aldina: *primo præſentes erant condemnati.* Andreanæ aliæque antiquiores: *primo erant præſentes cond.* Recentiſſimæ verbum ſubſtantivum omiſerunt. Tum Put. *ſibimetipſi exilium conſcientes.* Denique de conjectura mallim: *corporibus ſubtractis, bona tamen.* non *tantum*, quod vulgo eſt.

Cap. 37. *M. Livius & C. Claudius ſenatum recitarunt*] Omnes Gall. *recitaverunt.* Ibidem Put. & cæteri Gall. *deferentibus ipſarum coloniarum cenſoribus.* Vulgo duæ voces abſunt, & , ut puto, injuria. Iidem duoque Pall. conſenſu: *M. Livium,*

quia populi judicio eſſet damnatus. non *condemnatus*. Pariterque, *quum ad tribum Narnienſem.* non *Arnienſem*: ſed hoc, ni fallor, recentiſſimarum crimen, & forte operarum culpa. Mox: *Itaque ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum ſua famæ damno factum eſt.* Put. reg. Men. optimus Pal. *Neque fœdum.* Duo alii Pal. *Neque ibi fœdum.* Fortaſſis: *Æque fœdum certamen inquinandi famam alterius cum ſua fama damno factum eſt exitu cenſuræ. Quum in leges juraſſet* &c. Omnes vero Gall. Andreanæque & Aldina editiones: *neque condemnatum aut conſulem aut cenſorem feciſſet.* Iterum ſcripti omnes ut & Sigonianus: *caſtigatio inconſtantiæ populi cenſoria & gravitate temporum illorum digna.* Quod duplicem admittit interpretationem. Vel, caſtigatio cenſoria inconſtantiæ populi fuit & digna temporum illorum gravitate. Vel, caſtigatio inconſtantiæ populi fuit digna qua cenſoria qua temporum illorum gravitate.

Cap. 58. *aliæ civitates in deditionem venerunt*] Put. reg *in ditionem venerunt.*

AD

LIB. XXX.

CAP 1. *Galliam provinciam obtineret*] Sic quidem Rhenanus: ſed Put. omneſque Gall. cum vett. edd. *obtinere.* Idque non mutandum fuiſſe monuimus ad lib. 1.

Cap. 2. *Mures Antii coronam auream arroſerunt*] Et ſcripti & veteres editi, *adroſere* vel *arroſere.* Ibidem omnes Gall. *Conſulum alteri primam*

nam hoſtiam immolanti caput jocinoris defuit. non *jocinori.* Sic lib. 8. *Decio caput jocinoris à familiari parte cæſum aruſpex dicitur oſtendiſſe.* Aliud eſt lib. 41. *qui ſe, quod caput jocinori defuiſſet, tribus bubus perlitaſſe negavit.* Nam hic ſous ille dativus comparet.

Cap. 4. *calonum loco primos ordinis ſpectatæ virtutu atque prudentiæ*] Scribendum eſſe, *primos ordines*, diximus ad lib. 9. Neque aliter optimus codex. Ibidem Put. omneſque Gall. *opportuniores inſidianti eſſent.* non *inſidiantibus.* Vt & inferius: *ad comparanda ea, quæ in rem opus erant:* nolente Rhenano. Tum: *negligentia, ut fit, apud Pœnos Numidamque orta cavendi.* non *Numidaſque.*

Cap. 5. *His præparatis convocatoque concilio & dicere*] Meliores: *advocatoque conſilio edicere exploratoribus juſſis.* Veriſſime. *Edicere* eſt proloqui, indicare. Plautus Amphitr. *Tute edictas facta tua, ex me quæris, quid deliqueris.* Salluſtius Catilin. *juſſus à conſulibus, quæ ſciret, edicere.* Etiam Andreanæ & Aldina: *advocatoque.* Mox omnes & Gall. & Pall. *extemplo educerent caſtris legiones.* Omnes item Gall. inferius: *in armatos incidere hoſtes.*

Cap. 6. *binaque caſtra die una deleta*] Sic Sigonius, quia Appianus: ἐν ὀλίγῳ μέρει νυκτός. Atqui ſi nocte, non utique *die.* Put. *caſtra de una.* Vnde puto rectius feciſſe alios: *clade una:* quod & totum exſtat in Petav. & habuit Rhenani liber. Ibidem Put. Men. *cæſa aut hauſta flammis quadraginta millia hominum ſunt,* (quod ſequitur, eſt in omnibus Gallicis) *capta ſupra quinque millia.* In quibus & ſtatim: *ſigna militaria centum ſeptuaginta quatuor.*

Cap. 7. *quia voluntate conceſſerant in deditio-*

nem] Put. reg. duo Pall. *in ditionem*, ut libro præcedenti. Omnes autem Gall. *loco communito conſedit* : repugnante Rhenano. Valde ſuſpecta ſunt: *Ibi tribus dictis ſententiis, una de pace legatos ad Scipionem decernebat.* Nam Put. & omnes Gall. tres meliores Florent. Barberin. τὸ *dictis ſententiis* omnino non habent: dein pro *exitiali* illic eſt *exitiabili*, ut & in anterioribus editionibus: vicem τῷ *exemplo* habent, *erat*, ingenti conſenſu. Etiam atque etiam vide an fuerit: *Ibi e tribus, una de pace legatos ad Scipionem decernebat; altera Annibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocabat; tertia Romanæ in adverſis rebus conſtantiæ erat, reparandum exercitum Syphacemque orandum,, ne bello abſiſteret, cenſebat. Hæc ſententia, quia Adrubal præſens* &c. Pluſcula adſcripſi verba, ut appareret, ſatis commode ad illa adjectiva, *tribus, una, altera, tertia*, ſubſtantivum *ſententia* ex ſequenti membro ſubaudiri: quod quia anterius ponendum fuiſſe judicabant Liviani moris ignari correctores, gloſſema illud, *dictis ſententiis*, inſeruerunt. Ea ſcita brevitas ſermonis multis auctoribus nocuit, ut in Obſervationibus proximis & ad Statium, ſi Deus dabit, late docebimus. Nunc ex Livio ſolo nonnihil exemplorum adpoſuiſſe ſufficiat. Lib. 25. *Iam mille armatorum ceperant partem, quum cetera admotæ, pluribuſque ſcalis in murum evadebant.* Quæ *cetera?* niſi *ſcalæ*, quæ vox ex proximo membro huc referenda. Glareano dura videtur compoſitio, nobis eam Livii familiaritas familiarem fecit. Eodem libro extremo: *Itaque haud magni certaminis fuit: primus clamor atque impetus rem decrevit.* Lib. 32. *Haud procul urbe Mycenica vocatur. in eo loco ut congrederentur, convenit.* Perinde eſt hac ſi dixiſſet: *Haud procul urbe*

locus

locus eſt qui Mycenica vocatur. Lib. 33. *In S. C. quo miſſi decem legati ab urbe erant, cætera Græciæ atque Aſiæ haud dubie liberabantur: de his tribus urbibus, quod tempora reipublicæ poſtulaſſent, id è republica fideque ſua facere ſtatuere juſſi erant.* Vbi vides ſenſu ex poſterioribus repeti τὸ *urbes.* Lib. 34. *ſignati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum. tetradrachmum vocant: trium fere denariorum in ſingulis argenti eſt pondus.* Lib. 42. *in liberis gentibus populiſque plebs utique omnis ferme, ut ſolet, deterioribus erat ob regem Macedonaſque inclinata: principum diverſa cernere ſtudia.* Nam τὸ *deterioribus* ex ſequenti membro ſubaudit *ſtudiis.* Hujuſmodi eſt lib. 24, 38. *Poſtquam ab eo colloquio in arcem ſeſe recepit, convocatis ocius, Credo ego vos audiſſe, milites, inquit,* Sic enim eruimus ex optimis libris, in quibus: *convocatio quibus.* Vox *militibus* è proximo intelligitur ad τὸ *convocatis.* Quod qui neſciebant, nolentibus veteribus libris eam interjecerunt. Ibidem: *circa urbem nomine Olbam.* Scripti omnes *Obbam.* Videtur eſſe Polybii *Abba*, ut animadvertit Sigonius. Mox Put. omneſque Gall. *Igitur non benigne modo legatis reſpondit.* Probe: nam ratio, cur ita reſponderit, ſtatim ante expoſita eſt.

Cap. 8. *diſtante ab caſtris regis conſedit*] Omnes Gall. *regiis.* Iidem: *ſuccedendo ad ſtationes hoſtium.* non *ſtationem.* Item: *Syphax Aſdrubalque Numidicis.* non *Numidis.* Tum Put. & reg. *Numida, maxima pars agreſtes, Romanum equitatum.* non *agreſtis.* Denique Put. reg. *Nudata utrimque cornibus Celtiberum acies.* non *Celtiberorum.*

Cap. 9. *& Numidico equitatu expeditiſſimiſque militum*] Put. & omnes Gall. *expeditiſque mili-*

tum. Vt ille, *nigræ lanarum.* Lib. 37. *inde cum præſto fuiſſent equites peditumque expediti.* Dein Put. reg. Petav. melior auctiores: *urbes circa, quæ omnes Carthaginienſium ditionis erant, partim ſpe, partim metu, partim vi ſubegit:* tranſpoſitis etiam vocibus. Alludit eodem Men. *partim ſperatim metu partim vi.* Illa haud dubie vera lectio eſt. Lib. 32. *Cur exceſſit faucibus Epiri aut vi aut metu aut voluntate?* Lib. 33. *Caſtellis aut metu aut voluntate ſine certamine in deditionem acceptis.* Lib. 34. *L. Quintius maritimæ oræ oppida partim voluntate partim vi aut metu recepit.* Præterea omnes Gall. *quippe claſſi ut feliciſſime gerantur res.* Sic lib. 4, 34. *Claſſi quoque ad Fidenas pugnatum cum Vejentibus quidam in annales retulere.* Vbi Sigonius. Prope finem: *occupat relictum fuga cuſtodum Tuneta. abeſt ab Carthagine duodecim millia ferme paſſuum, locus quum operibus tum ſuapte natura tutus.* Recte ab Rhenani parentheſi & correctione, quam reſpuunt omnes Gall. & Pall. vindicavit Sigonius: qui quod *quindecim* millia paſſuum ex Polybio conficit, in eo habet omnes Gall. & Pall. ſuffragantes. Statim & Gall. *& qui & ab Carthagine conſpici & præbere ipſe.*

Cap. 10. *aut in onerariarum uſum verſæ*] Hanc clauſulam in omnibus mss. Gall. Pall. & Italicis conſpicuam imprudenter defecti ſui codicis auctoritate delet Rhenanus. Quæ connectuntur hiſce, ita concipiunt Put. omnes Gall. tres Medicæi Barberin. unus Pal. *aut ita pulſæ ad muros.* Cur ſperneremus? Statim omnes Gall. *præbere aſcenſus poſſent.* Sequitur dignus vindice nodus, quem fruſtra Rhenanus & Sigonius aggreſſi: *Itaque Scipio, poſtquam eo ventum eſt, ut in navali certamine ſolet, roſtratis quæ præſidio eſſe aliis poterant,*

rant, in poſtremam aciem receptis, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adverſus hoſtem oppoſuit. Sic vulgo. at longe aliter ſcripti. Quatuor hæc verba: *eo ventum eſt ut:* in omnibus bonis deſiderantur. Put. *Itaque Scipio poſtquam inuali certamine ſolet.* Reg. duo optimi Florent. *poſtquam in navali certamine.* Barberin & Men. *poſtquam ut in navali.* Petavianus habet additamentum una cum ſimulacris veteris lectionis: *poſtquam eo ventum eſt corona quam ut in navali.* Ex hiſce non obeſæ naris homini facile ſubolet, ſcribendum: *Igitur Scipio, contra quam in navali certamine ſolet, roſtratis, quæ præſidio eſſe aliis poterant, in poſtremam aciem receptis.* Quæ & ipſa lectio Rhenani eſt, & integra quoque uno in Palatino viſebatur. Sed fallitur in ratione verborum optime reſtitutorum vir ingenioſus: nam quis, inquit, unquam ſic ad naumachiam inſtrui naves vidit, ut inter ſe colligentur. Ergo vapulat ab inſtauratore Faſtorum, qui è ſuis (*jam novimus* qualis plerumque notæ) refert: *ut in navali.* hoc ſenſu. Scipionem roſtratas, ut in navali certamine ſolet, in poſtremam aciem recepiſſe, quæ præſidio aliis eſſe poſſent. Graviſſimus & inexcuſabilis error: roſtratæ primam impreſſionem in hoſtes faciebant, erantque adeo ipſe mucro belli: tantum abeſt, ut in poſtremam aciem collocatæ, velut in terreſtri acie triarii, aliis & maxime onerariis ante inſtructis navibus præſidio eſſent. Thucydides lib. 7. in hoc fiduciam præcipuam Syracuſanorum ponit: *ἀντίπρωροι γὰρ ταῖς ἐμβολαῖς χρώμενοι, ἀναῤῥήξειν τὰ πρώραθεν αὐτοῖς, στερίφοις καὶ παχέσι πρὸς κοῖλα καὶ ἀσθενῆ παρέχοντες τοῖς ἐμβόλοις.* Auctor de bello Alexandrino: *naves adverſæ roſtris concurrunt adeo vehementer, ut naves Octavii una roſtro*

diſcuſſo

diſcuſſo ligno contineretur. Et mox: *multæ præterea capiuntur aut roſtris perforatæ merguntur.* In pugna navali Æmilii & Polyxenidæ maximum momentum ad victoriam fuiſſe teſtatur Livius lib. 37, quod metu ignis ex adverſis prælati regiæ naves, *ne prora concurrerent, quum declinaſſent, nec ipſæ ferire roſtro hoſtem poterant, & obliquas ſe ipſæ ad ictus præbebant.* Hinc Philippus apud Polybium lib. 16. δοὺς τὸ σύνθημα τοῖς ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ, καὶ παραγγείλας ἀντιπρώρους ποιεῖν τὰς ναῦς. Hoc eſt ergo, quod contra utique navalis certaminis conſuetudinem fecit Scipio: quum neque numero navium ad conferendum in aperto mari certamen par eſſet Pœnis, neque ſatis haberet temporis ad eas, quæ aderant, inſtruendas & educendas; roſtratis, quæ aliis præſidio eſſe poterant, ſi juſtum prælium tentandum foret, quæ tegere alias & propugnaculum onerariarum eſſe deberent, in poſtremam aciem recepit; præductis onerariis atque inter ipſas relicto modico intervallo colligatis ac ponte ſtratis, ſub quo ſpeculatoriæ procurrere atque infeſtare oppugnantem hoſtem poſſent. Itaque roſtratarum in prælio pœne nullus uſus fuit, niſi quod ſervatæ ſunt & fortaſſis inde longinqua tormentis tela miſſa. Eodem cap. Put. *illigatis comprendit, tabulaſque ſuperinſtravit.* Adjectio τοῦ IN eſt in omnibus Gall. duobuſque Pall. Statim ſequitur: *ut pervius in totum ordo navium eſſet.* Ab Rhenano hoc eſt, quum antea ederetur: *ut pervium navium ordinem faceret:* inveniſſet autem in ſcripto: *ut pervium in totum ordinem eſſet.* Quod & noſtri quidam haud ſpernendi. Put. reg. *ut pervium ordine feciſſet.* Quas veterum librorum ſcripturas ego ſic enodandas exiſtimo: *ut pervii inter ſe ordines eſſent.* hoc eſt, ut ab uno ordine ad aliud eſſet apertus

apertus commeatus. Putabam aliquando legendum: *ut pervium inter ordines eſſet.* Voce accepta ut apud Feſtum in *Vici*: *ut in eo ædificio pervium ſit, quo itinere habitatores ad ſuam quiſque habitationem habeat acceſſum.* Tacitus lib. 3. hiſtor. *Et interjectus exercitus Rhætiam Iuliaſque Alpes, ne pervia illa Germanicis exercitibus foret, obſepſerat.* Sed non poteſt hoc ferri: neque enim id nunc dicit Livius, ſed mox his verbis: *& ſub ipſis pontibus intervalla fecit.* Illud igitur omnino probamus. Inferius: *qui, ſi maturaſſent, omnia permiſta turba trepidantium primo impetu deprehendiſſent.* Quid vetat uti verbis Rhenani? Dii boni, quanta eſt ſciolorum temeritas mutantium ſtatim, quod non adſequuntur. Scripſit Livius: *primo impetu oppreſſiſſent*: quod non intelligens aliquis ſuppoſuit, *deprehendiſſent.* Summo quidem jure poſſem, ſed nolo probrum dicere præſtanti viro: nimis credulus fuit uni libro, & quæcunque aliter, atque in vulgatis, illic eſſent, Livii eſſe, nihil librarii, putavit. Put. ille & omnes Gall. *oppreſſiſſent*: & nota eſt ſignificatio vocis pro ſupervenire, deprehendere. lib. 5. *redeuntes à populationibus graveſque præda Tarquinienſes oppreſſere.* Lib. 10. *improviſo oppreſſis nec animi ſatis ad reſiſtendum nec virium fuit.* Mox etiam Put. *ſub occaſum ſolis in portum (Ruſcinona Afri vocant) claſſe adpulere.* non *claſſem*. Idem cum cæteris Gall. & optimus Pall. *velut ad juſtum prælium navale, & tanquam exituris contra Romanis.* Tum optimi: *harpagones vocat miles.* non *vocant milites.* Denique omnes Gall. *vincula, quibus alia aliis innexa erat.*

Cap. 11. *Omnem utrimque poſtremo exercitum certaminis ſtudium effudit*] Non hæc eſt germana lectio, ut ſentit Sigonius, non quam imperat

Rhe-

Rhenanus: *omnes utrimque poſtremo equitum certaminis ſtudium effudit*. Sed quam habent omnes Gall. & duo Pall. *omnem utrimque poſtremo equitatum certaminis ſtudium effundit*. Eamque confirmat quod continenter ſequitur: *Ac dum ſincerum equeſtre prælium erat*. Ita enim Put. reg. treſque optimi Medicæi. De utroque egimus in Obſervationibus ad edendum paratis.

Cap. 12. *Maſaniſſa præbiturus ſpectaculum, ad Lælium attrahitur*] Ut Sigonius, Put. & meliores, *pertrahitur*. Ab correctoribus eſt: *eoque ſe ingens vis hominum ex fuga contulerat.* Nam Put. reg. Men. *Cirtha caput regni Syphacis erat: eoque ingens hominum contulit vis*. Optimus Pal. *eoque ingens hominum vis contulit*. Scribe haud dubitanter: *eo ſe ingens hominum contulit vis*. Nec mitius accepta, quæ ſequuntur. *Maſaniſſa Lælio dicere, ſibi quidem, nihil eſſe in præſentia pulchrius, quam victorem recuperatum tanto poſt intervallo inviſere receptum patrium regnum*. Nuſquam in Put. & omnibus Gall. duobuſque Pall. duobus item Medicæis & Barberin. τὸ *Lælio*, nuſquam τὸ *receptum*: in quo impingit Sigonius, qui τὸ *recuperatum* putat eſſe gloſſema hujus, cum plane contra ſit. Cum illis igitur veteribus ita lege: *Maſaniſſa, ſibi quidem, dicere, nihil eſſe in præſentia pulchrius quam victorem recuperatum tanto poſt intervallo patrium inviſere regnum*. Hic & vocum ordo eſt in antiquis: ipſa autem res loquitur, non apud alium potius ullum quam Lælium iſta dicenda fuiſſe. Ibidem omnes Gall. *quam rex vinctus in conſpectum datus eſſet*. In precibus Sophonisbæ omnes Gall. *omnia quidem ut poſſes in nobis*. Item: *neque me in cujuſquam Romani ſuperbum*. Fruſtra pronomen exigit Rhenanus: revocant enim id Gall. omnes. Ut & particulam in illo: *morte me*

ut

ut vindices. Nec longe: *propiuſque jam blanditias oratio eſſet, quam preces.* Omnes Gall. optimus Pal. exſtirpant *τὸ jam.* Eodem capite: *adeo non diſſimulavit improbare factum.* Put. *improbareſefactum.* Supra E primum adſcriptum eſt V, ſupra S vero G. Inde reg. Men. *improbe à rege factum.* Pal. unus audentior: *improbe à rege factum dicere.* Vides ut paullatim eatur in pejus. Voluerat autem optimus ſimpliciter: *adeo non diſſimulavit improbare ſe factum.* In fine: *miſſo Syphace & captivis:* omnes Gall. exciſa voce *cæteris*, quam adſutitiam eſſe monuimus olim ad lib. 3, 35.

Cap. 13. *Sed eum demum, quum arma*] Omnes Gall. *ſed non tum demum.* Ergo mutanda diſtinctio, & reponendum: *tum ille, peccaſſe quidem ſeſe atque inſaniſſe fatebatur; ſed non tum demum, quum arma adverſus populum Romanum cepiſſet: exitum eum ſui furoris fuiſſe, non principium.* In eadem Syphacis oratione: *nec quieviſſe, donec ipſa manibus ſuis nefaria ſibi arma* &c. Put. reg. Men. optimus Pall. *nec conquieſcere donec.* Pet. *nec conquieſſe donec.* Hoc voluit Livius & ſignificant illi. Cicero 1. famil. 1. *niſi perfecta re de me non conquieſti.* Viſe ad lib. 26, 22. Ibidem omnes Gall. duoque Pall. *etiam juventa incautiorem. certe ſtultius illum atque intemperantius eam quam ſe duxiſſe.* Ceſſet igitur & Rhenani ſectio, cujus mutilus codex malus auctor.

Cap. 14. *Facta prope inter arma nuptiæ*] Put. reg. Men. Pal. *rapta prope inter arma.* Præclare: nam *raptum* eleganter dicitur quidvis raptim factum: quod alibi nonnullis veterum vindicatis locis oſtendimus. Mox: *ut quo die captam reginam vidiſſet, eodem matrimonio junctam acciperet.* Put. omneſque Gall. & duo Pall. *quo die captum hoſtem vidiſſet.* Cui obſcurum poteſt eſſe vulga-

vulgatam gloſſemate deformatam & ſcripſiſſe Livium: *quo die captam hoſtem vidiſſet*. Priſciani regula eſt. 5. *In I S finita nomina ſi ad homines proprie ſolos pertinent, communia ſunt, & non faciunt ex ſe neutra: ut hic & hæc civis, hic & hæc hoſtis. Statius in ſecundo Thebaidos: Turbidus incertuſque oculis vigilantibus hoſtem Occupat amplexu. Cum de uxore Helymi Gorge loquitur.* Vbi corrige: *in quinto Thebaidos*. Statim cum ſcriptis lege: *& ad penates hoſtis ſui*: inque capite ſequentis periodi omnibus Gall. volentibus dele copulativam: *Eo fœdiora hæc videbantur*. Item ſcribe: *abductum in ſecretum Maſaniſſam*, non *adductum*. Solus quidem habet illud Andinus; ſed in antiquiſſimo Put. infinitis locis *D* pro *B*, & viciſſim ponitur. In ſequenti pulcherrima monitione Scipionis: *nam non eſt, mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum ab circumfuſis undique voluptatibus*. Put. & regius conjũctione incipiente hanc periodum omiſſa: *Non eſt, non, mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis ætati* (Put. reg. Men. *ætatis*) *noſtræ periculum*. Hoc poſtremum tenent omnes. Sed illud primum multo efficacius vulgato. Varro lib. 3. de re ruſtica c. 2. *non tibi decoquet, non, ornithon*. Seneca lib. 3. de benef. c. 23. *Non eſt, mihi crede, non, dico, ſervilis animi, egregium factum fama ſceleris emiſſe*. Ita Mss. codices, quam vim adſeverandi non ceperunt viri docti. Idem lib. 7. de benefic. c. 25. *non eſt iſta admonitio, non; convitium eſt*. A. Gellius lib. 14, 3. *Sed enim de viris optimis & graviſſimis ſi credendum hoc aut ſuſpicandum fuit, cauſſam equidem eſſe non arbitror, non, obtrectationis neque invidiæ, neque de gloria majore parienda certationis*. Sic quoque Mss. Vulgo unam negativam aboleverunt. Propius finem habe-

habetur vulgo : *quæ regem nobis ſocium alienaſſe atque in arma coëgiſſe præcipitem dicatur.* Multo Latinius Put. & omnes Gall. *atque in arma egiſſe præcipitem.* Virgilius quinto Æneid. *Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.* Lucanus lib. 2. *nullum furor egit in arma : Caſtra petunt magna victi mercede.*

Cap. 15. *Cum crebro ſuſpirio & gemitu*] Sane optimus codex Putean. plane : *ſuſpiritu.* Et meliores quoſvis ſequaces habet : in quibus & Pal. unus. Plautus Mercatore : *Simul enicato ſuſpiritus.* A quo & mutuatus id Appulejus. Nam Ciceronem ad Atticum omitto, quia illic dubia lectio. reſtituenda eidem Appuleio ea vox lib. 8. Metamorph. *Hæc ille longos trahens ſuſpiritus & nonnunquam illacrymans, graviter adfectus ruſticis annunciabat.* Vulgo erat *longo ſpiritu.* Sed in Mss. eſt *longos ſpiritus,* ut jam Colvius notavit. *Longos trahere ſuſpiritus* dixit Plautus, alte] ſuſpirium petere, *fido ex ſervis uno accito, ſub cujus cuſtodia* Eſt naſuti correctoris, qui fruſtra hiare orationem putavit. Put. reg. & alii meliores : *fidum è ſervis vocat, ſub cujus.* Ibidem omnes Gall. *Non locuta eſt ferocius, quam acceptum poculum.* Deinde: *æger animi :* ut & duo Pall. cum Sigoniano. Denique Put. & reg. *Iis honoribus mollitur regis animus.* non *mollitus.*

Cap. 16. *Et quæ munimenta inchoaverat, permuniit*] Put. reg. Men. *permunit.* Ibidem quidquid eſt membranarum : *more adulantium, &, tam humili adulationi :* quæ contra Sigonium pridem probavimus. Mox : *transferentium initium culpæ in Annibalem impotentiaque ejus fautores.* Non mutarem : ſed Put. *petentiæque ejus.* Pal. unus : *in Annibalem, in patrem, potentiæque ejus fautores.* Tum Put. duoque Pall. *quæ inter Italiam atque Africam ſunt.* Cap.

Cap. 17. *Salutandique deos agendique gratias*]. Optimi *grates*. Ibidem: *quod eum regem appellaſſet, & quidquid aliud feciſſet, quod honori foret Maſiniſſæ*. Omnes Gallici & Pal. optimus cum tribus Florent. & Barber. *quod eum regem appellaverit, & quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Maſiniſſæ*. Cur mutarunt veterem ſcripturam? An quia ſæpius de diis uſurpat Livius, *cordi eſſe*, ideo de homine non potuit? Immo & alibi de hominibus uſurpat, & præter illum alii optimi ſcriptores. Deinde Put. reg. *ſupellectilem, qualem præberi conſuli mos eſſet*. Cicero lib. 5. ad Attic. ep. 18. *Sociis multo fidelioribus utimur, quam quiſquam uſus eſſet*. Nam & hinc vulgarius diceremus: *uſus eſt*. Noſter lib. 37. *Tardius navigaverant regii adverſo tempore eteſiarum, quod velut ſtatum Favonii ventis eſſet*. Et omnes Gall. *legatis in ſingulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millium æris*. non *millibus*. nam & hoc pendet à τῷ *dona*. Denique Put. Men. *qui ex cuſtodia emiſſi*.

Cap. 18. *Signis collatis pugnaverunt*]. Omnes Gall. *pugnarunt*. Ejuſmodi inferius: *equites in hoſtem emitte*, Put. & Men. non *emittito*. Iidem integre: *tertiadecuma legio*. Statim vero omnes Gall. *prælium dubium expetiſſet*. non *excepiſſet*. *Expetere prælium* eſt ſumere, capeſſere, ut *expetere pœnas*. Noſter lib. 6. *Adeſte dii teſtes fœderis, expetite pœnas debitas ſimul vobis violatis nobiſque per numen veſtrum deceptis*. Lib. 1. *jam Horatius cæſo hoſte victor ſecundam pugnam petebat*. Miſeret me deinde docti viri, qui *femore transfixo* pro *femine transfixo* ſupponit: præclaro argumento, quia *transfixum femur* alibi dicit Livius. Atqui idem lib. 22. *jacentes vivos ſuccisis feminibus poplitibuſque invenerunt*. Lucretius, *faſtigia Surarum*

rum ac feminum pedibus fundata. Quintilianus, *à reo femina ſua ferro petita.* Cæſar lib. 7. de bello Gall. *teretes ſtipites feminis craſſitudine.* Sic & legendum ex Modianis & Dan. lib. 6. Curtii: *donec haſta femina perfoſſa plurimo ſanguine effuſo deſtituere pugnantem.* Quod nollem denuo nuper interpellatum. Virgilius in decimo: *Eripit à femine.* Quare nos veterem lectionem Gall. omnibus reſtituimus. Omnes etiam Gall. & Pall. *in fugam omnes verſi.* non *converſi.* Item: *ſigna militaria duo et viginti capta.* Præterea Put. reg. Men. *pars multo maxima ex legione duodecima amiſſi. inde tribuni militum.* Denique rurſus omnes: *& duo & viginti ferme equites.*

Cap. 19. *Et Gallia, nam eo quoque proceſſerat*] Put. *& Gallia quo jam eo quoque.* Reg. & Men. *quæ jam eo quoque.* Scribe: *in provincia Etruria & Gallia (quoniam eo quoque proceſſerat) geſta.* De eodem conſule Servilio: *hinc patre, hinc patruo latera circumdantibus.* Put. *hinc patre hinc Catulo.* Quod cognomen C. Lutatii patrui. Deinde omnes Gall. *lateri.* In ultima voce differentia eſt. nam Pet. *circumdatus.* Reg. Men. *circumdantes.* Sed princeps omnium ille Put. *circumdatis.* Hunc ergo tutiſſimum ſequi: *hinc patre hinc Catulo lateri circumdatis.* Et placet jam in Curtio lib. 4. ſcriptura Modii atque Acidalii: *In duo cornua diviſerat peditem, utrimque lateri equite circumdato.* Ibidem Put. duo Pall. *contra quam ſanctum legibus erat.* Pal. tertius: *factum.*

Cap. 20. *Exilii cauſſa relinquentem magis mœſtum abiſſe ferunt, quam*] Optimi deſecant τὸ *magis.* Pall. tres: *tam mœſtum:* duo: *linquentem.* Mox: *& deos hominesque accuſantem: ſe quoque ac ſuum ipſius caput exſecratum.* Elegantius ſcripti Andreanæque cum Aldina: *in ſe quoque*

que auctor lib. 10. *Hac exſecratus in ſe hoſteſq;, qua confertiſſimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum.* lib. 39. *Exſecratus deinde in caput regnumque Pruſiæ, & hoſpitales deos violatæ ab eo fidei teſtes invocans.* & eodem lib. 5. *& in caput eorum deteſtari minas periculaque, qui id ſuaſiſſent.* In fine omnes Gall. duo Pall. *circa Caſilinum Cumaſque & Nolam conſenuiſſe.*

Cap. 21. *Ducenta & quinquaginta auri,*] Omnes Gallici, Andreanæ expreſſè: *ducentum & quinquaginta auri.* Vide commentationem de Seſtertiis. Ibidem: *tranſitus Annibalis in Italiam quantum terroris pavoriſque injeciſſet, ſeſe meminiſſe.* Varie interpolatus locus. Primo omnes Gall. præter unum: *tranſitu in Italiam Annibalis.* Men. *tranſitum in Italiam Annibalis.* Vnus Pal. *tranſitu in Italia Annibalis.* Duo reliqui cum Andreanis: *tranſitum Annibalis in Italiam.* Aldina, *tranſitus.* Verbum *injeciſſet* in omnibus dictis deſideratur præterquam in Aldina. Put. Men. & duo Pall. *parvoriſque eſſe meminiſſe.* Reg. *pavoriſque ſeſe meminiſſe.* Pet. *pavoriſque eſſet meminiſſe.* Tertius Pal. *pavoriſque ſenſerint ſeſe meminiſſe.* Andreanæ: *pavoriſque eſſe ſe ſemper meminiſſe.* Quæ additamenta cum τῷ *injeciſſet*, orta ſunt ab illis, qui morem Livii in obliquis ejuſmodi orationibus ſuſpendendi ſermonem per infinitivos non deprehenderant, nec bene diſtinguere poterant. Proxime veſtigia codicis optimi eſt: *tranſitu in Italiam Annibalis, quantum terroris pavoriſque, ſeſe meminiſſe, quas deinde clades, quos luctus incidiſſe?* Ajunt ſibi in recenti eſſe memoria, quantum primo terroris pavoriſque, quæ poſtea clades, qui luctus inciderint Pœni ducis adventu. Mox: *An unquam ille dies futurus eſſet, quo vacuam hoſtibus Italiam bona*

que

que ac ſuum ipſius caput exſecratum. Firmat ipſe *pace florentem viſuri eſſent.* Egregie Put. & meliores: *En unquam.* Sic & priſcæ editiones, ſic plures vulgatarum ante ultimas. Et bis jam reſtituimus Livio. Formula eſt παθητικὴ vehementer optantium per interrogationem. Vt apud Plautum Trinummo: *ô pater, En unquam adſpiciam te?* Virgilius: *En unquam patrios longo poſt tempore fines* &c. *videns mirabor?* Noſter lib. 9. *En unquàm futurum, ut congredi armatis cum hoſte liceat?* Aut etiam indignantium. Terentius Phormione: *En unquam cuiquam contumelioſius Audiſtis factam injuriam?* Noſter lib. 4. *En unquam creditis fando auditum eſſe, Numam Pompilium, non modo non patritium, ſed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum, populi juſſu, Patribus auctoribus Romæ regnaſſe?* Lib. 10. *En unquam fando audiſtis, patritios primo eſſe factos, non de cœlo demiſſos.* Viderint quo jure pro ſimplici interrogatione eandem Plauto infulſerint aliquot locis nuperi commentatores. Equidem rectius pleriſque puto retineri, *an unquam*, aut, *unquamne*, aut *num unquam*, quæ illi mutarunt. Ibidem Put. *dediſſe tandem id deos ſexto decimo demum anno*: expulſo τοῦ *poſt.* Nec ſecus Andreanæ & Aldina. Continenterque: *nec eſſe fuit qui deis grates agendas cenſeant.* Reg. & Men. *nec eſſe fuit qui dei ſacratas agendas cenſeant.* Vides verã eſſe antiquiſſimi ſcripturam, niſi quod τὸ *fuit*, quid ſibi velit, non exputo. Senſus abolet, & forte ex ſequentibus apicibus ortum eſt, quos cũ male expreſſiſſet librarius, delere noluit.

Cap. 22. *Si quis vera æſtimet, fœdus*] Omnes Gall. optimus Pal. *vere.* Men. & edd. veteres: *vetere exiſtimet.* qua phraſi & ſequenti capite Livius utitur. Mox cum Mſs. & antiquis edd.

ſcri-

ſcribe: *Quum more tradito à patribus poteſtatem interrogandi, ſi quis quid vellet, legatos prætor feciſſet*, non *legatis*. Ibidem: *nec meminiſſe ſe per ætatem*. Omnes Gall. relegant τὸ *ſe*. Vide ſupra ad lib. 28, 24.

Cap. 23. *De re majore quam quanta eſſet*] Put. reg. Men. *quam quanta ea eſſet*. Recte. Ibidem Put. *accipiendam abnuendamve pacem eſſe*. At in illis: *cæterum omnia ſimulaturos Carthaginienſes, duces eos exercituſque exſpectantes*; Putean. reg. Men. carent τοῦ *cæterum*: deinde omnes Gall. *exercituſque ſpectantis* vel *ſpectantes*. An idem eſt, quod *reſpicientis*. Vt apud Senecam: *Tunc & meas reſpexit Alcides manus*. In fine Putean. *ſine reſponſu dimiſſi*.

Cap. 24. *Circumeundis in Italia urbibus*] Omnes Gall. optimus Pal. Andreanæ & Aldina: *circumeundis Italiæ urbibus*. Ibidem: *onerariæ pars maxima ad Ægimurum inſulam (ea ſinum ab alto claudit, in quo ſita Carthago eſt) triginta* &c. Put. *inſula*. Muta diſtinctionem: *ad Ægimurum (inſula ea ſinum ab alto claudit*. Iterum: *poſtremo permiſto pœne ſenatus populique concilio*. Omnes Gall. expungi jubent τὸ *poſtremo*.

Cap. 25. *Spem pacis & fidem induciarum*] Omnes Gall. duo Pall. *& ſpem pacis & fidem induciarum*. Inferius Put. *quis deficientibus, quum jam nulla alia res*, non *quibus*. Etiam Men. *quid deficientibus*: alludens ad veterem ſcripturam. Nec longe: *jus gentium in legatis ſuis violatum eſſet*. Nemo Gall. agnoſcit *ſuis*. Omnes autem Gall. *Annibali jam terræ adpropinquanti*: ut regatur à verbo *dixiſſet*. Statim: *juſſus è nautis unus aſcendere in malum*. Put. & Pal. *eſcendere*. Sed idem optimus codex: *enuticus eſcendere*. Optimus Pal. *juſſus è nautico deſcendere*. Men. *juſſus nautico ſinu*

deſcen-

deſcendere. Forte fuit: *juſſus è nauticis eſcendere in malum.* Sic lib. 28. *Philippus ſupervenit, tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit.* Lib. 29. *Nauticos C. Lælius, qui claſſi præfectus erat, in navibus, ante conſcendere coactos, continuit.* Lib. 41. *nautici tabernacula detendunt.* Illud *unus* adjecit par manus illi, quæ ſuperius c. 15. fecerat, *fido ex ſervis uno accito:* ubi ſcribendum eſſe docuimus: *fidum è ſervis vocat.* Noli dubitare, quin vera lectio ſit: *Annibali jam terræ adpropinquanti juſſus è nauticis eſcendere in malum, ut ſpecularetur quam tenerent regionem, quum dixiſſet.*

Cap. 26. *M. Servilius Geminus*] Put. Men. cognomen hic relegant. Ibidem: *miſſoſque in Macedoniam legatos ad res repetendas non admiſſos ad Philippum regem.* Omnes Gall. optimus Pal. *profectoque in Macedoniam legato.* Petav. ſolus cum uno Pal. Andreanis atque Aldina: *profectoſque in Macedoniam legatos.* Nempe hoc ſignificant illi. Statim Put. *cum Sopatro duce trajecta in Africam dici:* Nec longe Put. *& aquarum magnitudinem ſi annonæ vilitas fuit.* Reg. *magnitudine ſed annonæ vilitas fuit.* Sic & Men optimus Pal. niſi quod hi, *ſed &.* Diſtingue & ſcribe: *Annus inſignis incendio ingenti, quo clivus Publicius* (Sic enim Put. reg. non *publicus*) *ad ſolum exuſtus eſt, & aquarum magnitudine; ſed annonæ vilitas fuit.* Ratio elegantiſſima variandi orationem. In fine: *an quia cum res in Etruria tenuerit, quæſtiones ex SC.* Vocis *res* in antiquiſſimo codice unica tantum litera *S* exſtat. Ergo nec cæteri Gall. nec Pall. eam habent. Omnes vero, ut & editi ante Sigonium: *tenuerint.* Denique Putean. reg. *incertum ut ſit diverſi.* Men. *incertum ſi duo auctores.* Pet. *incertum ut diverſi.* Andreana: *ſic incertum diverſi.* Puto legendum: *an, quia eum*

in

in Etruria tenuerint quæſtiones ex ſenatuſconſulto de conjurationibus principum habendæ, dictator ab eo dictus P. Sculpitius, incertum ut ſit, diverſi auctores faciunt.

Cap. 27. *Si conſulem remorari ad urbem*] Put. reg. Men. Pal. opt. *ſicut manere.* Petav. & Pal. alter: *ſi conſulem manere.* Et hoc ſignificant illi. Andreanæ & Aldina: *ſi conſules manere.* Ibidem: *Villius proprætor cum viginti navibus longis.* Omnes Gall. abjiciunt τὸ *cum.* Deinde: *ſi per quinquennium illud reſpublica.* Put. & reg. non agnoſcunt pronomen. Omnes vero una voce ſunt auctiores ibi: *ut eos conſules, priuſquam ad bellum.* Habent enim repetitum: *ut eos ludos conſules, priuſquam ad bellum proficiſcerentur, facerent.* Quod homines non bellos ſuſtuliſſe credo.

Cap. 28. *Nec ſatis certum conſtare apud animos poterat*] Omnes Gall. duo Pall. Andreanæ & Aldina: *conſtare apud animum poterat, utrum gaudio dignum eſſet.* Illud mutarunt, opinor, quia de pluribus agitur, hoc quia ſequitur, *magis metuendum:* utrumque mendoſe & ſine cauſſa. Proxime omnes Gall. *quod incolumi exercitu in Africam tranſiſſet.* non *trajeciſſet.* Sequitur inſignis & prius deformitate & nunc venuſtate locus: *cum Syphace incondita barbariæ rege, qui ſtatarios ſemilixas ducere exercitus ſolitus ſit.* Ne jactet Sigonius: quærenti Glareano aut nihil hic aut male reſpondit. Veram lectionem. è fidiſſimis codd. erutam nobis hic habes: *cui Statorius ſemilixa ducere exercitus ſolitus ſit.* Deque illa in ſecunda parte Obſervationum egimus, quas tranſcribere non libet. Ad aliquam tamen ejus lucem reſpice lib. 24, 48. Parum intereſt, ſed omnes Gall. *exuvias non militum tantum, ſed etiam.* Mox. Put. reg. Men. duo Pall. Andreanæ & Aldina: *qui præ-*

prætores, qui imperatores, qui conſules Romanos. Vulgo duæ mediæ voces abſunt: nos eas è gloſſemate non eſſe judicavimus, quod præter conſules prætoreſque alio imperii nomine duces Romanos ab Annibale cæſos aliquot ex hiſtoria memineramus. Etiam Putean. Men. *quot captos ex cæde imperatorum præferre poſſet Annibal.*

Cap. 29. *Iam Adrumetum pervenerat Annibal*] Omnes Gall. optimus Pal. *Iam Adrumetum venerat Annibal.* Ibidem: *percunctatuſque ſatin percommode omnia exploraſſent.* Put. reg. Men. Pal. unus: *ſatin per commodum omnia exploraſſent.* Et hæc gemmula nobis auctoribus reddita Livio eſt. Lib. 10. *donec vel ipſe, ſi per commodum reipublicæ poſſet, Romam veniſſet.* Lib. 22. *primo quoque tempore, quantum per commodum reipublicæ fieri poſſet, Romam veniret.* Lib. 31. *ipſe, ſi per commodum reipublicæ poſſet, ad comprimendum Gallicum tumultum proficiſceretur.* Lib. 37. *Mandatum eidem, ſi per commodum reipublicæ facere poſſet, ut ad comitia Romam rediret.* Sed quod proprie ad hunc locum pertinet lib. 42. *ubi conſul, cui provincia Macedonia obveniſſet, claſſem appellere tuto & copias per commodum exponere poſſet.* Cæſar apud Ciceronem lib. 14. ad Attic. ep. 1. *cum M. Cicero ſedeat, nec ſuo commodo me convenire poſſit.* Et ſequenti: *cum tamdiu ſedens meum commodum exſpectet.* Deinde omnes qua Gall. qua Pall. *& adventu ſuo turbaverat & pactas inducias & ſpem fœderũ.* Denique iidem omnes, uno ſolo Pal. excepto, nec non Andreanæ & Aldina editiones: *æquiora impetrari poſſe ratus.* non *æquiorem.*

Cap. 30. *Lætor te mihi potiſſimum datum*] Omnes Gall. duo Pall. Andreanæque cum Aldina: *lætor te mihi ſorte potiſſimum datum.* Lib. 36.

Ego tamen ſorte quadam nutriendæ Graciæ datus. Mox omnes Gall. & veteres illæ: *cui tot de Romanis ducibus.* Iidemque & ſcripti & editi cum duobus Pall. *huic bello veſtris plus quam noſtris cladibus inſigni.* Sed hic *plus* librariorum errorem eſſe puto. Dein Put. *Hoc quoque ludibrium caſus ediderit fortuna, ut cum patre.* Regius: *caſus ediderit & fortuna.* Pet. Men. Pal. *caſus dederit an fortuna.* Andreanæ & Aldina: *fortuna an caſus ediderit.* In tot varietatibus tutiſſimum eſt ſequi codicem antiquiſſimum, in cujus ſcriptura nihil eſt incommodi, modo τὸ *caſus* accipias gignendi caſu. Salluſtius Iugurthino: *Siccenſes hortatur, uti cohortes ab tergo circumveniant: fortunam illis præclari facinoris caſum dare.* Noſter lib. 42. *nec committendum, ut in aleam tanti caſus ſe regnumque daret.* Lib. 4. *rem in caſum ancipitis eventus committunt.* Talia lib. 5. *cætera eodem ordine eodemque fortunæ eventu geſta.* Lib. 35. *ſpectatoreſque belli fortunarum alienarũ eventum ſine ullo diſcrimine rerum ſuarum opperirentur.* Glareanus quum legeret, ut in editionibus antiquis eſſe diximus, manifeſte putabat deſiderari, *incertum eſt*, vel *dubito.* Ei ſcrupulo nec recte occurrit Sigonius: neque enim erat de verbo *ediderit*, ſed de hac locutione, *fortuna an caſus:* quæ tamen ſic quoque concepta ſatis eſt Latina. Porro omnes ſcripti: *tot tam egregiis ducibus:* abſque conjunctione, ut libro præcedenti c. 21. Item: *nobis in Africa eſſet.* non *eſt.* Ergo muta diſtinctionem: *Ita aliena appetivimus, ut de noſtris dimicaremus, nec in Italia ſolum vobis bellum, nobis in Africa eſſet.* Statim omnes: *fremitum caſtrorum Romanorum exaudimus.* non *exaudivimus.* Et, *de pace agitur: agimus ii, quorum.* omiſſa iterum copulativa. Sed & Put. reg. Men. *Quod ad me attinebat.* Illud non leve,

leve: *perſecutus mortem & calamitate veſtra domus.* Petav. Andreanæ & Aldina: *ex calamitate.* Reg. *at calamitatem.* Men. *& calamitatem.* Put. & Pal. melior: *ad calamitate.* Scribe: *Patris & patrui perſecutus mortem ab calamitate veſtra domus decus inſigne virtutis pietatiſque eximiæ cepiſti.* Statim Put. *Hiſpanias reciperaſti.* Atque hic, nempe cum verbis: *Conſul creatus quum:* incomparabilis ille Puteanorum codex finit, magno noſtro & Livii damno. Iam ad reliqua ſpiſſius & non ita bonis tibicinibus fulti ſecedemus.

Cap. 31. *Dii teſtes ſunt, qui & illius belli exitum*] Reg. Men. Pet. Pall. duo: *Dii teſtes ſunt, ut qui & illius.* Ibidem, ut Sigonius, iidem cum Andreanis Aldinaque: *in Africam attraxerim.* Sub finem: *Ita infecta pace ex colloquio ad ſuos quum ſe recepiſſent, fruſtra verbis tentatam rem nuntiant.* Reg. *verba pacata renunciant.* Pet. *verba peccata renunciant.* Men. *verba pietata renuntiant.* Pal. *verba peracta renunciant.* Duo alii cum Andreanis & Aldina, ut Regius. Scribe: *fruſtra verba jactata renuntiant, armis decernendum eſſe.*

Cap. 32. *Roma an Carthago jura gentibus daret*] Gall. *darent.* Iidem prope finem in illis: *adeo celſius hac corpore vultuque ita lato:* ignorant particulam *adeo.*

Cap. 33. *ante ſua quemque ſigna*] Reg. Men. *quamque:* ut referatur ad cohortes. De concionibus imperatoris & præfectorum Punicorum locus eſt leviter corruptus literis, & diſtinctione prorſus enervatus. In Pet. reg. Men. eſt *inter immiſtos alienigenis.* Reliqua adjuti à Freinshemio ſic conſtituimus: *Quum maxime hac imperator apud Carthaginienſes, duces ſuarum gentium inter populares, plerique per interpretes inter immiſtos*

alienigenis, agerent. Intellige duces ſuarum gentium, Mauros Maurorum, Hiſpanos Hiſpanorum, Gallos Gallorum, Macedonas Macedonum: quæ cohortes, manipuli, legiones quum non ſinceræ omnino eſſent, ſed permixtæ varia nationum colluvie, nonnulli duces ex his quæ apud ſuos vernaculo ſermone pronuntiabant, per interpretes cæteris indicabant. Ibidem: *in ancipites ad ictum utrimque conjiciebant haſtas.* Pet. reg. Men. *in eas ancipites.* Vt & Andreanæ cum Aldina. Referendum *eas* ad *beſtiarum*, non ad *elephantis.* Superius: *viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent.*

Cap. 34. *ad hoc dictu parva, ſed magni eadem in re gerenda momenti res*] Reg. Men. & à manu prima Per. tum tres Pall. τῶ *res* deficiuntur. Nec dubito quin ſit à ſarcinatoribus. Nam τὸ *parva*, refertur numero plurali ad omnia quæ ſequuntur, *clamor, voces, pugna ſtabilis, concurſatio & velocitas.* Prorſus eodem modo, ut lib. 24, 5. *Hunc tam ſuperbum apparatum habitumque convenientes ſequebantur, contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures* &c. ubi pares correctores τὸ *mores*, quod nullis eſt in bonis codicibus, inſeruerunt. Nec ſilebo tamen eoſdem ſcriptos libros habere hic, *magna momenta*, ſi cui forte potius id placeat. Ego, quod dixi, teneo: hoc interpolatricis eſſe manus puto. Ibidem; *alia deinde & umbonibus pulſantes.* Parum refert: tamen regius: *umbone.* Men. & Pal. *umboni.* Martialis lib. 3. ep. 46. *In turbam incideris; cunctos umbone repellet.* Inferius ſcribe cum Pall. reg. Men. *per cumulos corporum armorumque.* Sic & Andreanæ atque Aldina. non *armatorumque.* Statim iidem ſcripti: *fluctuari cœperant vagam ante ſe cernendo aciem.*

Cap.

Cap. 35. *Is demum impetus perculit hoſtem*] Pet. reg. Men. Aldina: *Is demum equitum impetus fudit hoſtem.* Etiam Andreanæ habent τὸ *equitum.* Alterum, *fudit*, eſt & in uno Pal. Ibidem omnes Gall. & Pall. cum vett. edd. *homines miſti ex colluvione omnium gentium.*

Cap. 36. *non tam noſcendi in præſentia quam terrendi hoſtis cauſſa*] Pet. reg. Men. *quam deprimendi hoſtis cauſſa.* Ibidem: *Pars exercitus cum omni equitatu miſſa, turmalibus primum agmen aggreſſa, Numidas levi certamine fudit.* Antea legebatur, *primis*, leviori corruptione, quam lectionem ſervat unus ex Pal. & habet Aldina. Sigonius addidit vulneri vulnus ſcribendo: *primum.* Nam Pet. regius, Men. duo Pall. Barberin. optimi Medicæorum: *Pars exercitus cum omni equitatu Saturnalibus primis agmen aggreſſa, Numidas levi certamine fudit.* Andreanæ voce auctiores: *equitatu miſſa Saturnalibus primis agmen.* Sed hæc aliunde, non ab Livio eſt. *Saturnalibus primis* nihil aliud eſt quam deſignatio temporis & diei, quo ea pugna pugnata. Sic auctor de bello Hiſpanienſi: *ita ipſis Liberalibus fuſi fugatique non ſuperfuiſſent, niſi in eum locum confugiſſent, ex quo erant egreſſi.* Cicero lib. 5. ad Attic. *Saturnalibus mane ſe mihi Pindeniſſæ dediderunt.* Saturnalia menſe Decembri erant pluſculorum dierum: ex his primus dicebatur *prima Saturnalia* vel *Kalendæ Saturnales*, ut ex Livio & Statio obſervamus, alter, *ſecunda Saturnalia*, hunc ſequens *tertia Saturnalia.* Cicero lib. 13. ad Attic. epiſtola ultima: *cum ſecundis Saturnalibus ad Philippum veſperi veniſſet.* Lapis vetus: *in. Saturnalia. ſecunda. mag. annum. inſtituerunt.* Iterum Cicero: *Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam ſeptimam.* Lib. 5. ad Atticum epiſt. 20.

mancipia venibant Saturnalibus tertiis. Sic quia Quinquatruum plures erant dies, noſter lib. 44. *Legati ex Macedonia Quinquatribus ultimis venerunt.* In lapide veteri errat Gutherius, qui cum ſimplicem & veram ſententiam in promtu haberet, ad alia divertit, & *ſecunda Saturnalia* nobis facit eadem, quæ Matronalia incidentia in Kalendas Martias, lib. 3. de jure Pontif. 14. hoc eſt, in lapidem veterem impingere quam eum interpretari mavult. Abutitur in eam rem verbis Martialis lib. 3. epigr. 85. *Scis certe, puto, veſtra jam venire Saturnalia Martias Kalendas.* Atqui certum eſt Matronalia non niſi per κατάχρησιν vocari *Saturnalia matronarum*, quod ſicut Saturnalibus munera viris, ita matronis mittebantur Kalendis Martiis ſive Matronalibus. Quod ſi omnino alia Saturnalia Kalendis Martiis fuiſſent, *prima* utique hæc, aut potius *priora*, ſi latine loqui volumus, non *ſecunda* dicenda fuiſſent. Vt *Vinalia priora*, *Vinalia altera* in veteri Kalendario notantur. Cæterum circa id tempus poſt tot annos finitum iri bellum Punicum ſecundum, ejus rei omen datum paullo poſt principium narratur lib. 22. *Poſtremo Decembri jam menſe ad ædem Saturni Romæ immolatum eſt, lectiſterniumque imperatum (ſenatores ſtraverunt). & convivium publicum, ac per urbem Saturnalia diem ac noctem clamatum.* Statim cum omnibus Gall. & Pall. Andreaniſque & Aldina ſcribe: *exitu quoque fugæ intercluſo.* Vitium recentiorum editionum eſt: *quinquaginta millia hominum cæſa*, nam ſcripti & editi veteres: *quindecim millia.*

Cap. 37. *Perfugas fugitivoſque & captivos omneis & naves roſtratas*] Pet. reg. Men. duo Pall. cum dictis antiquis editis: *& captivos omneis redderent Romanis, & naves roſtratas, præter decem*

tem triremes, traderent. Non eſt ocioſum, ſed verſum ex Polybio: τοὺς αἰχμαλώτους καὶ δραπέτας ἐκ παντὸς ἀποδοῦναι τοῦ χρόνου· τὰ μακρὰ πλοῖα παραδοῦναι πάντα πλὴν δέκα τριηρῶν. Lib. 33. *Captivos transfugaſque reddere Philippum Romanis, & naves omnes tectas tradere.* Ibidem reg. Men. Pet. & editiones veteres: *ad diſſuadendum pacem.* Libet de talibus pauca loca adnotare. Lib. 7. 5. *nullis ad conciliandum gratiam meritis.* Sic editi ſcriptique veteres, quamquam Sigonius *conciliandam.* Lib. 21, 12. *à Gallis accitum ſe ad liberandum eos dictitans.* Sed illic optimi *liberandos.* Lib. 25, 16. *rem ſe, ait, magnam inchoaſſe, ad quam perficiendum.* Ita libri optimi. Lib. 28, 42. *non ad defendendum modo Italiam.* Sic Put. lib. 29, 14. *& in terram elatam tradere ferendam matronis.* Idem cum regio: *ferendacum matronis.* Dubitavit librarius utrum *ferendam* an *ferendum* poneret. Lib. 37, 20. Andreanæ: *ad viſendum ſtationes.* Lib. 38, 3. *ad tentandum ultimam ſpem.* Eodem capite: *Quum adverſantes paci arguerentur, placuit naves reddi.* Glareanus cenſet dici *arguerentur* pro *vincerentur* vel *compeſcerentur*: videndum tamen, ut locus habeat; ſibi quidem ſuſpectum eſſe. Vir doctiſſimus participium poni pro infinitivo interpretatur: *adverſantes*, hoc eſt, adverſari. Sed recte Glareano ſuſpectus fuit locus: nam omnes ſcripti Gall. Pall. præter unum, Barberin. optimi Florentini deficiuntur conjunctione *quum*: habent autem: *adverſantibus paci qui arguerentur.* Quæ ſcriptura, mutata diſtinctione, vera apparet. *Id omnium maxime difficile erat*, infit Livius, *quod ex navibus per inducias captis nihil præter ipſas comparebat naves: neque inquiſitio erat facilis, adverſantibus paci, qui arguerentur. Placuit naves*

X 4 reddi

reddi & homines utique inquiri. Hoc morabatur inducias, quod conditionibus adjecerat Scipio: *naves per priores inducias captæ, quæque fuiſſent in navibus, reſtituerentur.* Nam eorum omnium nihil comparebat, præter vacuas naves: res varios poſſeſſores acceperant arcte tenentes complectentesque prædam. Neque audebant quæſtionem inſtituere ob potentiam eorum & pertinaciam: nam ut eam eluderent raptores, tendendo contra pacem & incitando populum, totam rempublicam in majus diſcrimen daturos apparebat: hoc metu ſublato, facilius in cætera conſenſuros. Ergo hujus quoque mali medicinam invenerunt, ſtatuto, ut redderentur ipſæ naves captique homines, res ex ærario præſtarentur. Men. codex habebat *pati:* quod poſſet alicui placere, ut intelligeretur *inquiſitionem.* Sed *adverſor pati* non videtur eſſe ſtili Liviani.

Cap. 39. *ludi Romani tertio inſtaurati*] Petav. reg. Men. unus Pal. *ter toti inſtaurati:* ut præcepit Sigonius, nec dubitavimus in textum admittere. Immo ſic ante Sigonium Andreanæ & Aldina editiones.

Cap. 40. *Verminam etiam Syphacis filium, quæ non parva bene geſta*] Sic quidem Sigonius: ſed noſtri Pet. reg. Men. tres Pall. carent negativa. Et profecto, ſi vere æſtimare rem volumus, admodum parva & vix dictu digna acceſſio erat belli Punici ſive Annibalici Vermina cum tumultuario Numidarum exercitu cæſus. Neque Livius neque Romani tam erant jejuni, ut ex hac muſca facerent elephantum. Ibidem: *Tum patefacta gratulatione omnia in urbe templa, ſupplicationeſque in triduum decretæ.* Scripti & Andreanæ Aldinaque editiones: *Tum patuere facta gratulatione omnia in urbe templa.* Cicero famil. 11

ep.

ep. 17. *tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus.* Ibidem: *omnes quinque & triginta tribus P. Scipioni id imperium decreſſe*: ut Sigonius, Reg. & Men. Sic amant veteres inprimiſque noſter. Lib. 2, 27. *neque cum decreſſet, quiſquam obtemperabat.* Lib. 3. *decreſſe vindicias ſecundum ſervitutem.* Lib. 36, 3. *jam ante ſeſe, quum de Philippo conſulerentur, decreſſe, nihil referre.* Vbi vulgo idem mendum. Lib. 42. *quanta ex pecunia decreſſet ſenatus.* Cicero. lib. 3. ad Attic. *in me ipſo ſatis eſſe conſilii decreras.* Vbi Victorius.

Cap. 41. *in Etruriam prorogatum imperium*] Scribe: *in Etruria*, ut jam ſuperius alibi correctum. Et ita reg. Men. Andreanæque & Aldina editiones.

AD
LIB. XXXI.

CAP. 1. *multa quondam Europæ, majoremque*] Barberinus, Andreanæ &. Aldina: *multam quondam Europæ, majorem partem Aſiæ.* Quod etiam ex Moguntina veteri Modius adnotat. Naudæanus ſolum delet copulativam, quam nec eſſe Livii exiſtimo.

Cap. 2. *ad conſules qui tunc in prælio cum Bojis erant*] Falſa & palam nugatoria lectio. Non conſulum uterque provinciam illam habuit, ſed ſolus P. Ælius Pætus, altero Cn. Cornelio Lentulo Siciliam ſortito. Quod vero illud nobile *prælium?* aut quomodo convenit, quod mox dicit auctor, nihil memorabile geſtum à conſule, niſi quod

populatus ſit Bojorum fines, & cum Ingaunis Liguribus fœdus icerit? Sed & Libri dubii admodum & variantes inter ſe ſuſpicionem augent. Andreanæ non habent verbum ſubſtantivum. Oxonienſes membranæ: *qui tunc in prælio neiis erant*. Barberinæ & Naudæanæ: *qui tunc in prælio Bojis erant*: omiſſa præpoſitione *cum*. Suſpicor nomen conſulis cum ſuo prænomine leviter corruptum & tranſpoſitum eſſe, ſcribendumque: *Conſultatio de Macedonico bello integra ad conſulem P. Ælium, qui tunc in Bojis erat, rejecta eſt.* Vix potuit aliter ſcripſiſſe hic quidem Livius.

Cap. 4. *biduum inſtaurati ſunt*] Oxon. Barberin. Petav. Naud. Florent. Venetæque membranæ conſenſu uno: *Ludi Romani ſcenici eo anno magnifice apparateque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco & L. Quintio Flaminino: biduum inſtauratum eſt: frumentique vim ingentem*. Deque eo dictum ad lib. 2, 36. Infra hoc libro: *& ludos Romanos magno apparatu fecerunt: biduum inſtaurarunt.*

Cap. 5. *& precationi annuiſſe deos,*] Naud. *precationi admiſiſſe*. Duo Veneti, ut Sigonianus: *precationem admiſiſſe deos*. Non puto ſpernendum. Hanc locutionem & Silio Livii imitatori ademerunt lib. 4. v. 668. *Tum demum amiſſæ vires & voce precantis, Orantique datum, ripas ſervare priores.* Vir doctus: Quanti eſt illud *voce precantis?* Legas, *devota precanti*, 6. adverſ. 3. Quanti eſt hoc quoque? Oxonienſis ſcriptus: *admiſſæ voces & voce*. Vel cœco lucet hinc ſcribendum: *Tum demum admiſſæ voces & vota precantis, Orantique datum.* Trebiæ nimirum fluvio, poſtquam toties Vulcani lampade repreſſus eſſet, ut de viribus deſperaret, & ſupplex fieret.

Cap. 6. *Italia provincia obtigit. Provincias præ-*

tores

tores exinde ſortiti ſunt] Sigonius addidit *τὸ provincias* : nos delevimus, quod ſcripti editique omnes antiquitus eam vocem reſpuerent, & revera ſupervacua eſſet. Sic lib. 28. *Bruttii ambobus, ut cum Annibale bellum gererent, provincia decreta. Prætores exinde ſortiti ſunt : M. Cæcilius urbanam* &c. Neque aliter lib. 38. quum de provinciis conſulum præmiſiſſet : *Prætores inde ſortiti ſunt. M. Claudio urbana* &c.

Cap. 7. *Noſtra nunc compara.*] Alibi obſervamus, & quidem ad lucem loci præclare reſtituti, lib. 21, 43. eſſe hoc oratorium, quum res tibi cum multis aut pro multis ſit, alloqui quaſi unum; aut loquentem inducere unum. ſed hic totus contextus orationis flagitat: *Noſtra nunc comparate.*

Cap. 8. *in ſuffragium miſſi, uti rogarat, bellum juſſerunt.*] Fuit ſane vox primum, *uti rogas*, accipientium admittentiumque Quiritium quod ferretur; poſtea tacitis ſuffragiis tabella, qua quiſque in jubendo ſciſcendoque aliud pro ſua parte utebatur, inſcripta *V. R.* Hinc Sigonius perpetuo cenſet ab Livio ipſam formulam expreſſam eſſe, & ubicumque exſtat, *uti rogarat*, *uti rogaſſent*, ſcribendum, *uti rogas.* Nobis ſingula loca accuratius expendentibus aliter videtur: nempe ſuæ orationi narrationique formulam accommodaſſe Livium, & ubi illa pateretur, ut hæc integra maneret, ibi poſuiſſe ſimpliciter: *uti rogas ;* ubi minus, paullulum inflexiſſe verbum. Etenim, *uti rogas*, intelligit, tu nempe qui rogationem promulgas: *uti rogarat* vel *rogaſſent*, ille illive de quibus agitur, quoſve rogationem tuliſſe narratur. Atque hanc differentiam & librorum ſcriptorum conſenſus nobis ſubjecit. Vt lib. 6, 38. *Quum quanto jure potentior interceſſio erat, tantum vinceretur*

ceretur favore legum ipſarum latorumque , & , uti rogaſſent , primæ tribus dicerent. Mss. præter Sigonianum tres Pall. & Thuanæus : *uti rogas.* Scilicet ipſarum tribuum vocem exprimit , quod ſignificatur verbo *dicerent :* fuit autem illa proprie, non *uti rogaſſent* , ſed *uti rogas.* Perinde ut apud Ciceronem lib. 2. de legibus: *Suade igitur, ſi placet , iſtam legem , ut ego , uti rogas , poſſim dicere.* Peſſime Andreanæ : *& uti rogationes primæ tr.* Sic etiam lib. 10, 8. in concione Decii: *Ego hanc legem , quod bonum , fauſtum felixque ſit vobis ac reipublicæ , uti rogata eſt , jubendam cenſeo.* Hæc Gelenii conjectura eſt: nam iidem ſcripti : *uti rogas.* Puta tu , ſive Quinte ſive Cnæe Ogulni: nam etſi uterque eam rem agebant , unus tamen proprie promulgabat , alter auctor & ſuaſor aderat promulganti. Quare non erat, cur Andreanæ & Aldina ſubjicerent : *uti rogaſtis :* quamquam quia duo erant, aliquid tale, quod diximus, ſecutos apparet. At lib. 30, 43. *De pace uti rogatæ omnes tribus erant , juſſerunt.* Hæc vitioſa lectio eſt recentiorum : nam τὰ *omnes tribus* ad verbum *juſſerunt* utique pertinent , non ad τὰ *rogata :* & verbum ſubſtantivum expellendum. Scripti , nec non Andreanæ & Aldina: *uti rogaſſent* (nempe tribuni plebis M. Attilius Q. Minutius) *omnes tribus juſſerunt.* Sigonius pariter ut illic, *uti rogas.* Sed non conſideravit hanc orationem totum hiſtorici eſſe : nemo introducitur loquens : nullius verba exprimuntur : non igitur eſt, qui dicat , *uti rogas.* Prorſus ita præſenti loco : *Ab hac oratione in ſuffragium miſſi , uti rogarat , bellum juſſerunt.* Conſul nempe Sulpitius. Neque hic comparet, qui loquens inducatur , dicatque , *uti rogas* tu conſul Sulpiti ; neque Livium ſic ſcribere decet. Sic & lib. 33, 25. *Omnes quinque & triginta tribus,*

bus, uti rogatæ juſſerunt. Refert ſolummodo, quid factum ſit, hiſtoricus: nulla alia perſona utitur, neque fingit tribus dicentes, *uti rogas*, aut aliquem ſuadentem: *cenſeo jubendam legem, uti tu* ſive Quinte Marci Rex, ſive C. Atini Labeo *rogas.* Lib. 38, 53. *Remittentibus ergo his interceſſionem, omnes tribus, uti rogaſſet, juſſerunt.* Quam ineptus foret Livius, ſi plene ſcriberet: *omnes tribus, uti tu Q. Petili rogas, juſſerunt:* tam inepte quoque ſcripſiſſet, *uti rogas, juſſerunt.* Nam, *uti rogas*, eſt oratio compendioſa, quæ non ponitur aut adhibetur, niſi ut vocativi illi, pronomen videlicet cum nomine promulgantis, intelligantur. Eodem capite: *conſultique feciales ab conſule Sulpitio, bellum quod indiceretur regi Philippo, utrum ipſi utique nuntiari juberent, an ſatis eſſet, in finibus regni quod proximum præſidium eſſet, eo nuntiari; feciales decreverunt, utrum eorum feciſſet, recte facturum.* Totum propoſui locum, ut facilius appareat, quod volo, poſterius *feciales* turbare orationem, & pro gloſſemate exſtirpandum. Poteſt tamen defendi repetitio vocis propter interjectam orationem longiuſculam. Malim quoque inferius: *id præſidio Siciliæ provinciæ eſſe.* Intelligitur enim ex præcedentibus, *juſſum.* Quod genus ſæpius jam reſtituimus Livio & pluries reſtituemus. Vulgo: *eſſet.*

Cap. 10. *Nuntioſque mitterent ad populum Romanum*] Non dubitavi reponere de ſententia Sigonii: *ad prætorem Romanum:* quod & ratio manifeſta jubebat & totidem literis Barberinus ingerebat codex. Quæ ſequuntur ſtatim, rectius ita leges diſtingueſque: *L. Furius Purpureo tum provinciæ præerat: cætero ex ſenatuſconſulto exercitu dimiſſo, præter quinque millia ſocium ac Latini nominis;*

minis, cum iis copiis in proxima regione provinciæ circa Ariminum ſubſtiterat. Viſe inferius ad lib. 34, 56.

Cap. 11. *Ad opprimendum Gallicum tumultum*] An potius *comprimendum?* Lib. 5. *relictum à collegis ad tribunitias ſeditiones comprimendas.* Lib. 26. *Nec comprimi tumultus aperirique error poterat.* Inferius: *Peterent, ut ad id bellum mitteret auxilia Numidarum equitum.* Livius ſcripſerat: *Petere, ut ad id bellum mitteret.* Pendet enim verbum *petere* à præcedente *juſſi.*

Cap. 12. *Fieri cauſſa expiandæ violationis ejus templi.*] Lib. 39. *Ne quis Bacchus initiatus eſſet, coiſſe aut conveniſſe cauſſa ſacrorum velit.* Lib. 40. *cauſſa ignominiæ, uti ſemeſtre ſtipendium in eum annum eſſet ei legioni decretum.* Ibidemque: *ne major* (pecunia) *cauſſa ludorum conſumeretur.* Tamen puto pro gloſſemate manifeſto delendum eſſe τὸ *cauſſa* hoc loco.

Cap. 13. *Quid aliud quam publicam pro beneficio*] Petav. *publicam tam pro beneficio.* Oxonienſis, Barberin. Naud. duo Veneti: *publicatam pro beneficio.* Vere & eleganter. Invidiæ cauſſa appellant quaſi confiſcatam, in publicum redactam. Ibidem: *Trientius Tabuliuſque is ager, quia pro tertia parte pecuniæ datus erat, appellatus.* Cauſſam quare *tabulius* is ager dictus ſit, nec Livio notam fuiſſe putat Glareanus. Ergo Sigonius, quia in libro quodam *tributumque* invenerat, legit, *tributuſque.* Nobis inventum nihil tale, & *Trientium Tabuliumque*, vel deleta copulativa *Trientium tabulium* appellatum exiſtimamus, qui pro trientibus tabulis, pro triente tertio tabularum, pro tertia parte tertiaque penſione ejus, quod tabulis publicis debebatur, datus erat. Hoc Livius non modo non ignorabat, ſed etiam ſatis ſignificat.

Cap. 18. *M. Æmilius, duorum conſenſu, minimus natu, audita*] Membranæ Oxonienſes, Barb. Naud. Pet. Venetæ, Florent. *trium conſenſu*. Quod aboleverunt, qui putabant abſurde dici, quum omnes haud plures tribus eſſent, & Æmilius ipſe tertius. Sed *trium conſenſu* perinde eſt ac ſi dixiſſet, amborum collegarum & ſuo: eſtque genus loquendi, quale obſervabamus olim apud Senecam lib. 5. de benef. 16. de Pompejo: *dum ita triumviris rempublicam dividit, ut tamen in ſua domo duæ partes eſſent.* E quibus triumviris unus erat ipſe. Quaſi dictum eſſet, inter duos & ſe tertium. Quale notatum viris doctis apud Rutilium Numantianum: *Ille tamen Lepidus pejor civilibus armis, Qui geſſit ſociis impia bella tribus.* Atque hac recepta veteri lectione, ut recipi omnino debet, apparet in illis, quæ præcedunt: *Ex iis legatis, qui Alexandriam miſſi erant, M. Æmilius, trium conſenſu:* fruſtra ſuſpicari Sigonium legendum eſſe: *Ex tribus legatis.* Ibidem in reſponſo Philippi Oxonienſes: *ſi bello laceſſeritis, mihi quoque animo eſt facere, & regnum Macedonum nomenque, haud minus quam Romanum, nobile bello ſentietis.* Quod velim conſiderari. Phraſin illam, *animo eſſe*, jam ſupra lib. 29, 36. noſtro & vett. libbr. haud paullo, quam quibus hic contentos eſſe neceſſe eſt, melioribus, reſtituimus. Alterum conſenſu tuentur & Petav. Naud. Barber. cum Andreanis & Aldina editionibus. Et quidni placeat præciſa per iram locutio. Lib. 42. *literæ à Perſeo allatæ ſunt, quæ cauſſa Romanis aut in Græciam trajiciendi copias aut urbes occupandi eſſet? Cui reſcribi nihil placuit: nuntio ipſius, qui literas attulerat, dici, præſidii cauſſa ipſarum urbium Romanos facere.* Illic τὸ *facere* ex ſuperiore membro repeti vult *bellum*. Lib. 1. de

Fidena-

Fidenatibus: *occupant bellum facere.* Et ſic ſæpe. Eſt autem hæc phraſis reſtituenda Cæſari lib. 6. de bello Gallico: *Interdicit atque imperat Caſſivellauno, ne Mandubratio neu Trinobantibus bellum faciat.* Sic enim membranæ Andinæ. Vulgo: *neu Trinobantibus noceat.* Inferius eodem libro: *civitatem ignobilem atque humilem Eburonum ſua ſponte populo Romano bellum facere auſam.* Sic & ſcribendum è vett. libris apud Valerium Maximum lib. 5. cap. 4. *L. Manlio Imperioſo diem ad populum Pomponius tribunus plebis dixerat, quod occaſione bene faciendi belli inductus legitimum obtinendi imperii tempus exceſſiſſet.* Vulgo: *bene conficiendi belli ductus.* At certe ipſa particula *bene* refutat τὸ *conficiendi.* Mox parum intereſt, ſed noſtri: *qui pugnantes mortem occubuiſſent.* non *morte*, ut Sigonianus. Et lib. 26, 25. haud dubie optimi: *pro patria pugnantes mortem occubuerunt.* At lib. 3, 50. tres Pall. cum Andreanis: *miſera, ſed honeſta morte occubuiſſe.*

Cap. 19. *Tertia legatio ad Verminam erat*] Andreanæ: *ad Verminam ierat.* lib. 3. *legatorum qui Athenas ierant.*

Cap. 21. *Quod multitudini adverſus paucos facile videbatur*] Barber. & Petav. *quod in multitudine.* Sic noſter lib. 27. *pugnanteſque (quod niſi in vetere exercitu & duci veteri haud facile eſt) inter tumultum ac terrorem inſtruxiſſet Annibal.* Deinde: *L. Valerio imperat, ut altera parte duarum legionum equites, altera ſociorum equitatum in cornua hoſtium immittat.* Mss. tollunt conſenſu prius *altera*, tenentque: *ut parte duarum legionum equites, altera ſociorum.* Quod quidem auctoris eſſe non ambiges, ſi memineris aut digneris relegere, quæ monuimus ad lib. 3, 37. Lib. 5. de Vejentibus: *jam in partem prædæ ſuæ voca-*

tos deos, alios votis ex urbe ſua evocatos hoſtium templa novaſque ſedes ſpectare. Lib. 26. *dum applicant, dum partim exponunt ſcalas militeſque.* lib. 28, 16. *cæteri deſerti ab ducibus, pars tranſitione, fuga, diſſipati per proximas civitates ſunt.* Sic Put. reg. Men. optimuſque Pall. Addiderunt in vulgatis: *pars fuga.* Lib. 29, 33. *duæ turmæ hæſere: altera metu dedita hoſti, pertinacior in repugnando telis obruta & confixa eſt.* Sic Spirenſis Rhenani: ſic aliquot è melioribus noſtris. Vulgo ediderunt: *altera pertinacior.* Lib. 33. *Quintius captivis prædaque venumdatis partim militi conceſſis.* Lib. 43. *quum ſine intermiſſione interdiu noctuque alii ſuccedentes, pars ſcalas muris, ignem portis inferrent, ſuſtinebant tamen eam tempeſtatem propugnatores urbis.* Evicimus illic lib. 10, 29. legendum, ut eſt in antiquis: *quibus pleriſque in ſcuta, verutis in corpora ipſa fixis, ſternitur cuneus.* Firmat in primis Cæſar lib. 3. de bello civili: *pleraſque naves in Italiam remittit ad reliquos milites equiteſque tranſportandos; pontones, quod eſt genus navium Gallicarum, Liſſi reliquit.* Noſter lib. 44. *Quod ubi fieri milites ſenſere, alii gaudere palam, quod feſſos via labore flagrantiſſimo æſtu non coëgiſſet pugnare. Legati circa imperatorem duceſque* &c. Vbi *alii* iſti opponuntur *legatis & ducibus*, ut *pleraque pila verutis* iſto loco, *pleraque naves pontonibus* apud Cæſarem. Sequitur ſtatim: *nec circumvenire eos aciem patiatur.* Rurſus iidem libri: *nec circumire eos.* Cur mutarunt? Lib. 36. *nam & Lacedæmonios quondam ita à Perſis circumitos fama erat.* Lib. 37. *tantum lævo evecta cornu, ut amplecti & circumire dextrum cornu Romanorum poſſet.* Eodemque: *& ſubſidia circumita à tergo cædebantur.*

Cap. 22. *Quamquam à prætore prope debellatum*

tum erat] Scripti: *per prætorem debellatum.* Etſi non agatur in hoc ſalus Livii, videntur tamen correxiſſe, quod auribus litera eadem toties repetita inſuavis accideret. At in ea re non ſuperſtitioſus noſter: quod ſemel dictum ſit, ne judicio aurium in hiſtoricis emendandis nimium fidas. Lib. 5. *incultaque omnia diutino dominorum deſiderio domi invenerint.* Lib. 7. *quam per pavorem amiſerant patriam, profectæ poſtea ab Vejis.* Eodemque: *quemadmodum exercitus tuus tibi promiſſa præſtet: piloque poſito.* Lib. 29. *bona tamen, quæ publicari poterant, pigneranda pœnæ præbebant.* Lib. 33. *Pecunia opus erat; quod ultimam penſionem pecuniæ in bellum collatæ perſolvere placuerat privatis.* Lib. 38. *in rabiem & pudorem tam parvâ perimentis peſtis verſi proſternunt corpora.* Illa vix toleranda. Lib. 32. *Priuſquam conſules prætoreſque in provincias proficiſcerentur, prodigia procurari placuit.* Et lib. 37. *Priuſquam conſules in provincias proficiſcerentur, prodigia per pontifices procurari placuit.* Hæc meditatus eſſe quidem & ſcripſiſſe, ſed legi audiviſſe Livius non videtur.

Cap. 23. *Et tranquillo profectus Chalcidem*] Barber. & Petav. cum Aldina: *provectus.* Oxonienſes cum Andreanis: *pervectus.* Ita corrige. Lib. 37. *Reliquerat Epheſum Polyxenidas audita pugna, & claſſe uſque ad Patara Lyciæ pervectus.*

Cap. 24. *Nec quicquam aliud quam ad deforme ſpectaculum*] Editiones olim: *nec ad quidquam aliud.* Gelenius præpoſitionem delevit priore loco. Iure optimo, neque in noſtris ſcriptis reperiebatur. Haud vulgaris & obſervanda locutio, qua gaudet Livius. Lib. 2. *Et hoſtes quidem nihil aliud quam perfuſis vano timore Romanis,* citato

citato agmine abeunt. Lib. 23. *quia nec eoſdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos.* Lib. 27. *Per aſpreta primum nihil aliud quam via impediti iere.* Lib. 34. *per biduum tamen nihil aliud quam ſteterunt parati ad pugnam.* Lib. 35. *Videretis regem, nunc ad portas Chalcidis ſtantem, & mox inde excluſum, nihil aliud quam Aulide & Euripo ſpectatis, in Ætoliam redeuntem.* Lib. 37. *extemplo oppugnatione omiſſa claſſis ad inſulam ſe recepit, nihil aliud quam depopulato circa urbem hoſtium agro.* Quibus omnibus firmatur, quod reſtituendum diximus lib. 26, 20. *ut facile appareret, nihil minus quam veteri, ne quis obſtaret gloriæ ſuæ.* Inferius omnes ſcripti: *Ita undique ad portas, poſt ad muros diſcurrunt.* Vulgo abeſt τὸ *poſt.* Ibidem de Philippo Athenas oppugnante: *Ad Dipylon acceſſit: porta ea velut in ore urbis poſita.* Scripti melius: *Ab Dipylo acceſſit.* puta ad urbem. Et ſic noſter lib. 24. *Inde terra marique ſimul cœpta oppugnari Syracuſæ: terra ab Hexapylo, mari ab Acradina.* Vnde intelligitur, quod lib. 8, 17. *adverſus regem exſcenſionem à Pæſto facientem.* Vbi Sigonius offenſus mavult *ad Pæſtum*, aut laudat vulgatum contra ſcriptos codices, *excurſionem.* Talia ſunt apud Lucanum lib. 1. *pars ætheris illa ſereni Tota vacet, nullæque obſtent à Cæſare nubes.* Et Statium in epithal. Stellæ: *& domina niveis à vultibus obſtas.*

Cap. 29. *Meſſanæ ut auxilium eſſent, primo in Siciliam conſcenderunt*] Haud oblitus ſum, *conſcendere* Latinis dici, quod Græcis ἐμβαίνειν, ut cum *Epheſo conſcendiſſe, à Brunduſio conſcendiſſe* Cicero: ſed vereor ne hic quoque, quam pluſculis aliis locis, paſſus ſit contumeliam, ſcripſeritque: *Meſſanæ ut auxilio eſſent, primo in Siciliam*

liam exſcenderunt. Sic enim lib. 21. *exſcenſio hoſtium in agrum Vibonenſem facta.* Lib. 22. *priuſquam in continentem exſcenſiones faceret.* Lib. 27. *improviſo in agrum Vticenſem exſcenſionem fecit.* Lib. 29. *quibus exſcenſiones in agros maritimos facta erant.*

Cap. 30. *Eodem enim ſcelere urbem colentem hos deos*] Multo rectius Oxon. *eodem enim ſcelere urbem colentis deos præſidemque arcu Minervam petitam.* Patet ex conjunctis: *eodem Eleuſine Cereris templum, eodem Piraei Iovem Minervamque.* Non enim dicit: *Eleuſinem & Cererem, Piraea cum Iove.* Et honeſtior fit oratio Deos, quos peti præcipuum ſcelus, ſolos nominando. Lib. 24. *Vos Ceres mater ac Proſerpina, precor, ceterique ſuperi infernique dii, qui hanc urbem, hos ſacratos lacus lucoſque colitis.* Lib. 29. *Divi diveque, maria terraſque qui colitis, vos precor quæſoque.* Cicero in ultima Verrina: *Vos etiam atque etiam imploro & appello, ſanctiſſima dea, qua illos Ennenſes lacus lucoſque colitis.* Noſter lib. 26. de incendio in urbe, fraude Campanorum captivorum excitato: *Veſta ædem petitam & æternos ignes & conditum in penetrali fatale pignus imperii Romani.*

Cap. 31. *Nullum oppugnatæ captæve ibi veſtigium videat.*] Aldina: *captæve urbis veſtigium videat.* Andreanæ: *captæve ibi urbis veſtigium videat.*

Cap. 34. *Ipſe cum viginti millibus peditum, quatuor millibus equitum*] Sic quidem libri: at ego ſcripſiſſe Livium ajo: *Ipſe cum viginti millibus peditum, quatuor equitum:* reſecto τῷ *millibus* poſteriore. Hic enim perpetuus ejus mos eſt. Lib. 21. *qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum fuiſſe ſcribunt: qui minimum, viginti*

ginti

ginti millia peditum, ſex equitum. Lib. 22. *Numerus omnium peditum, qui tum ſteterunt in acie, millium fuit quadraginta, decem equitum.* lib. 23. *præmiſſus eſt ad conducenda viginti millia peditum, quatuor equitum.* Lib. 24. *ad Heracleam, quam vocant, Minoam, quinque & viginti millia peditum, tria equitum, duodecim elephantos expoſuit.* Sic, ſi vacat inſpicere loca, lib. 27, 28. lib. 29, 35. lib. 30, 6, & 29. lib. 34, 21, & 59. lib. 36, 14. lib. 42, 51, & 52. aliiſque innumeris. Statim Andreanæ: *paullo plus ducentos paſſus à caſtris Romanis.* non *ducentis paſſibus.* Et illud amat potius. Vt lib. 34. *totum orbem muri minus quadringentos paſſus patentem habebat*, lib. 36. *plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum caſam.* Et ſimilia, quæ cuivis obſervare pronum.

Cap. 35. *Ab Romanis quum aberat acies eorum paullo plus*] Homini polito non poteſt non illud, *quum aberat*, ſuſpectum eſſe. Mss. cum Andreanis & Aldina: *Ab Romanis autem aberat.* Scribe: *Ab Romanis item (aberat acies eorum paullo plus quingentos paſſus) velites & equitum duæ ferme alæ emiſſæ.* Quia rex periculo ſummam rerum committere noluit, ſed electos ad tentandam fortunam prælii in campum emiſit, pariter Romani haud fere diſpari numero equitum peditumque excretam manum eis oppoſuerunt. Ibidem: *Credidere regii genus pugnæ, cui adſueverant, fore.* Scripti omnes: *quo adſueverant.* Recte. Cæſar lib. 1. de bello civili: *cum Luſitanis reliquiſque barbaris genere quodam pugnæ adſuefacti.*

Cap. 36. *Octo ferme inde millia intervallo*] Puderet monere, niſi ſic ſervarent omnes, quos vidi, editi, ſcribendum eſſe, *millium.*

Cap.

Cap. 40. *Adhæc claſsis Romanæ adventum in Oreum*] Lib. 28. fuit: *Eodem ferme die ab Attalo rege Opuntiorum urbs capta diripiebatur, (conceſſerat eam prædam regi Sulpitius, quia Oreum paucos ante dies ab Romano milite, expertibus regiis, direptum fuerat) quum Romana claſsis Oreum ſeſe recepiſſet.* Ita namque ſcribendum & diſtinguendum. Ergo hic quoque deleta præpoſitione ſcribe: *adhæc claſsis Romanæ adventum Oreum.* Vt lib. 22. extremo: *neque ante conſulis adventum nec poſtquam is rediit.* Vbi idem genus vitiaverant. Cicero 9. ad Atticum 4. *Sunt iſta quidem, quæ diſputas, difficillima: iter ad ſuperum, navigatio infero, diſceſſus Arpinum, ne hunc fugiſſe, manſio Formiis, ne obtuliſſe nos gratulationi videamur.*

Cap. 41. *Cyretias ibi vi capiunt*] Andreanæ: *in via capiunt.*

Cap. 42. *Binis terniſve ſummum ex manipulis*] Recte ſic Gelenius & ſcripti. Genus loquendi quod cum in Cicerone tum in Livio non ſemel corruperunt. Lib. 33. *duo aut ſummum tres juvenes connixi arborem unam evellebant.* Lib. 34. *Satis compertum habemus, duorum aut ſummum trium in ea re, non civitatis culpam eſſe.* Neque aliter ſcribendum lib. 21, 35. *cetera plana, proclivia fore: uno aut ad ſummum altero prælio arcem & caput Italiæ in manu ac poteſtate habituros.* Optimus Pall. *uno aut ſummo altero.* Lege: *uno aut ſummum altero.* Lib. 35. *tyrannus cum tribus ſummum equitibus, inter quos plerumque Alexamenus erat, ante ſigna vectabatur.* Lib. 44. *exituri in aciem hodierno aut ſummum craſtino die.* Sub finem: *per colles ignotos ſequentibus eos hoſtibus in Ætoliam perduxerunt.* Scribe cum Andreanis & Aldina: *per calles ignotos.* Quod & nonnullæ recentiores habent. Lib. 35. *egreſſus calli-*

callibus notis nocte Pleias pervenit. Lib. 36. *ne quos per imminentia juga calles inveniret ad tranſitum Romanus.* Memineris etiam τὸ *ſequentibus* interpretari, ſi forte ſequerentur : neque enim longe ſecuti ſunt. Sic lib. 9, 18. *Referre in tanto rege piget ſuperbam mutationem veſtis, & deſideratas humi jacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graves, nedum victoribus.* Nempe, *etiam victis*, eſt, etiamſi victi eſſent. Quod immemor doctus Rubenius corrigebat: *etiam victis graves, nedum Macedonibus victoribus.* Immo victis, qui adſuerant huic ſuperbiæ ſuis in regibus, non fuerunt graves. Sic lib. 42. de Pruſia: *nam neque pro Romanis æquum cenſere ſe adverſus fratrem uxoris arma ferre, & apud Perſea victorem veniam per ſororem impetrabilem fore.* Hoc eſt, ſi victor fuiſſet.

Cap. 45. *Tam promte ſuccedentium muro terruere*] Non inſuper habendum, quod eſt in Andreanis: *ſuccedentium muros.* Vt lib. 6. *utrimque aciem ſubeuntium jam muros aggrediuntur.* Lib. 22. *Prima levis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco ſuccedens tumulum.* Lib. 27. *adſuetudine tamen ſuccedendi muros & pertinacia animi ſubierunt primi.*

Cap. 46. *Sipyrhicas Ætolus princeps legationis ejus fuit, qui*] Male in recentiſſimis erat omiſſum τὸ *ejus*: ſed etiam ſcribe: *quæ ad communicanda.* Vt referatur ad legationem. Porro inferius meliores ſcripti: *Cæterum non plures tantum Macedones quam ante tuebantur urbem arceſque.* Habebat enim Oreum duas arces, ut conſtat ex ſuperioribus. Alii alludentes: *urbem regeſque.* Mox: *relictis quod ſatis videbatur ad opera perficienda, trajicit in proxima continentis.* Non moverem, ſi ſcirem qua auctoritate neſcio quis deſecuiſ-

ſecuiſſet poſt *perficienda* vocem *millibus*, quam habent veteres libri. Scribe: *relictis*, *quot ſatis videbatur ad opera perficienda*, *militibus trajicit.*

Cap. 49. *Quid veri prætor vanive referret*] Barber. & Petav. *quid veri prater inaniſve referret.*

AD

LIB. XXXII.

CAP 1. *L. Lentulo Italia*, *P. Villio Macedonia*] Nomen alterius conſulis excidit: *L. Cornelio Lentulo.* Sic integre Barber. & Petav. Ibidem inferius ex iiſdem cæteriſque ſcribe: *ut conſules majoribus hoſtiis quibus diis videretur*, *ſacrificarent*, non *conſul ſacrificaret.* Vterque etiam tum ad urbem erat, & utriuſque alibi quoque facit eam curationem noſter. Præcedenti libro: *ſenatuſque decrevit*, *uti conſules majoribus hoſtiis rem divinam facerent*, *quibus diis videretur.*

Cap. 2. *Cum L. Martio Septimio*] Hic lib. 25. appellatur *L. Martius Septimi filius.* At lib. 28. & hic *L. Martius Septimius*. Et illic quidem Sigonius ubique vult legi, *L. Martius Septimi filius*, ut alibi, *Q. Fabius Maximi filius.* Sed altero tertioque hoc loco plane & *Septimum* conſtituit, ut id cognomen familiæ fuerit. Frequentius adjectiva numerum exprimentia prænomina ſunt, ut apparet in *Quintus*, *Sextus*, *Decimus.* Quod tamen poſtremum fruſtra addit *Magio* Sigonius, ut obſervavit Gerhardus Voſſius, brevia gaudia noſtra ad Vellejum: neque enim ſociorum Italicorum nomina ad Romanam formam exigen-

exigenda ſunt. Eundem errorem errat Sigonius lib. 23, 17. ubi pro *Mario Bloſio* facit *Marcum*. At illud etiam reſtituendum lib. 22, 42. *Marium Statilium præfectum cum turma Lucanorum exploratum mittit*. Sic enim integre Put. Petavianus melior & optimi Medicæi. Et ita appellatur ſequiore ævo *Marius Paullus* lib. 8. 7. D. Mandati. Denominata autem ab abjectivis numerorum fere ſunt gentilia, ut ex *Quintiis*, *Sextiis*, *Octaviis*, *Noniis*, *Decimiis* apparet. Tamen quum omnes boni libri utroque poſteriore loco *Septimium* ſervent, & in Sigoniano maneat difficultas quomodo ex prænomine puro, cognomē factum ſit, cenſeo relinquendam illibatam ſcripturam, *Septimium* & *Septimio*. Cum alius eſſet Lucius Martius præter hunc, ad differentiam videntur prænomen patris leviter immutaſſe in cognomen filii. Et ſane illis atque aliquanto poſt temporibus nullam gentem Septimiam apud Romanos me obſervaſſe memini, etſi poſtea fuerit. Eo minus habuit hoc cognomen tum & novitatis & ambiguitatis. Ibidem: *Quod Narnienſibus datum erat, ut colonorum numerus augeretur*. Falſum: non datum neque petitum: querebantur enim ſibi ad numerum colonos non eſſe, & alios immiſtos non ſui generis pro colonis ſe gerere: hos petebant emoveri, illum reſtitui & impleri. Recte igitur ſcripti: *ut colonorum numerus cogeretur*. id eſt, conficeretur, cogerentur undique redire, qui ejus formulæ fuiſſent. Illuſtratur illis infra hoc libro: *totum prope annum Cremonenſibus Placentiniſque cogendis redire in colonias, unde belli caſibus diſſipati erant, conſumſit*. Lib. 37. *tribunos in urbem mittit ad cogendos milites nautaſque in naves*. Lib. 43. *milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abeſſent ab ſignis, cenſus docuit, in provinciam, cogebant*.

Cap. 3. *Duo millia militum fuere*] Sic voluit ex Mss. Gelenius: non, ut interpolaverunt: *duo millia ea militum*. Statim: *ſeu invita ſeu ſuſcepta foret militia.* Oxonienſis clare: *ſeu injuncta ſeu ſuſcepta foret militia.* Probo: eſt enim verbum onerum munerumque fungendorum. Lib. 5. *hoc neque importunos decemviros injunxiſſe ſervitutis, ut perennem militiam facerent:* Tacitus in vita Agricolæ: *Ipſi Britanni dilectum ac tributa & injuncta imperii munera impigre obeunt.*

Cap. 5. *Itinerum pugnarumque laxaverat animum*] Remiſſus labor itinerum & præliorum non tam animum reficit, quam membra, quæ exercitio illo & cõtentione fatigantur. Et de corpore velle intelligi Livium oſtendunt proxima: alios enim docet membris ſimul animoque avide quietem ſumſiſſe; regem quantum corpore ceſſarit, tanto magis exercitam mentem habuiſſe. Matteam plane lectionis hic inſipidi ſuſtulerunt librarii, quam bonum factum ut nos Livio ſtudioſiſque reguſtandam demus. Quæ nunc obtiner, à Sigiſmundo Gelenio eſt ante ſe vulgatum fuiſſe teſtato: *laxaverat animi.* Andreanæ: *laxaverant animis.* Barberin. Naud. Petav. Oxon. cum Aldina: *laxaverat animus.* Scribe me auctore: *Philippum quantum ab adſiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat annus, tanto magis intentum in univerſum eventum belli curæ angunt.* Latinos eleganter *annum*, ut Græci ἐνιαυτὸν, pro tempore anni, ὥρα ἔτους, ſeu pro qualibet ejus parte dicere, varie eſt obſervatum. Hic igitur *annus*, illa pars, qua ceſſatur ab armis, hibernum nempe. Noſter lib. 6. *jam ne hiemi quidem aut tempori anni cedere, ac domos & res inviſere ſuas.* Sic Statius *pigrum annum*, non quidem militiæ, ſed foro & cauſſarum patronis, dicit id tempus anni,

anni, quo res ſunt prolatæ. Ad Marcellum: *Certe jam Latia non miſcent jurgia leges, Et pacem piger annus habet, meſſeſque reverſa Dimiſere forum.* Graviter laborant ibidem: *ſimul qui redderent Achais Orchomenon & Heraeam & Triphyliam: Eleis Alipheram contendentibus, nunquam eam urbem fuiſſe ex Triphylia, ſed ſibi debere reſtitui.* Abſurdum eſt dictu Eleos à Philippo *Alipheram contendiſſe*, non ſolum quia Elei Romanorum fœderi erant adſcripti, ut obſervat Sigonius, ſed etiam quia ipſa phraſis importuna eſt, *contendere urbem* pro repetere vel vindicare. Sed legerat apud Ciceronem lib. 2. in Verrem: *& propter magnitudinem poteſtatis hic magiſtratus à populo ſumma ambitione contenditur.* Id huc congruere exiſtimavit: itaque reponit: *illis Alipheram contendentibus.* Sed ne reliquus quidem ſenſus accipi ſic patitur. Ita enim interpretatur: Illis Achæis Alipheram poſtulantibus reſponderi juſſit, nunquam eam urbem ad Triphyliam attinuiſſe: proptereaque non Achæis, ſed ſibi ipſi reſtituendam eſſe. Emendationem in contextum receperunt: ſed interpretationem nemo conſideravit. Quid enim ſibi ipſi? utrum Philippo? nempe pulchre petit reſtitui ſibi, quam cum maxime poſſidet & præſidio impoſito tenet. an Alipheræis? atqui neque factum illud neque voluit Philippus, neque illis verbis eum ſenſum expreſſiſſet Livius. Aliphera Megalopolitarum erat, una ex illis urbibus, quæ ad condendã Megalopolin ex concilio Arcadum contributæ fuerant. Ante complures annos eam ceperant Ætolorum auxilio duce Phyllida Elei: ab his Philippus, & urgente bello Romano, ut Achæos, quorum corporis erant Megalopolitæ, ſibi conciliaret, reddidit eam veteribus dominis. Id pridem dixerat Livius lib. 28. quem

fruſtra in ſuam ſententiam Sigonius adducit: *Reddidit inde Achæis Heræam & Triphyliam: Alipheram autem Megalopolitis, quod ſuorum fuiſſe,* (antequam ſcilicet ab Eleis & Ætolis caperetur) *finium ſatis probabant, reſtituit.* Ita enim ex veteribus libris ibi ſcribendum eſſe docuimus. Confirmatque auctor lib. 40. *culta ea loca ſuorum finium eſſe.* lib. 44. *Finium is ager Caſſandrenſium erat.* Iam prope manibus tenes non poſſe aliter apud Livium legi quam hoc modo: *ſimul qui redderent Achæis Orchomenon, & Heræam & Triphyliam; Megalopolitis Alipheram, contendentibus nunquam eam urbem fuiſſe ex Triphylia, ſed ſibi debere reſtitui, quia una eſſet ex iis, quæ ad condendam* &c. Verba illa, quæ Sigonius putavit eſſe reſponſum aut eluſionem Philippi, ſunt Megalopolitarum jus ſuum explicantium. Itaque *contendentibus* eſt dictantibus, adſeverantibus, magna contentione allegantibus, non eſſe eam partem Triphyliæ, ut communi Achæorum cum cætera Triphylia traderetur, ſed ſuæ privatim ditionis eſſe. Quum in antiquiſſimo ſcripto aliquot literæ vocis, *Magalopolitis* evanuiſſent, ex reſtante cauda ejus librarii fecerunt *Eleis*.

Cap. 6. *Conſul per Charopum Epirotem*] χάρο-πα non modo Plutarchus in Quintio, ſed etiam pluribus locis vocat Polybius. Scio ut *Harpax* Plauto in Pſeudolo reddatur *Harpagus:* tamen quia video fideliter ubique noſtrum Græca nomina ex Polybio expreſſiſſe, neque ab eo differre, niſi ubi corruptus eſt, quod aliquot exemplis oſtenſum eſt; adſentior Sigonio, tertia potius declinatione quoque *Charopem*, & alibi *Charopis*, *Charope* dixiſſe. Neque meis auribus durius accidit *Charops* quam *Pelops*. Scripti partis hujus Livii, qui in Bibliothecis videntur hactenus, admodum

dum antiqui non ſunt, ut mirum non ſit in talibus omnes eſſe depravatos. Non multo poſt: *vere primo in continentem tralatus ad hoſtem ducere pergit.* Et hoc ab Sigonio eſt: nam vulgares ante, *trabeatus*, quod monſtrum & calamo exarati fere ſervant. Venetæ membranæ cœnobii Antoniani expreſſe: *in continentem trajectus.* Id quod pro Liviano vendito. Lib. 21: *exercitus Placentiam eſt perductus, inde Pado trajectus Cremonam.* Infra hoc libro 32. *Hac ſumma redemti, in Bœotiam inermes trajecti.* Et ſic Andreanæ præcedenti libro cap. 45. *ab Delio, qui ex parte trajecti eo fuerant.* Etſi Aldina & poſteriores, *tranſvecti.*

Cap. 8. *Sortiti conſules provincias. Ælio Italia*] Scribe: *Sortitis conſulibus provincias, Ælio Italia, Quintio Macedonia evenit.* Sic magis frequentat noſter. Inferius: *Quod rex Attalus claſſe copiiſque aliis duces Romanos juviſſet, id gratum ſenatui eſſe.* Scripti: *id gratum ſenatui fore.* Nempe crediderunt pro accepto beneficio repræſentandam, non promittendam eſſe gratiam: itaque mutarunt, cum acciperent *gratum eſſe* pro placere, voluptatem adferre. At ſenſit auctor, ejus rei memorem fore ſenatum gratiis opera reque referendis. Perinde ut lib. 4. *ſuadendo, monendo, pollicendoque, gratum id ſingulis privatim, gratum univerſo ſenatui fore.* hoc eſt, & ſingulos Patres & univerſum ſenatum gratiam relaturos.

Cap. 9. *Prodigia nuntiata atque eorum procuratio Romæ retinuerunt*] Melius Oxonienſis: *Romæ tenuerunt.* Lib. 44, 9. *& ne quid profectionem ſuam teneret.* Ita namque fuit in ſcripto, & habent antiquiores editiones: ubi recentiſſimæ, *retineret.* Iam alibi par mendum notavimus. Ibi-

dem: *utrum recto itinere per caſtra hoſtium viam facere conaretur.* Iterum cum Oxonienſi malo; *per caſtra hoſtium vim facere conaretur.* Etſi non ignorem ſummi Poëtæ: *Fit via vi*, idemque opportune alibi Livius. Lib. 27. *veritus ne inter cunctationem ſuam conſul aliquam vim faceret.* Lib. 36. *ſatis fidens nunquam ea vim Romanum exercitum facturum.* Inferius cum Andreanis & Aldina ſcribe: *ſed magis fieri id placebat, quam quomodo fieret, ſatis expediebat.* non *quomodo id fieret.*

Cap. 10. *Nihil ad id quidem arbitrio aut judice*] Annon potius *arbitro?* Statim magis ad guſtum eſt vett. librorum lectio: *nec Philippum ab ullis bello laceſſitum, ipſum priorem vim omnibus feciſſe.* Neque enim otioſum eſt, quod omittitur vulgo, pronomen. Ibidem: *Pro his ordo & militaris diſciplina & genus armorum erat aptum urgendis regiis: pro hoſte loca & catapultæ.* Vtcumque Gelenius modeſte de hac præclara reſtitutione loquatur, nihil tamen hic alienum puto. Certe Sigonianum commentum: *genus armorum erat aptum prælium gerentibus:* (ſine contumelia tanti viri dictum volo) hieme, non modo Gallica, ſed etiam Sarmatica frigidius judico. Hoc ſatis notum eſt, credo, non inepte fuiſſe unquam armatos Romanos ad prælium gerendum: ad hoc genus certaminis aliquid ipſis commodi fuiſſe in armatu ſuo explicandum erat. Barberinus: *erat amplum jungendis carior his robuſta loca.* Petav. *amplum coingendis cariores his robuſta loca.* Vbi licet corruptiſſimis in verbis ſatis apparent veſtigia Gelenianæ lectionis. Si quid ei addendum, forte eſt: *erat aptum urgendis cominus regiis.* Ex *cominus* facile factum *cario:* ſcimuſque quoties ad manus ventum eſſet, iis ipſis, quæ

quæ recenſet Livius, ordine & diſciplina & genere armorum omnibus nationibus Romanos præſtitiſſe.

Cap. 11. *Vt ſua potius omnia quam illius poteſtatis eſſent*] Non injuria Glareanus obſcurum ait eſſe verborum horum ſenſum. Vt enim ſonant, fidem magis abrogat apud conſulem paſtori Charops quam facit: ait enim, ita hæc accipere conſulem debere, ut per ſuos, quos per amfractus calleſque illo duce erat miſſurus, magis haberet in poteſtate paſtorem, quam milites ei in poteſtatem tradat. Voluit autem contrarium dicere auctor: notorem Charopa dedit conſuli paſtor, non auctorem diffidentiæ. Plutarchus: *γνώστην δὲ τῆς πίστεως παρείχοντο καὶ βεβαιωτὴν Χάροπα τὸν Μαχάτου, πρωτεύοντα μὲν Ἠπειρωτῶν, εὔνουν δὲ Ῥωμαίοις ὄντα, καὶ κρύφα, φόβῳ τοῦ Φιλίππου, συναγωνιζόμενον· ᾧ πιστεύσας ὁ Τίτος.* Scribe ergo: *Hac, Charops renuntiari jubet, ita crederet, ut ſi ſua* (nempe ipſius vel Charopis fidelis & ſpectati ſocii vel etiam Quinctii) *potius omnia quam illius* (paſtoris ignoti hominis) *poteſtatis eſſent.* Ibidem Andreanæ cum Aldina: *ubi, ut polliceretur, ſupra caput hoſtium perventum ſit.* Item: *ſi fides exſtaret.* non *polliceatur*, neque *exſtet*.

Cap. 12. *His copiis ita dimiſſis, eo intentius Romanus undique inſtat capere ſtationes*] Omnes ſcripti & veteres cuſi: *inſtat capi ſtationes.* Vulgatæ architecti *τὸ Romanus* de milite acceperunt: at Livius, ut alibi, deſignat conſulem: *ille inſtat capi*, id eſt, urget milites, ut eorum opera, capiantur ſtationes & ex iis pellatur hoſtis. Notum eſt illud Afri: *ego illud Negare factum, ille inſtat factum.* Plautus Mercatore: *Inſtare factum ſimia.* Hoc eſt perſtare, urgere dicendo & iteran-

do factum eſſe. Sic *ille inſtat capi*, perſtat jubendo & adigendo ad id militem, ut capiantur.

Cap. 13. *An reverti in Theſſaliam praſtaret*] Ita quidem Sigonius de conjectura: nam vetus omnis lectio: *fluctuatus animo eſt, utrum protinus in regnum ſe reciperet, an reverti in Theſſaliam poſſet.* Inepta, ut cauſſatur ille, ſententia. Nihil profecto minus: eſt enim hoc, an reverti auderet, an commode & ſine magno periculo reverteretur. Neque enim poëtarum ſolum eſt, quod obſervavit Guilelmus Canterus, verbum *poſſe* vetuſtatis magis quam neceſſitatis cauſſa aliis jungere: ut *potuiſſe* aliquem *facere* vel *dicere* pro feciſſe vel dixiſſe uſurpent. Noſter lib. 43. *Hic tam multiplex undique objectus terror effecit, ne ſuſtinere primam procellam eruptionis Romani poſſent.* Potuiſſent utique, ſi ducem Romano nomine dignum habuiſſent, niſi incompoſiti, longo agmine effuſi, infrequentes veniſſent: & erat omnis ille terror vanus adverſus vere æſtimantes. Sed hoc vult dicere: *ne ſuſtinerent.* Infra hoc libro: *Concionem Argivorum poſtulabat rex, ut id ſciri poſſet.* Id eſt, ut ſciretur, cognoſceretur. Sic Plautus: *Poſſum ex te hodie ſcire?*

Cap. 14. *Hac deditio Gomphorum ingentem*] Scripti omnes: *Hæc traditio Gomphorum.* Quid opus fuit mutare? Lib. 37. *legationes finitimas ab Eleunte & Dardano & Rhæteo, tradentes in fidem civitates ſuas benigne audivit.*

Cap. 15. *Inde ad Rhagen eſt profectus*] Non eſt nauci iſta Rhage. Scribe: *Inde Atracem eſt profectus.* Strabo lib. 9. ὑπόκειται δ' αὐτῆς Ἄτραξ ἐν τετταράκοντα σταδίοις τοῦ ποταμοῦ (Πενειοῦ) πλησιάζουσα καὶ αὐτή· τὴν δ' ἀνὰ μέσον ποταμίαν εἶχον Περραιβοί. Vides ut mox Livius: *ex Perrabia oriundi ſunt: ſita eſt*

urbs

urbs ſuper Peneum amnem. Eam fruſtra obſedit Quintius. Vnde lib. 33. *Philippus accepta ad Aoum fluvium in anguſtiis cladi, territa Macedonum phalange; ad Atracem vi pulſos Romanos opponebat.* Hoc nomen ſuſpicari queas corruptum eſſe inferius cap. 17. *Conſul interim omnium ſe longiorem atrocioremque oppugnationem habuit.* Venit aliquando in mentem: *longiorem Atracis oppugnationem habuit.* Vel, *ad Atracem.*

Cap. 18. *Et alia ignobiliora caſtella*] Andreanæ atque Aldina: *Sex alia ignobiliora caſtella.*

Cap. 21. *Societatis ſecum admonet & jurisjurandi, & modo poſtulat*] Scripti omnes deficiuntur poſteriore copulativa. Senſus dictat legendum: *& jurisjurandi: non poſtulat, ut ſecum ſtemus; modo ne interſimus armis contentum ait ſe eſſe.* Sic lib. 21. de Gallis in duorum præpotentium populorum certamine, per ambiguum favorem haud dubie gratiam victoris ſpectantibus: *Id Romani, ne quid modo moverent, æquo ſatis, Pœnus periniquo animo ferebat.* Cæterum Barberin. quoque & Naud. *ſocietatem ſecum admonet & jusjurandum.* Quod ſi cui probatur, intelligat verbum ſubſtantivum. Petavianus etſi retinet *ſocietatis*, tamen deinde habet *jusjurandum.* Inferius: *Achæi nos Romana arma ſuſtinebimus.* Conſenſu ſcripti elidunt *τὸ nos.* Et certe non eſt Livii. Lib. 30. *Annibal peto pacem.* Lib. 34. *De hac re vos conſulo; ſtaturus eo; quod plures cenſueritis.* Vbi & ſcripti quidam corrupte: *quod vos plures.* Lib. 37. *Romani ex iis, quæ in deorum immortalium poteſtate erant, ea habemus, quæ dii dederunt.* Lib. 38. *Neque Romani bonæ voluntatis ullum ſignum erga nos tyranni habemus.* lib. 38. *quid Capua capta feceritis Romani.* Sub finem:

nem: *Liberare vos à Philippo jamdiu magis votis quam armis audetis.* Omnes ſcripti: *Liberare vos à Philippo jamdiu magis vultis quam audetis.* Quod cur rejiciam præ altero, cauſſæ nihil video.

Cap. 22. *Quod inclinaverat ad Romanam ſocietatem ineundam*] Barberin. Naud. Petav. Oxon. *ad Romanam ſocietatem jubendam.* Phraſis è comitiis populi Romani petita, quorum loco Græcis populis hujuſmodi concilia erant. Sic lib. 33. *Rogatio inde à Plataenſi Dicaarcho lata recitataque de ſocietate cum Romanis jungenda, nullo contra dicere audente, omnium Bœotiæ civitatum ſuffragiis accipitur jubeturque.*

Cap. 23. *Cæteri populi Achaeorum, quum ſententiæ perrogarentur*] Omnes iterum ſcripti: *quum ſententias perrogarentur.* Quod ipſum perperam ſpreviſſe editores exiſtimo. Lib. 22. *T. Manlius Torquatus interrogatus ſententiam ita loquutus fertur.* Lib. 36. *Annibal nominatim interrogatur ſententiam.* Lib. 37. *Ibi C. Livius, is enim eſt primus rogatus ſententiam.* Neque ſane quum in conſilio vel concilio omnium ordine rogantur ſententiæ, minus ipſi perrogantur ſententias, quam in cœtu perſalutantur, quum omnes ordine ſalutantur. Ibidem: *omnis inde ſpes pugnantibus in vi & armis & operibus erat.* Scribe: *oppugnantibus.* Propius finem: *Pertinacius Quintius in incepto perſtabat.* Et hoc ex egregiis Gelenii eſt, de quo fruſtra dubitat patricius Claronenſis. Antea legebatur abſurde: *Quintius à Miſnepio perſtabat.* Andreanæ: *Quintius à Miſmiſnepio.* Mss. *Quintius ànuſini ncepto perſtabat.* Margo Naudæani: *Flamininus in cœpto.* Quod forte verum.

Cap. 24. *Inermi quoque ſequenti turba confugerunt*]

runt] Barber. & Petav. *inſequente*, quod pluribus locis Livio reddidimus.

Cap. 29. *Et Fruſinone inter noctem lux orta*] Hic quoque doctus vir, ut paupertati Latinæ linguæ conſulat, refingit: *internoctu*. Cur non etiam lib. 43. *quum ſine intermiſſione interdiu noctuque alii aliis ſuccedentes.* Adeo autem verum eſt, *noctu* & *nocte* id eſſe, quod ille vult *internoctu*, ut hoc modo noſter & *luce* dixerit pro interdiu, lib. 38. *quod luce inter horam tertiam ferme & quartam tenebræ obortæ fuerant.* Ibidem: *rebuſque aliis divinis & humanis, quæ per ipſos agendæ erant.* Scripti & Andreanæ cum Aldina: *quæ per ipſos agenda erant.* Vt apud Salluſtium: *abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt.* De quo aliquid 3. Obſerv. 2.

Cap. 30. *Brixiamque, quæ caput gentis erat*] Et hic è ſcriptis Andreaniſque legendum: *Brixiamque, quod caput gentis erat.* lib. 33. *robore Macedonici exercitus, quam phalangem vocabant,* Lib. 38. *cum delectis Ætolorum, quod concilium eſſet gentis.* Cicero: *omnes tenues atque humiles, quæ maxima in populo multitudo eſt.*

Cap. 31. *Diſſipati per vicos, ſua ut quiſque defenderent*] Scripti omnes: *ſua quiſque defendere.* An fuit: *Itaque relicto duce caſtriſque, diſſipati per vicos, ſua quiſque defenſuri, rationem belli gerendi hoſti mutarunt.* Ibidem: *Bojos ita ut tentare ſpem certaminis non auderent, territos audivit, in deditionem venit.* Haud ſcio, quæ mala manus hic Livio nocuerit: nam ſcripti, Andreanæ & Aldina: *ut tentare ſpem certaminis metuerent.* Quod & ſignificationis eſt ejuſdem & multo elegantius. Lucanus lib. 2. *Turritaque premens frontem matrona corona Tralata metuit contingere limina planta.* Ita enim ex veteri meliorum libro-

rum ſcriptura, *vetuit*, reponendum eſſe cenſui jam ante, quam Rutgerſium τὸν πάνυ id præcepiſſe viderem. Lucanus lib. 3. *Illis & volucres metuunt inſiſtere ramis.* Lib. 5. *Limine terrifico metuens conſiſtere Phœbas.* Deinde & ſcripti ſaniores: *in ditionem venit.*

Cap. 31. *Quod ſumma vi ut tenderent*] Perſæpe Livius ſimplici pro compoſito *contendere* utitur. Vt lib. 24. *ut facile, ſi ultra tenderent, appareret illi timendum eſſe.* lib. 34. *Quum adverſus tendendo nihil moveret ſocios, ſimulando ſe tranſire in eorum ſententiam.* lib. 35. *nequidquam contra Mutione & Xenoclide tendentibus facile tenuit, ut portæ ſibi aperirentur.* Et ſic reſtituimus è ſcriptis lib. 28, 18. *Illud magno opere tendente rege.* Vbi vulgo *contendente*, & retinet contra ſcriptum ſuum Rhenanus. Hic tamen non prætermittendum in Andreanis atque Aldina eſſe: *ut obtinerent.* Ibidem ſcripti adjecta copulativa: *commodius, inquit, ſi in terram egrediaris, & ex propinquo dicamus invicem audiamuſque.* Nec videtur indecens. Intelligendum vero: *commodius erit*, vel *facies*: Seneca in ludo de morte Claudii: *Anteceſſerat jam compendiaria via Narciſſus, libertus ad patronum excipiendum, & venienti nitidus, ut erat à balineo, occurrit, & ait: quid dii ad homines? Celerius, inquit Mercurius, & venire nos nuncia.* Non eſt igitur opus correctione Sigoniana *dicemus invicem audiemuſque.*

Cap. 37. *Quum mandatum ſibi de his nominatim negarent quidquam*] Scripti: *quum mandati ſibi de his nominatim negarent quidquam.* Intelligitur ſubſtantivum verbum. Amat autem genus illud Livius, & reſtituimus ex Mss. lib. 29, 18. *nec tamen illi unquam poſtea proſperi quidquam evenit.* Eodem cap. 21. *ut quod ſui quiſque*

cognoſ-

cognoſſet, prenderet. lib. 31. *neque eo magis explorati quidquam retulerunt.* lib. 34. *nec quidquam in exercitu ſuo præcipui præter honorem atque imperium haberet.* Lib. 39, 30. *Prætores Romani omne id temporis contrahendis ex civitatibus ſociis Hiſpanorum auxiliis* &c. *conſumſerunt.* Sic Naud. integre. Barber. & Petav. *omne id opus* : vulgo, *id tempus*, quæ varietas indicio non ſanum eſſe locum. Lib. 42. *de quibus nihil mandati haberet.* Ovidius lib. 1. Faſtorum: *Ne tamen ignores variorum jura dierum, Non habet officii Iupiter omnis idem.* Sic vetuſtiſſimæ membranæ Petavianæ. Vulgo, *officium.* Idem in epiſtola Hypermneſtræ: *Fert male cognatæ jacturam mortis in uno, Et queritur facti ſanguinis eſſe parum.* Sic Mss. plures melioreſque : non *factum.* Palladius Iunio tit. 7. *Solent hoc ſigni &, cum pugnaturæ ſunt, facere.* Sic Mss. at editi, *hæc ſigna.* A Gellius lib. 9, 12. *Metus quoque & injuria, atque alia quædam id generis ſic utroqueverſum dici poſſunt.* Ita quoque membranæ Petav. non *id genus.*

Cap. 39. *Poſteaquam in poteſtate Nabidis Argivorum civitas*] Gelenii codices, ad quorum bonitatem non adſpirant Sigoniani, Barberin. Pet. Oxon. refutant τὸ *Nabidis.* Et mihi quoque rectius abeſſe videtur, quia ſtatim ſequitur : *nihil ejus memor tyrannus.* Ibidem : *neque enim ſe illis timere dixit, ſed exſules Argivorum.* Freinſhemius cancellat τὸ *dixit.* Neque ego contra contendam.

AD

AD LIB. XXXIII.

CAP. 1. *Hæc per hiemem geſta*] Neque principium hoc, quod è codice Bambergenſi optimo publico Itali vulgarunt, neque quæ antehac publicata erant libri hujus, in ſcriptis uſpiam nobis obvia fuerunt. Quod & de ſe in poſteriori conqueritur Sigonius. Providimus tamen ne ingenium quoque noſtrum atque induſtria in aliquibus certe nos dẽſererent. Vbi legitur: *juſſu legionis haſtatis (ea duo millia militum erant) ſequi ſe mille paſſuum intervallo diſtantes.* Poſtremum verbum ita conceptum non habet, quo referatur. Scribe: *ſequi ſe mille paſſuum intervallo diſtantem.* Vt lib. 25. *Quinque millium intervallo caſtra diſtantia habuere paucos dies.* Lib. 37. *portum Phœnicunta, minus duum millium ſpatio inde diſtantem.* Et eodem: *& ſexdecim elephanti modico intervallo diſtantes.* Ibidem: *Oppidani ante lictorem turba acta inſequutum confeſtim* &c. Scribe: *Oppidani, ante lictorum turba acti.* Vt infra: *caſtra bis ante objectis ſepſiſſent.*

Cap. 4. *Triballi nomen eſt gentis*] Livius ſcripſerat: *Triballis nomen eſt genti.* Ibidem numerum notis deſignatum male pronuntiarunt: *bis mille equitum.* Non ſolet ita Livius, ſed *duo millia equitum.* Impingit eodem modo Rhenanus lib. 3, 5. *Romanos cecidiſſe in Hernico agro quinque millia ac trecentos.* Ait eſſe in ſcripto: *V. A. CCC.* hoc eſt, *quinquies mille trecentos.* Vt aliquid ei concedamus, delere licet copulativam:

nam-

nam & Pal. unus. *V millia ac CC.* quod parum refert: cæteræ notæ ſignificant vulgatum. Statim quoque mendoſe: *qui tum copiis tantum quod Ætoli acceſſerant, ſuperabant.* Emenda: *Romanis ferme par numerus erat, equitum copiis, tantum quod Ætoli acceſſerant, ſuperabant.* nempe copias hoſtium numero. Lib. 5. *haud dubius facilem in æquo campi tantum ſuperanti multitudine victoriam fore.* Junctas eaſdem particulas habes lib. 22. *tantum quod exſtaret aqua, quærentibus ad quietem.* Quamvis hic τὸ *quod* potius videtur pronomen. Eſt & breviſſimi temporis intercedentis deſcriptio, quod immemores fuerunt viri docti, ad Cornelium Nepotem in vita Datames: *Hac re probata exercitum eduxit, Mithrobarzanem perſequitur, qui tantum quod ad hoſtes pervenerat, Datames ſigna inferri jubet.* Laudant putidam & illatinam interpretationem, quæ Schottani libri contextum occupaverat: *qui dum ad hoſtes pervenerat.* Quam puto fuiſſe integrum: *qui vix dum ad hoſtes pervenerat.* At longe eruditior vulgata, ſed hoc obſcurior, quod ei deeſſe videtur, τὸ *quum* hoc modo: *qui tantum quod ad hoſtes pervenerat, cum Datames ſigna inferri jubet.* Agnoſcas ex exemplis hujus locutionis alibi jam per occaſionem ab eruditis notatis. Cicero lib. 7. fam. 23. *Tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi à te literæ redditæ ſunt.* Lib. 15. ad Atticum: *Hæc cum ſcriberem tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam.* Vellejus lib. 2. *Tantum quod ultimam impoſuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæſar manum, cum intra quinque conſummati tanti operis dies, funeſtæ ex Germania epiſtolæ.* Hæc proprie pertinent ad hunc locum. Alia apud Suetonium paullo aliter efferuntur, ut ibi τοῦ *cum* non ſit opus. Id igitur

aut

aut excidit, aut intelligendum certe eſt apud Nepotem. Cicero interdum eadem formula juncta negatione eleganter utitur pro eo, quod alias diceremus: *Hoc unum deerat.* Ut lib. 1. in Verrem: *Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere poſſit, unius hominis cauſſa conſcriptum eſſe: tantum quod hominem non nominat: cauſſam quidem totam perſcribit.* Et lib. 3. *Ait ſe miſiſſe & confirmaſſe, ſuam interpoſuiſſe auctoritatem, tantum quod aratoribus Metellus obſides non dedit, ſe nulla in re Verri ſimilem futurum.* Eodem capite lege: *caterum ſatis gnarus jam in Theſſalia regem eſſe.* Id requirit, quod ſequitur: *parare jubet.* Ex duabus editionibus poſtremis hujus partis, quæ mihi ſolæ in promtu, altera *gnarum*, altera *gnaro.* Et poſſet hoc tolerari pro cognito, ut apud Tacitum & alios παθητικῶς accipitur: nondum tamen memini in Livio ſic reperiſſe. Habet quoque neſcio quid arcani decoris illa variatio: *ſatis gnarus, nondum comperto.*

Cap. 5. *Neque prehendi quod trahatur, neque tradi, cum inter ſe*] Legendum: *neque trahi.* Auctor Polybius ex quo totus hic locus depromtus: οὔτ' ἐπιλαβέσθαι παρείσαντα τὴν χεῖρα δυνατὸν, ἅτε πυκνῶν οὐσῶν καὶ προσπιπτουσῶν αὐταῖς, ἔτι δὲ φιλοπόνως ἀποξυμμένων τῶν κεραιῶν, οὔτ' ἐπιλαβομένων ἐπισπάσαι, ῥᾴδιον &c.

Cap. 6. *Non minimum Ætolorum opera regii fugati*] Scribe: *non minima Ætolorum opera.* id eſt egregia. Polybius de iiſdem Ætolis: συνέβαλλον ἐκθύμως. Ita ſolet Livius loqui. Lib. 10, 5. *Itaque ut non properum auxilium jam pæne circumventis, ita univerſa requies data eſt.* Cujus explicatio vulgo eſt in textu: *prope ſerum.* Sic etiam ſcribendum lib. 21, 40. *aut eos equites qui equita-*

equitatum hoſtium ad Rhodanum flumen non ægre viciſſent. hoc eſt, facile, non magno molimento & labore. Sic optimus Pal. Alii libri omiſſa negativa, *ægre*: unde exſtitit à Vallæ conjectura vulgatum *egregie.* Lib. 28, 25. *nihil reliqui habebant præter non tutiſſimum à malis conſiliis receptum.* hoc eſt, admodum intutum. Quæ pridem corrupta verba nos redintegravimus. Lib. 24. quod poſtremi hujus, non cæterorum cauſſa: addo: *non tam tutum prima ſpecie quam unum ſpe undique abſciſa conſilium eſſe rati:* Ibidem: *Romani ad Eretriam Phthiotici agri, Philippus ſuper amnem Onchestum poſuit caſtra.* Hinc vides in Polybio ſcribendum & ſupplendum: ὁ μὲν Τίτος ἐπὶ τὴν παραστρατοπεδευομένην Ἐρέτρειαν τῆς Φθιώτιδος, ὁ δὲ Φίλιππος ἐπὶ τὸν Ὀγχηστὸν ποταμὸν αὐτοῦ κατέζευξαν. non Φεραίας, ut ſuſpicatus eſt vir ſummus. Statim lege. *quod vocant Scotuſæi agri.*

Cap. 7. *Decem turmas equitum & mille pedites miſit*] Polybius: ὁ δὲ Τίτος στρατοπεδεύων περὶ τὸ Θετίδιον καὶ διαπορούμενος ὑπὲρ τῶν πολεμίων ποῦ ποτ' εἰσὶ, δέκα προθέμενος οὐλαμοὺς καὶ τῶν εὐζώνων εἰς χιλίους ἐξαπέστειλε. Iterumque: οὐ μόνον τοὺς εὐζώνους καὶ τοὺς ἱππέας ἐγκεκλικότας. Audeo adfirmare vertiſſe Livium: *& mille velites miſit.* Nam idem prorſus habes lib. 31. *Ab Romanis item (aberat acies eorum paullo plus quingentos paſſus) velites & equitum duæ alæ emiſſæ.*

Cap. 8. *Cum iis, quos P. Sulpitii prius ductu obſidentes in eodem aditu viciſſent*] Non eodem profecto, ſi meminimus, quæ & 31 & 32. præcedentibus libris tradidit. Adhibeamus Polybium: οὓς ὑμεῖς παρακατέχοντας ἐν Μακεδονίᾳ τὰς εἰς τὴν Εορδαίαν ὑπερβολὰς ἐν τοῦ-

προφα-

περιφανοῦς μετὰ Συλπικίου βιασάμενοι τοὺς τόπους ὑπερδεξίους ἐξέβαλετε. Hinc licet mecum audacter & tuto reſcribas: *quos, T. Sulpicii prius ductu, obſidentes Eordaea aditum viciſſint.* Adfirmat & expoſcit ipſe auctor in ea parte hiſtoriæ: *Inde ſatis comperto Eordaeam petituros Romanos, ad occupandas anguſtias, ne ſuperare hoſtes arctis faucibus incluſum aditum poſſent, praceſſit.* Et deinde jam victoribus Romanis: *Ita anguſtia minore certamine, quam quod animis propoſuerant, ſuperata, & in Eordaeam perventum.* Ibidem: *& praterquam quod cadebantur adverſi, nec niſi defenderentur, ſervari poterant.* Qui adverſi cæduntur illi nondum fugiunt, ſed referunt pedem repugnantes, atque ita recipiendo ſervant ſeipſos. At dixerat ante: *mox refugientibus ſuis & terrore verſo.* Ergo lege: *quod cadebantur averſi*, præbitis videlicet tergis.

Cap. 9. *Quamquam pedem referentes in dextro cornu ſuos cernebat*] Non potuit dextrum cornu Macedonum idem eſſe & ſimul opponi dextro Romanorum, ipſa natura docente, quæ adverſa ſe reſpiciunt, eorum cujuſque dextrum obverti alterius ſiniſtro, & viciſſim ſiniſtrum dextro. Sic igitur qua dextrum Macedonum ſtabat, reſiſtebat Romanæ aciei ſiniſtrum cornu, quemadmodum ſiniſtrum Macedonum incurrit in dextrum Romanorum. Potiores autem fuerant Philippici in dextro, impares in ſiniſtro. Polybius. τὸ μὲν οὖν δεξιὸν τοῦ Φιλίππου λαμπρῶς ἀπήλλαττε κατὰ τὸν κίνδυνον. Noſter: *Dextro cornu rex loci plurimum auxilio, ex jugis altioribus pugnans vincebat, ſiniſtro, tum maxime adpropinquante phalangis parte, qua noviſſimi agminis fuerat, ſine ullo ordine trepidabatur.* Ergo neceſſario ſcribendum: *In hos incompoſitos Quinctius,*

ctius, quamquam pedem referentes in ſiniſtro cornu ſuos cernebat, elephantis prius in hoſtem actis, impetum facit. Phalangem Macedonum, quæ ut ſiniſtrum cornu conſtitueret, tantum quod venerat duce Nicanore Elephante, aptior itineri quam prælio, vocat *incompoſitos*, non *compoſitos*, ut male vulgo. In eam dextro cornu Romanorum, cui præerat ipſe Quinctius, quamquam vacillare ſiniſtrum ſuum videret, invadit. Non aliter Achæorum princeps: Ὁ δὲ Τίτος θεωρῶν οὐ δυναμένους τοὺς παρ' αὐτοῦ στέγειν τὴν τῆς φάλαγγος ἔφοδον, ἀλλ' ἐκπιεζομένους τοὺς ἐπὶ τῶν εὐωνύμων. Nempe ipſius Titi. Mox de tribuno militum, qui potiſſima victoriæ cauſſa fuit: *brevi circuitu dextrum cornu hoſtium averſum invadit; nudam aciem ab tergo adortus cum turbaſſet.* Non hæc veteris codicis lectio eſt, ſed conjectura doctiſſimi Quærengi. In ſcripto erat, *nullam aciem*, & deinde, *non turbaſſet*. Quod utique mutandum non fuit, ſed diſtinctione illuſtrandum. Hoc modo: *brevi circuitu dextrum cornu hoſtium averſum invadit. Nullam aciem ab tergo adortus non turbaſſet: cæterum ad communem omnium in tali re trepidationem acceſſit, quod phalanx Macedonum gravis atque immobilis, nec circumagere ſe poterat, nec hoc qui à fronte paullo ante pedem referentes* (in ſiniſtro cornu Romanorum, ut diximus) *tunc ultro territis inſtabant, patiebantur.* Ridiculo errore poſt τὸ *nec hoc* popoſtremis inſertum *tredecim*. Significat eo deventum, ut nec ipſa ſalus ultra ſervare Macedonas valeret. Etenim nullam aciem tam firmam eſſe, quam ſic ex improviſo ab tergo impugnatam conſtare nec turbari contigiſſet. Præter autem illud periculum, quod alia quævis acies non ad hunc caſum ante inſtructa præparataque ſubitura

foret,

foret, hoc opportuniorem phalangem Macedonum fuiſſe, quod natura ſua immobilis erat, nec poſſet circumagi, quin diſſolveretur. Denique, abſque hoc etiam foret, & quamvis ſalvis ordinibus phalanx ſe vertere potuiſſet, (quod non poterat) tamen ne id quidem licuiſſe propter novos animos recentemque impetum illorum ex Romanis, qui paullo ante modicum ceſſerant, ac pedem retulerant.

Cap. 10. *Et omnia circa juga ſignis atque armis fulgere*] Suſpicor excidiſſe vocem & ſcriptum fuiſſe: *ſignis atque armis Romanis* (vel *hoſtium*) *fulgere*. Statim: *quidnam pararent, incertus*. Nempe Macedones haſtas erigentes. non *pararet*.

Cap. 12. *Potens tuendæ * ſimul pacis libertatiſque eſſet*] Adeo ſuſpectus hic fuit locus doctis, ut eum non uno, ſed quatuor aſteriſcis infamem redderent. Tu vero dele omnes: eſt enim Crotone, ut ajunt, ſanior: *ita componendam pacem eſſe, ut Græciæ etiam abſentibus Romanis ſatis potens tuendæ ſimul pacis libertatiſque eſſet*. Non intellexerunt vim particularum, quæ eadem eſt, ac ſi dictum eſſet: *ſimul pacis, ſimul libertatis*: vel, *& pacis & libertatis*. Lib. 3. *Decemviri ſimul iis quæ videbant, iiſque quæ acta Romæ audierant, perturbati*. Sed ibi repeti τὸ *ſimul* volunt ſcripti. Ergo aliis utemur lib. 4. *in ſuos quæq; ſimul corpore atque animo vix præ gaudio compotes effuſæ*. Lib. 21. *Inde partiens curas ſimul inferendi atque arcendi belli*. Hoc libro: *ſilentium mox verecundia ſimul priſtinæ dignitatis ac miſericordia præſentis fortunæ ortum eſt*. Ibidem: *Ad hæc Quinctius, negare Ætolos aut moris Romanorum memores, aut ſibiipſis convenientem ſententiam dixiſſe*. Non modo ſcitius, ſed & verum eſt, *memorem*, ut re-

feta-

referatur ad ſententiam. Lib. 1. *Primum ultimumque illud ſupplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit.* Sic lib. 4. *ſi temporis interdum potius quam majeſtatis memor adhibeatur oratio.* Lib. 7. *ut preces Campanorum, reſponſum ſenatus amicitiæ Samnitium memor, deditionem poſtremo factam, Samnitibus exponerent.* Statim negandi particula deficit, quam inſeres hoc modo: *& illos prioribus omnibus conciliis conloquiiſque de conditionibus pacis ſemper, non ut ad internecionem bellaretur, diſſeruiſſe.* Ideo diſconveniebant ſecum, quod prius haudquaquam præ ſe tulerant optare ac velle, ut cum internecione Philippi finiretur bellum, nunc id aperte cenſerent.

Cap. 13. *Quæ priore colloquio aut impetrata à Romanis*] Lego: *imperata.* Nam de illo lib. 32. *rex, ejus eſſe priorem orationem, qui daret pacis leges, non qui acciperet.* Et inferius: *quum tam gravia & indigna imperarentur, inopem conſilii diem ſe conſumſiſſe deliberando ajebat.* Deinde: *Quamquam vel inimiciſſimis omnibus præcluſiſſe vocem videbatur.* Malo, *iniquiſſimis.* Inferius: *Ætolis non in præſentia modo gravia auditu.* Vulgo deeſt præpoſitio.

Cap. 14. *Regiæ copiæ peditum equitumque vagantes*] Scriptus habuit, *vagare*: quod factum erat ex *vagæ*, non *vagantes*. Infra: *in vagos palateſque.* Supra: *agmen ad incertos clamores vagum.* Sic alibi *vagam populationem.* Ibidem: *Erant autem cum eo quinque millia peditum, ex quibus armaturæ levis, & trecenti equites, cum iis copiis dimiſſi, qui ſpecularentur, quam in partem hoſtes effunderent ſeſe, opperiebantur.* Sive *armaturæ levis*, referas ad *pedites*, eumque nominativum intelligas, ſive ad *equites*, quod ſequi-

tur,

tur, non niſi inepta evadit oratio. Præterea abundat vox *copiis*, quam omnino tollendam exiſtimo, & refingendum: *ex quibus armatura levis, & trecenti equites cum iis, dimiſſi qui ſpecularentur.* Milites levis armaturæ & cum illis una trecentos equites exploratum miſſos ait. Tò *iis* ad intellectum refertur, militibus videlicet levium armorum, non ad vocem, nota figura.

Cap. 15. *Porta egreſſus per flumen inſtruit aciem*] Scribe: *egreſſus ſuper flumen.* Vt lib. 38. *ipſe nihil via digreſſus, ad Antiochiam ſuper Maandrum amnem poſuit caſtra.* Lib. 42. *Inde quum tria millia ferme abeſſet à Tripoli (Scaam vocant) ſuper Peneum amnem poſuit caſtra.*

Cap. 17. *Extemplo cum claſſe profectus Leucade, ad Heraum quod vocant*] Atqui non conſcendit Leucade, ſed Corcyræ, & Leucadem curſum habuit. Ergo Quærengus, *Leucadi* vel *Leucadem.* Malo: *extemplo cum claſſe profectus inde, ad Haraum, quod vocant, naves adplicuit.* Inferius doctiſſimus Iſaacus Voſſius ad Scylacem legebat: *Leucadia nunc inſula eſt, vadoſo freto, quod perfoſſū manu, ab Acarnania diviſa. Tum peninſula, & ab occidente regioni artis faucibus cohærens.* Sed cur mutemus, *occidentis regione?* Niſi me animus fallit, rectius eſt: *Leucadia nunc inſula, & vadoſo freto, quod perfoſſum manu eſt, ab Acarnania diviſa; tum peninſula erat, occidentis regione arctis faucibus cohærens Acarnaniæ.* Aliter Quærengus, ſed, quod diximus, utique Livii fuit.

Cap. 18. *Cum his copiis Pauſiſtratus tendebat in Stratonicenſi agro*] Præclaram hujus loci reſtitutionem debemus eruditioni & virtuti Freinſhemii noſtri. Verbum *tendebat* eſt nihili, cæterum occultat nomen caſtelli, quod Rhodii duce Pauſiſtrato ceperunt. Stephanus: Τένδηβα, πόλις

πόλις Καρίας. Ita ergo repone: *Cum his copiis Pauſiſtratus Tendeba in Stratonienſi agro, locum peropportunum, ignaris regiis, qui tenuerant, occupavit.* Et deinde: *Dinocrates regius præfectus recuperandi caſtelli cauſſa, primo caſtra ad ipſa Tendeba movit.* Sed quid eſt, *ignaris regiis qui tenuerant?* An credibile eſt nullum in eo caſtello tam opportuno præſidium fuiſſe? & qua de cauſſa deſeruerunt, quod occupatam ab hoſtibus reciperare ſunt aggreſſi? Nec habeo, quod ſupponam, niſi forte nimis audacter: *ignaris regiis, qui Stratoniceæ erant:*

Cap. 19. *Dardanos tranſgreſſos fines regni*] Hic legebatur antea, quod & Aldina ſervavit: *fines ab contentu conceſſit cum regni.* Eas quatuor voces pro ſuperfluis induxit Gelenius. Videtur potius leviter corrigendum fuiſſe: *Dardanos tranſgreſſos fines ab contemtu conceſſi tum regni.* Philippus dum contrahit undique militem in bellum adverſus Romanos, oppoſitam Dardanis regni partem præſidio nudaverat: atque eam velut in prædam, ſeipſum contemtui, latrocinio gaudentium populorum expoſuerat atque conceſſerat. Infra: *Smyrna & Lamſacus libertatem uſurpabant, periculumque erat, ne, ſi conceſſum his foret, aliæ urbes ſequerentur.* Lib. 23. *quia ſilentium erat. ſolitudo viſa, metuq; conceſſum barbarus ratus, moliri portas & clauſtra refringere parat.* Lib. 37. *quum confeſſionem conceſſi maris ultimam hoſti expreſſiſſet.* Lib. 42. in oratione Eumenis: *Hæc quum votis quieſcentibus & patientibus fecerit, & conceſſam ſibi Græciam eſſe à vobis videat.* Glareanus, qui nec Gelenio ſcit adſentiri (non hic, ſed in aliis quoque certioribus) nec ipſe quid melius adfert, quid muginetur, non intelligo. Ibidem: *circa Stobos Pelagoniæ improviſo hoſtes oppreſſit.*

preſſit. Ab Glareani conjectura ſic receptum, quum codex Moguntinus, unde primum typis deſcriptus hic liber, haberet: *Stobos Pæoniæ.* Auctore Ptolomæo utitur Glareanus, qui Pelagonum id oppidum dicat. Sed etiam lib. 40. *Stobos Pæoniæ exercitu indicto in Mædicam ducere pergit.* Et ob vicinitatem utriuſque regionis fieri potuit, ut diverſi auctores modo huic modo illi eam urbem attribuerent.

Cap. 21. *Quæ nondum animos nudaverat*] Sic Gelenius ex v. c. quum male expreſſiſſent ante: *mutaverat.* Sed requirit Latinitas: *nudaverit.* Ibidem: *Hic literis à Manio Sergio Prætore, cujus juriſdictio inter cives & peregrinos erat, recitatis.* Clauſulam, quæ prætorem deſcribit, inducendam eſſe pugnat Sigonius quatuor argumentis: primum, quod Manius hic Sergius prætor urbanus eſſet, non peregrinus: deinde quia prætoris urbani negotium fuerit recitare literas in ſenatu, non peregrini: tertio, quia libro ſuperiore hoc officium præſtitiſſe dicatur Manius Sergius prætor urbanus: quarto quia non ſoleat Livius, ubi ſemel *prætorem urbanum* nominavit quemquam, ſi ſit iterum nominandus, niſi *prætorem* addere: ut paullo poſt: *Hæ literæ prius in ſenatu à Sergio prætore recitatæ;* ubi prætermiſit ſcilicet, *urbano.* Ex his tria priora argumenta evincunt, non totam clauſulam, quod intendit Sigonius, ſed duo verba, *& peregrinos*, inducenda eſſe. Nam urbanus haud dubie erat, non peregrinus: quod etiam advertit Glareanus, ſed male pro *Sergio Minutium* obducit. Quartum, quod proprie ſententiam Sigonii probare videtur, fallit: non enim hoc perpetuum Livio, ut ſemel tantum urbanum prætorem vocitet. M. Æmilius prætor urbanus lib. 22. quæ decemviri ex libris Sibyllinis ediderant,

tant, ab ſenatu curare juſſus. De eô lib. eodem c. 33. *duumviri ad eam rem creati ab Æmilio prætore urbis Cn. Pupius & Cæſo Quinctius Flamininus*. De eodem lib. 27, 35. *ludos magnos, quos M. Æmilius prætor urbis C. Flaminio Cn. Servilio Coſs. fecerat, & in quinquennium voverat*. Ergo ſcribe: *à Manio Sergio prætore, cujus juriſdictio inter cives erat*.

Cap. 23. *Pleroſque etiam, quum apud hoſtes eſſent, ſervitute exceptos*] An non potius: *ſervitute exemptos*? Vt *eximere obſidione*. Lib. 24. *ibi quoque circumſeſſus adventu fratris obſidione eximitur*. Lib. 36. *quum App. Claudium, ut obſidione Lariſſam eximeret, in Theſſaliam miſiſſent*. Lib. 38. *Dædala & quædam alia parva caſtella obſidione exemerunt*. Alterum non tam aliquos liberatos, quam plures in ſervitute relictos ſignificat.

Cap. 24. *Quæcumque ſenatus cenſuiſſet, id regem facturum eſſe*] Quid impedit legere: *ea regem facturum eſſe*? Aut, *quodcunque ſenatus cenſuiſſet*.

Cap. 27. *Atque ab ipſo hi & non à Quintio & Romanis dati eſſent*] Non hæc Moguntini codicis lectio eſt, ſed illa teſte Gelenio: *atque ipſi id à Quinctio & Romanis datum eſſet*. Vnde facile eſt conficere: *perinde atque ipſis id non à Quinctio & Romanis datum eſſet*. Quod neſcio an & voluerit Fulvius Vrſinus: inſerit enim & negativam, ſed retinet *ipſi*: cum tamen hoc provocabulum Bœotos reſpiciat. Eſt quidem aliqua ſententia lectionis veteris, prout ex unico codice eam produximus, quaque acquievit Gelenius: videlicet, quaſi gratia & reverentia Philippi id beneficium tribuiſſent Bœotis Romani, apud quem credibile eſt illos etiam tum exſulaſſe. Sed hanc exprimere

mere Livium voluiſſe non exiſtimo. Vtcumque Philippi gratiæ datum hoc fuiſſet, tamen dantibus quoque, etſi propter alium dantibus, obligati erant: habet enim propter quem datur, beneficii honorem; cui datur, utilitatem. At ipſæ particulæ *perinde atque* ſatis indicant voluiſſe auctorem ponere rationem aliquam hujus rei recte faciundæ, aut quomodo juſte potuerint Philippo tantum ab illis grates agi, Romani præteriri. Ea erat ſi ab his non accepiſſent, ab illo accepiſſent; non autem, ſi in hujus gratiam quidem, ab illis tamen accepiſſent. Cauſſam vero, cur Bœoti magno ſuo malo Macedonibus obnoxii tum eſſent, habes apud Polybium in excerptis libri 20.

Cap. 30. *Triginta quaterna millia pondo*] Turbata hæc ſunt, ut cuivis videre pronum. Glareanus: vectigal præceſſit, præſens pecunia ſequitur: hæc ſumma in medio quid ſibi velit, haud equidem ſcire poſſum. Fortaſſe ſcripſit Livius: *Valerius Antias quaternum millium pondo argenti vectigal in decem annos, præſens triginta quaterna millia & ducenta viginti pondo.* Non deſunt rationes, & alibi dabuntur.

Cap. 33. *Liberatas omnes Græciæ atque Aſiæ urbes*] Non profecto omnes Aſiæ urbes, ſed Græcas. Itaque excidiſſe eam vocem reor: *Vna voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Aſiæ Græcas urbes.* Confirmat, quod proxime apponimus ex ſequenti.

Cap. 34. *Abſtineret liberas omneſque Græcas*] Obſcuritatem ait Glareanus his verbis ineſſe. Ego vero & vitium ineſſe puto & reſtituendum: *pronuntiatum, ut excederet Aſiæ urbibus, quæ aut Philippi aut Ptolomæi regum fuiſſent: ſineret liberas omnes eſſe Græcas.*

Cap.

Cap. 36. *Et tanto terrore animos militum reſiceret*] Perſpicuum eſt legi debere: *& a tanto terrore.* Ibidem: *Marcellus Pado confeſtim trajecto in agrum Comenſem, ubi Inſubres Comenſibus ad arma excitis caſtra habebant, ducit. legiones in ipſo itinere prælium committunt.* Vocem, *ducit*, à Glareano additam (eſt tamen apud illum: *legiones induxit: ſtatim in ipſo itinere*) recte ait Sigonius: non ſat recte, quod multas alias voces deſiderari non ſenſerit. Nam ſi dicamus, legiones in ipſo itinere prælium commiſiſſe, eaſdem etiam intelligendum adeo acriter invaſiſſe, ut anteſignanos impulerint. Quod tamen de Gallis accipiendum eſt. Itaque poſito ſupplemento cenſet tamen locum ſignandum aſteriſco, ſic: *legiones in ipſo itinere.* Fortaſſis id tutius. Videtur tamen haud incommode concinnari poſſe: *Marcellus Pado confeſtim trajecit legiones in agrum Comenſem, ubi Inſubres Comenſibus ad arma excitis caſtra habebant. In ipſo itinere prælium commiſſum. Et primo adeo acriter invaſerunt.* Sic poſtremum de hoſtibus Gallis commode intelligitur. Ibidem, quamquam Antiatem Valerium mirifice numerum ſemper augere meminerim alibi Livio notatum, malim: *& quinquaginta ſeptem ſigna militaria capta.* Vulgo: *quingenta.*

Cap. 38. *Brevi, quæ peterent, habituros*] Vera lectio eſt: *brevi, quam peterent, habituros, ſed quum ſatis & ipſis & aliis omnibus appareret, ab rege impetratam eos libertatem, non per occaſionem raptam, habere.* Pollicetur illis, quam uſurparent, libertatem poſt breve tempus, tum tamen, quum conſtaret eam non rebellione quæſitam, ſed regium munus eſſe. Ex conjectura fecimus *quam* pro *quæ*: cætera ſic habuit codex Moguntinus, & ſervat Aldina.

Cap. 39. *Quantum à bello aperto Romanis abeſſe*] Adde, quæ excidit, particulam: *a bello aperto cum Romanis abeſſe.*

Cap. 40. *In Europam trajeciſſe* XXX *fuerit*] Scio non placere viris gravibus & ingenuæ antiquitatis conquiſitoribus lacunarum fartores ſartoreſque. Si tamen unquam cuiquam feliciter ceſſit, fatendum eſt hic ceſſiſſe magno Sigonio. Verba Polybii fuerant. εἰς δὲ τὴν Εὐρώπην ἔφη διαβεβηκέναι μετὰ τῶν δυνάμεων ἀνακτησάμενος τὰ κατὰ τὴν Χεῤῥόνησον καὶ τὰς ἐπὶ Θρᾴκης πόλεις. τὴν δὲ τῶν τόπων τούτων ἀρχὴν μάλιστα πάντων αὐτῷ καθήκειν. εἶναι μὲν καὶ ἐξ ἀρχῆς τὴν δυναστείαν ταύτην Λυσιμάχου. Σελεύκου δὲ πολεμήσαντος πρὸς αὐτὸν καὶ κρατήσαντος τῷ πολέμῳ, πᾶσαν τὴν Λυσιμάχου βασιλείαν δορύκτητον γενέσθαι Σελεύκου. Hinc ille ad ſententiam egregie: *aut adverſus Romanos in Europam trajeciſſe, ſed ut Cherſoneſi urbes Thraciæque recuperaret. Eorum enim locorum imperium in primis ad ſe pertinere: quippe quod initio Lyſimachi regnum fuerit. quo victo omnia, quæ illius fuiſſent, quod jure belli Seleuci facta ſint, exiſtimare ſuæ ditionis eſſe.* Nihil reprehendo: tamen non videtur bis voluiſſe vertere Livius Polybii ἀρχὴν μάλιστα πάντων αὐτῷ καθήκειν, *imperium ad ſe pertinere*, dein *exiſtimare ſuæ ditionis eſſe.* Nos paullo brevius rotundiuſque: *ſed ut Cherſoneſi Thraciæque urbes recuperaret. Ea enim loca in primis, quibus Lyſimachi regnum fuerit (quo victo omnia, quæ illius fuiſſent, jure belli Seleuci facta ſint) exiſtimare ſuæ ditionis eſſe.* Quare hæc *inprimis?* quia, ut ait lib. 34. Seleucus proavus ejus illa per ſummum decus parta liquerat.

Cap. 44. *Annis poſt unum ac viginti factum eſt*

eſt]. Sic perperam in ultimis: nam Aldina recte: *annis poſt una ac viginti.*

Cap. 45. *Facere quæ è republica cenſeret eſſe, permiſerunt*] Scribendum *facere*. Statimque: *eam rem eſſe rati, quæ maturata dilatave non magni momenti ad ſummam rempublicam populi Romani eſſet.* Duas formulas exquiſitas & paſſim ab imperitis abolitas aut vitiatas conjunxerat elegantex noſter. De *ſumma re publica* dictum ſuperius & addetur aliquid inferius. *Rem* vero *publicam populi Romani* reſtituimus & lib. 10, 9. lib. 22, 10 & 53. Vellejus Paterculus lib. 2. *Pompejo Sullaque & Mario fluentem procumbentemque rempublicam populi Romani reſtituentibus.* Vtramque emendationem hujus loci confirmat auctor libro ſequenti: *Verſis itaque ſubito voluntatibus, facere, quod è republica populi Romani ſociorumque eſſe crederet, permiſerunt.* Vulgo inſeruerant particulam *tam*: quæ non fuit in Moguntino, neque eſt in Aldina.

AD
LIB. XXXIV.

CAP. I. *Qui pro lege, quæ abrogabatur.* Sic Mss. non ut pleræque editiones & fecit Sigonius: *ne abrogaretur.* Neque aliter infra in concione Valerii: *ex utro tandem genere ea lex eſſe videtur, quam abrogamus.* Latinius immo eſt, & hoc verbo non modo eventus effectuſque, ſed etiam intentio & præſumtus finis actionis ſuſceptæ ſignificatur. Lib. 21. de C. Flaminio: *memori veterum certaminum cum Patri-*

bus, quæ tribunus plebis, & quæ poſtea conſul, prius de conſulatu, qui abrogabatur, dein de triumpho habuerat. Quem tamen conſulatum invitis Patribus ille geſſit.

Cap. 3. *Vt auro & purpura fulgeamus, inquiunt*] Barberin. Petav. Naud. cum Andreanis: *Vt auro & purpura fulgeamus, inquit.* Obſervavimus ſcriptoribus antiquis inprimis Senecæ, perpetuam formulam proponendæ adverſationis eſſe, *inquit*, ſic abſolute, ut intelligere videantur, aliquis ex iſto numero, aliquis contra dicturus. Sic lib. 1. de ira c. 3. *Iraſcimur, inquit, ſæpe non illis, qui læſerunt.* Vbi Henricus Stephanus conjectat *inquis*. Infinitis ſic locis Seneca: nos paucula notabimus, quæ Gruterus & Stephanus aut alteruter mutari perperam cenſuere. Lib. 2. de ira 15. *Vt ſcias, inquit, iram habere in ſe generoſi aliquid, videbis liberas gentes, quæ iracundiſſimæ ſunt.* Lib. 2. de beneficiis c. 34. *Quid ergo, inquit? retulit gratiam, qui nihil fecit.* Lib. 3, 29. *Quicquid, inquit, eſt, quod dat patri filius, utique minus eſt.* Lib. 4, 2. *Quid, inquit, tua refert? & ego ſine virtute nego beatam vitam poſſe conſtare.* Eodem c. 7. *Natura, inquit, hæc mihi præſtat.* Eodem c. 39. *Quare ergo, inquit, Zeno veſter, cum quingentos denarios mutuos cuidam promiſiſſet* &c. Itaque & reſtituendum ex melioribus Mss. lib. 5, 18. *In infinitum, inquit, me obligas.* Vbi vulgati ante poſtremam Elzevirianam, *inquis*. lib. 7, 4. *Non ideo quod habeo, meum non eſt, ſi tuum eſt: poteſt enim idem eſſe meum & tuum. Is, inquit, cujus proſtitutæ ſunt, leno eſt.* Sic optimus Nazarianus comite uno ex Pall. ſic & codices Eraſmi: non *inquis*, ut vulgo. Sic de vita beata cap. 18. *Aliter, inquit, loqueris, aliter vivis:* quum tamen & quæ præcedunt & quæ ſequun-

quuntur, ad plures dirigantur. Valerius Maximus lib. 4, 3. *At, inquit, ærario abeſſe tribunus plebis querebatur quindecim millia æris.* Vbi par offenſio Lipſii.

Cap. 4. *Reipublicæ eſt, quo magis imperium creſcit*] Duæ voces, *quo magis*, ſunt ſutorum. Scripti & Andreanæ cum Aldina: *quo melior lætiorque indies fortuna reipublicæ eſt, imperiumque creſcit.* Non videbant homines boni illa, *quo melior lætiorque*, dividenda eſſe hoc modo: *quo magis bona lætaque*: atque duas inde particulas ad eam, qua ſequens membrum adnectitur, ſubaudiendas, perinde ac ſi dictum quoque eſſet: *& quo magis imperium creſcit.* De quo compendio & arcana elegantia diximus ad lib. 1, 25. *eo majore cum gaudio, quo prope metum res fuerat.* In fine: *& luxuria non mota tolerabilior eſſet, quam erit nunc, ipſis vinculis, ſicut fera beſtia, irritata, deinde emiſſa.* Ab Gelenio eſt, qui recte delevit τὸ *ſolutis*, quod adjecerant in editionibus. Sed ſcripti: *ipſis vinculis, ſicut feræ beſtiæ irritata, deinde emiſſæ.* Forſan erit, cui placeat tamen eſſe durius judico & legendum: *ipſis vinculis, ſicut feræ beſtiæ, irritata, deinde emiſſa.* Nihil impedit, quo minus luxuria cum multis feris recte comparetur. Lib. 35. de Philippo: *noſſe ſe ſpiritus ejus, noſſe animum: ferarum modo, quæ clauſtris aut vinculis teneantur, ingentes jamdiu iras eum in pectore volvere.* Lib. 36. *Ille quidem feræ beſtiæ vinctæ aut clauſæ & refringere clauſtra cupienti regis iram verbis æquabat.*

Cap. 6. *In eandem diem frumentum & cætera*] Hic olim legebatur: *in eadem die deërant pecuniæ, frumentum.* Indigebat locus ſectione, ut bene vidit Gelenius; hoc non recte quod una voce plus recidit, quam decuit. Nam legi volunt

ſcripti: *in eandem diem pecuniæ frumentum & cætera, quæ belli uſus poſtulabat, præbenda publicani ſe conducturos profeſſi erant. Dies pecuniæ* eſt dies ſolutionis ex ærario faciendæ: ut juriſconſultis *diem venire, diem cedere.* Cicero lib. 10. ad Atticum: *diem pecuniæ Idus Novembres eſſe.* Noſter lib. 37. *& ex ea die pecuniæ creditæ, qui bus debitor vellet legibus, jus creditori diceretur.* Ibidem: *Cui non apparet, ob inopiam civitatis, quia omnium privatorum pecuniæ in uſum publicum vertendæ erant, iſtam legem ſcriptam.* Sic Sigonius ex interpolato codice: nam noſtri multo elegantius, ut ante illum editiones habebant: *Cui non apparet, inopiam & miſeriam civitatis* &c. *iſtam legem ſcripſiſſe.* Ita Plinius lib. 8. epiſt. 18. *Quo laudabilius teſtamentum eſt, quod pietas, fides, pudor ſcripſit.* Cicero in tertia agraria: *Eſt invidioſa lex, ſicut dixi; verumtamen habet excuſationem: non enim videtur hominis lex eſſe, ſed temporis.* Libanius in oratione περὶ προστασιῶν. τῆς ψήφου δὲ τεθείσης, ἣν τὸ χρόνος καὶ ὁ θώραξ ἤθελεν. Livius lib. 8, 12. *Dictatura popularis & orationibus in Patres criminoſis & quod tres leges ſecundiſſimas plebi, adverſas nobilitati tulit.* Sigonius pari temeritate legit *Dictator:* nam ſequitur, ait, *leges tulit:* alioqui fiet, ut dicamus: *dictatura leges tulit.* Et cur non diceremus?

Cap. 9. *Miraretur quis cum cerneret*] Non video, cur ſpreverint, quod eſt in ſcriptis: *Miraretur, qui tum cerneret aperto.* Sic lib. 29. *Miretur, qui ſciat, quomodo aut nos ad patientiam ſufficiamus, aut illos, qui faciunt, nondum tantarum injuriarum ſatietas ceperit.* Iidem libri veteres: *nocte pars tertia civium in muris excubabant.* non *excubabat.* Tum: *quanta, ſi hoſtis ad portas*

eſſet,

eſſet, *& ſervabant vigilias & circumibant cura.* non *obſervabant*. Sic lib. 36. *nec quiſquam eorum aut arma induit, aut ſtationem aut vigilias ſervavit*. Inferius: *mercarique & ipſi ea, quæ externa navibus inveherentur, & agrorum exhibere fructus volebant*. Omnes ſcripti & antiquitus cuſi: *agrorum exigere fructus*. Sed Gelenius, lege, ait, *exhibere*: nam Græci illi nullos agros habebant. Ego tamen, ne illi adſenſum præbeam, Latinoſque *exigere merces* dixiſſe pro eo, quod Horatius dicit, *venales extrudere*, putem, adducor inprimis loco ſingulari ex declamationibus, quæ Quintiliani ſub nomine feruntur. Vndecima, quæ inſcribitur, Paſti cadaveribus: *Sacroſanctus mercator opportunum, opinor, invenit mercis exactum*. Quod nihil aliud eſt quam forum, nundinas, locum & occaſionem mercis exigendæ & magno cum lucro venumdandæ. Græcis quoque recepta ἐξάγειν σῖτον pro exportare, ἐξαγωγὴ σίτου, unde Plautus, *facere exagogam*, & τὰ ἐξαγώγιμα merces quæ exportantur. Patiamur igitur in poſterum tam ſcito helleniſmo auctam Latinitatem. Mox rurſum ſcripti brevius: *quam ſicut minoribus viribus, quam Maſſilienſes, pari colebant fide*. Non erat neceſſe, ut editores adjicerent: *ita pari*. Tale ſupplementum mox quoque infulſerunt: *Id erat forte tempus anni, ut frumentum in areis haberent*. Sic enim calamo exarati. An quæris, qui haberent? an potius intelligis ſtatim, ut oportet, agricultores vulgo, & qui meſſem fecerant. Quod ignorantes illi intruſerunt: *in areis Hiſpani haberent*. Quo Livius æquo animo caruit.

Cap. 10. *In ærarium quatuordecim millia pondo.*] Iterum ſcripti: *decem quatuor pondo*. Vox quidem *millia* in optimis quoque libris omiſſa

ſæpe, ubi abeſſe non poteſt per uſum Latini ſermonis. Quod inde ortum crediderim, quia & reliqua numero notis ſcripto virgula ſuperducta ſignificata erat: cujus rationem ſecuti poſtea librarii non habuerunt.

Cap. 11. *Niſi præſidio Romanus miles eſſet*] Sic quidem Gelenius. At noſtri retinent omnes prius vulgatam: *niſi præſidium Romani miſiſſent.* Diſplicuit ſcilicet, quod *miſiſſent* dixit pro *mitterent*. Sed hoc neque noſtro neque purgatiſſimis aliis ſcriptoribus inſolens. Cicero in Topicis: *agens de eo, qui teſtamento ſic hæredem inſtituiſſet, ut ſi filius natus eſſet in decem menſibus, iſque mortuus prius quam in ſuam tutelam veniſſet; ſecundus hæres hæreditatem obtinuiſſet.* id eſt, obtineret. Cæſar lib. 1. de bello civili: *ſi qua facultas fuiſſet, ad ſe cum omnibus copiis veniret.* Cicero Philipp. 2. *ut frangerer animo propter vitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus, dimiſſa moleſtiis omnibus liberaſſet.* Male corrigit Lambinus, *liberaret.* Curtius lib. 4. *ſi ſaniora conſilia pati potuiſſet, contentus patrio cederet alieni imperii finibus.* Statius equo maximo Domitiani: *portaret culmina montis Cœliferique attrita genu duraſſet Atlantis.* Vbi fruſtra Bernartius: *duraret.* Sic viciſſim, quod eſt apud Vlpianum: *ſocietas coiretur & conveniret*, pro coita eſſet & conveniſſet, non tantum illius & Spartiani & Lampridii ævo frequens erat, ut ſollicite vir primarius, (qui etiam dubitat, an Latinitas patiatur: *ſocietas coita eſſet.* immemor eundem Vlpianum in l. 7. eodem tit. dixiſſe: *videtur coita eſſe univerſorum*) ſed & longe puriorum in ſermone ſcriptorum. Cæſar lib. 5. de bello Gall. *prope omnes naves adflictas atque in litore ejectas eſſe, quod neque anchoræ funeſque ſubſiſterent, neque*

neque nautæ gubernatoreſque vim tempeſtatis pati poſſent. Salluſtius Iugurthino: *Neque diutius Numidæ ſubſiſtere quiviſſent, ni pedites equiteſque permixti magnam cladem in congreſſu facerent.* Plautus Mercatore: *Si hercle ſciviſſem, ſive adeo joculo dixiſſet mihi, Se illam amare, nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.* Rudente: *Vtinam, te priuſquam oculis vidiſſem meis, Malo cruciatu in Sicilia perbiteres.* Sic Milite a. 1. ſc. 1. eſt *tranſmitteres* & *occideres*, pro tranſmiſiſſes & occidiſſes: perperamque *tranſmitteras* & *occideras* ſupponunt. Sic Mercat. a. 1. ſc. 1. *Neque niſi quinto anno quoque poſſe tum viſere Vrbem.* Vbi *adſuetum* alii volunt; alii fingunt neſcio quam craſin in *poſſe* pro *potuiſſe*. Tacitus 15. annal. 68. *Percontanti Neroni, cur in cædem ſuam conſpiraviſſet, breviter reſpondens: non aliter tot flagitiis ejus ſubveniri poſſe.* Vtro modo interpreteris, non tanta apud me in tali quidem re unius libri auctoritas, ut immutatum velim *potuiſſe*. Inſigne eſt illud Iuliani l. 7. §. 3. de curat. furioſo, *eum quoque, qui ab altero ex curatoribus fundum furioſi legitime mercaretur, uſucapturum.*

Cap. 14. *Reprehenderit, & adverſos in hoſtem verterit*] Si toleraremus, tamen eſſet ſcribendum, *averſos*. id eſt, qui averſi ab hoſte erant & fugam quærebant. Sed ſcripti conſenſu eam vocem extorrem volunt, referuntque: *ut quoſdam conſul manu ipſe reprehenderit, verteritque in hoſtem.* Nec ſecus Andreanæ.

Cap. 17. *Decem millia Celtiberum mercede Turdetani conducunt*] Sic Sigonianus non optimus. Noſtri omnes cum veteribus editis: *mercede Turduli conducunt.* Et quum norit Sigonius, etiam ſic appellatum populum, quæ prurigo variatio-

riationem hanc Livii invidere? Varro lib. 2. de re ruſtica: *Non omnis apta natio ad pecuariam, quod neque Baſculus neque Turdulus idonei.* Plinius lib. 7. nat. hiſt. 15. *Triceni bini viris attribuuntur, excepta Turdulanorum gente.* Et infra noſter: *dum conſul exercituſque Turdulo bello eſt occupatus.* Iamque reſtituimus eidem lib. 28, 39. Ibidem: *Non noſtra magis quam veſtra refert, vos non rebellare, &c. Id ut ne fiat, uno modo arbitror caveri poſſe, ſi effectum erit, ne poſſitis rebellare.* Poſtremum verbum non Livii, ſed ex gloſſemate exiſtimo eſſe.

Cap. 19. *Quum incertum, bellum an pax cum Celtiberis eſſet*] Scripti: *Quum incerta bellum an pax cum Celtiberis eſſent.* Nollem mutatum. Lib. 33. *ſi tempore locoque ad certamen deſtinatis, præparatis animis, concurriſſent.* Lib. 36. *foſſa valloque circumdatis naves ſubductæ.* Quod ſequitur: *dein ſæpe munimenta eorum:* neque defectum eſt neque vitioſum, ut ſuſpicantur Glareanus & Sigonius. Ille ſuſpenſæ orationi aliquid deeſſe cenſet, hic corrigit: *perinde ſæpe.* Sed ſententia veteris lectionis eſt primum quidē ex hoſtico Romanos ſine metu & injuria cujuſquam pabulatos & frumentatos, deinde, quod majoris diſcriminis eſt, aucta ſecuritate etiam intra præſidia Celtiberum veniſſe. Hæc ellipſis τοῦ *primum* fraudi doctis viris fuit. Lib. 35. *Numidæ adequitare, dein refugere.* Seneca de tranquillitate animi cap. 12. *Inconſultus illis vanuſque curſus eſt: quales formicis per arbuſta repentibus, quæ in ſummum cacumen, deinde in imum inanes aguntur.*

Cap. 23. *Vltro adverſus tyrannum Nabin offerre auxilium*] Vox ultima ſapit gloſſema. Videtur enim ſcripſiſſe Livius: *imploratos auxilium adverſus Philippum tuliſſe; opem non rogatos ultro adver-*

adverſus tyrannum Nabin offerre: indignatuſque eſſet. Vox utraque accipienda quaſi bis poneretur. Paullo poſt Barber. Petav. Naud. *in Athenienſes, libertatis quondam duces & auctores, adſentationis propriæ gratia communem cauſſam prodentes, queſtus deinde.* Eoſdem inferius ſervare rectius puto: *Poſtremo, qui remanendi in Græcia retinendique exercitus Argos & Nabin cauſſam facerent, deportarent legiones iu Italiam. Ætolos polliceri, aut conditionibus.*

Cap. 24. *Ne iſtuc, inquit, Iupiter optimus maximus ſiverit*] Mss. *ſyria*. Legendum eſſe, *ſirit*, jam probavimus. Ibidem: *Moribus ritibuſque efferatioribus, quam ulli barbari, immo quam rapaciſſimæ belluæ, utuntur.* Et hoc Gelenii eſt, non pro cæteris meritis. Omnes ſcripti adfirmant veterum editionum lectionem: *Moribus ritibuſque efferatioribus, quam ulli barbari immanes belluæ vivunt.* Illud vehementius arbitratur eſſe. Vero, cavis & inanibus & impolitis auribus; at non doctis, & grandem orationem ex ſententiæ potius pondere quam ex tumore & ſono verborum æſtimantibus. Hic appellantur & dicuntur eſſe *belluæ*, quibuſcum illic modo comparantur: *vivere* autem *moribus* quanto eſt efficacius quam *uti?*

Cap. 26. *Quum cauſſa belli non alia eſſet, inde potiſſimum*] Barberin. Petav. Naud. conſenſu: *non alia inde eſſet dein potiſſimum.* Dein omnes cum Andreanis: *ordiendi belli*, quod mutavit Gelenius: unus, *ordinandi belli*. Scribe: *Omnium principum Græciæ, præter Ariſtænum, eadem ſententia erat, quum cauſſa belli non aliunde eſſet, inde potiſſimum ordiendi belli.* Neque offendat quemquam illa compoſitio: *principum ſententia ordiendi belli*: quia forte publici ſaporis

non.

noꝗ eſt. Nam ita Valerius Maximus lib. 4, 4. *ut mos eſt hominum parvula initia pertinaci ſtudio perſequendi.* Etiam Cicero in Piſonem: *Iamne vides, bellua, jamne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ?* Querela & hominum, qui conqueruntur, & frontis, de qua queruntur: ut ſententia & principium, qui cenſent, & belli ordiendi, quod cenſent. Philippica 12. *Naſidieno, cujus ego excubias & cuſtodias capitis mei cognovi in conſulatu meo.* Lib. 2. de nat. deorum: *Canum vero tam fida cuſtodia tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos.* Lib. 4. Tuſcul. quæſt. *Similiter definitur & mulierum odium, ut Hippolyti, &, ut Timonis, generis humani.* Sic & in Sextiana: *ſuperioris anni reipublicæ naufragium*, quod ſuperior annus reipublicæ attulit. Si ſatis hoc intellexiſſent viri docti, deeſſe ſibi cauſſam noſſent, cur mallent: *ſuperioris anni in republica naufragium.* Dies ſeu tempus ſecum vehit fortunam & publicam & privatam: unde inſcriptio: *Fortunæ hujus diei:* cui ædem vovit Q. Catulus belli Cimbrici magno die, laudante Cicerone lib. 2. de legibus. Naufragium autem ejus, qui facit, non minus quam incendium ſuum apud Salluſtium vocat Catilina, quo fortunæ ejus conflagrarunt. Lib. 10. famil. 3. *maxima orbitate reipublicæ talium virorum.* Cæſar lib. 1. de bello Gallico: *intelligere ſeſe, tametſi pro veteribus Helvetiorum injuriis populi Romani ab iis pœnas repetiſſet.* Sic integre membranaceus Andinus. Injuria & ejus qui facit & ejus qui patitur. A. Gellius lib. 9. cap. 12. Sunt ergo *Helvetiorum injuriæ populi Romani*, quibus Helvetii populum Romanum adfecerunt. Verbum autem, *repetiſſet*, intelligit nominativum, *Cæſar.* Quæ cum non ſubolerent & aliis librariis & editori-

toribus, ſcripſerunt edideruntque, *populus Romanus*. Sic apud eundem lib. 1. de bello civili: *potentium oſtentatio ſui, & omnium temporum injurias inimicorum.* Valerius Maximus lib. 7, 3. *Profeciſſet aliquid tanti beneficii inſidioſa adumbratio ejus.* Sic Mss. at Pighius τὸ *ejus* e vulgatis ſuſtulit.

Cap. 28. *Inde, quum audiſſet, aſcenſum difficilis & arcta via eſſe*] Scripti quidam, ut & Modii membranæ, *deſcenſum*. Perſpicue volunt: *quum audiſſet eſcenſum*. quod Cæſari ſuperius reddidimus. Lib. 35, 13. *Legati Romani Elaam venere: inde Pergamum (ibi regia Eumenis fuit) aſcenderunt*. Sic Gelenius: nam ad mediterranea aſcenditur, non deſcenditur, inquit. Recte quod ad ſenſum. Habuerunt autem Andreanæ atque Aldina cum pluribus ſcriptis: *deſcenderunt*. Lege igitur: *eſcenderunt*. In fine: *nullo jam hoſtium porta excedente*. Moguntinus Modii & Andreanæ, *portam excedente*. Cujuſmodi nonnulla olim adſeruimus noſtro. Seneca epiſtola 104. *Quæris ergo, quomodo mihi conſilium profectionis ceſſerit? Vt primum gravitatem urbis exceſſi, & illum odorem culinarum fumigantium.*

Cap. 29. *Miſerat nuntium ad legatum Romanum, traditurum ſe urbem*] Conſentiens ſcriptorum & editorum veterum lectio: *Dexagoridas miſerat nuntium ad legatum Romanum, traditurus urbem*. Quod ſpernere mihi nefas. Neque aliter lib. 37. *armatos duobus agminibus ad promontoria ducit, inde facile telis ancipitibus hoſtem ſubmoturus.* Lib. 27. *haud multum proceſſit, ubi prima lux tranſitum opportunum oſtendiſſet, tranſiturus*. Omnia enim ſic concepta ſunt, ut ſignificent miſiſſe, proceſſiſſe, duxiſſe, hac fini, ut traderet urbem, ut tranſiret, ut ho-

ſtem

ſtem ſubmoveret. Cornelius Nepos in vita Themiſtoclis: *Quare ſi ſuos legatos recipere vellent, quos Athenas miſerant, ſe remitterent; aliter illos nunquam in patriam recepturi.* Nam quod vulgo additur, *eſſent*, gloſſema eſt. Ibidem ſcribe: *tum vero deſperatio Gorgopam coëgit.* non *vera*.

Cap. 30. *Venit, nullis cum aliis mandatis*] Scripti omnes elidunt præpoſitionem.

Cap. 31. *Cæterum nomen tyranni & facta me premunt*] Abeſt ſcriptis pronomen, & intelligitur eleganter. Tacitus tertio annali de Silano: *non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod creberrime interrogabat.* Eſt autem *premi* verbum de reis frequenter uſitatum. Plinius lib. 2. epiſt. 11. *quem ut premebat atrocitas criminis, ita quaſi peractæ damnationis miſeratio tuebatur.* Lib. 5, 14. *Legati Vicentinorum non modo non preſſerunt eum, verum etiam ſublevaverunt.* Sine caſu autem utitur & Seneca epiſt. 95. *at quam celebres culinæ ſunt, quanta circa nepotum focos juventus premit?* Nempe ſe invicem. Epiſt. 104. *Indulgendum eſt enim honeſtis affectibus, & interdum etiam ſi premant cauſſæ, ſpiritus in honorem ſuorum vel cum tormento revocandus.* Statiuſque in Lacrimis Hetruſci: *vice cuncta reguntur, Alterniſque premunt.* Hoc eſt, potentiora & ſuperiora ſunt, incumbunt, urgent. Vt Varro: *Qui pote plus, urget.* Non mutandum igitur in Statio. Ibidem: *Quod ad multitudinem ſervis liberatis auctam & egentibus diviſum agrum attinet.* Recipimus ex Andreanis & Mss. *ſervis liberandis.* Quod perperam ſequiores mutarunt. Eſt enim dictum pro *ſervos liberando*: de quo jam non ſemel monitum. Lib. 36. *ipſe ſollicitabat civitatum animos mittendis legatis.* Et inferius: *Placatis diis nunc votis rite ſolvendis, nunc prodi-*

giis

giis expiandis. Propius finem: *Pluribus me ipſe egiſſe, quam pro patria ſermone brevitatis, fateor.* Notandum & hic Gelenii erratum, qui ſuſtulit veterem & veram lectionem: *Pluribus me peregiſſe.* Repoſcit hoc ipſe Livius auctoritate eorum, quæ habentur lib. 7. *ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem tranſibitis.* Lib. 22. *ſine ullius inſectatione eorum, brevi ſententiam peregiſſem.*

Cap. 32. *Nam quid minus conveniret, quam nos qui pro*] Scripta lectio: *quam eos, qui pro libertate Græciæ adverſus Philippum gereremus bellum, cum tyranno inſtituere amicitiam? & tyranno quam, qui unquam, ſæviſſimo & violentiſſimo in ſuos?* Probo utrumque. Dictum eſt, *eos qui gereremus*, ut lib. 32. *Achæi ſuſtinebimus.* Alterum intelligit caſum patrium, *omnium*, & ita explicandum eſt: *& tyranno quam ſæviſſimo & in ſuos violentiſſimo omnium, qui unquam fuerunt.* Vides in hac ſcita brevitate nihil eſſe abſurdi neque obſcuri niſi indoctis. Eſt ibidem mendoſa oratio: *Satis compertum habemus, duorum aut ſummum trium in ea re, non civitatis, culpam eſſe; tam hercle, quam in te tuoque præſidio arceſſendo* (ita Mss. *accipiendoque in arcem nihil ſit publico conſilio actum.* Si legas attente, apparet τὸ *ſit* Latinæ compoſitioni conveniens hic non eſſe. Aut in poſteriore membro, (quod eſt, *tam hercle quam,*) reſpectum haberi oportet ad proxima, *culpam eſſe;* & requiritur *eſt*, non *ſit:* aut ad remotiora, *ſatis compertum habemus*, & iterum exigitur *eſſe*, non *ſit*. Nam hæc Latina ſunt: *habeo compertum tam hoc eſſe, quam illud eſt:* &, *habeo compertum tam hoc eſſe, quam illud quoque eſſe*, ſcilicet compertum habeo. Sed & ex Andreanis Pariſienſem Savetierii

jam.

jam olim concepiſſe video: *nihil eſſe publico conſilio actum* : idque teneamus. Mox: *tamen quum cæteram liberaverimus Græciam.* Andreanæ: *liberavimus.* Scribe: *liberarimus.* Qualia plura Livio antiquiſſimus codex in bello Annibalico vindicavit. Inferius: *At enim ut jam ita ſint hæc, quid ad vos Romani?* Scripti conſenſu tollunt adverſativam, & ſolum exhibent: *Enim ut jam ita ſint hæc.* Quod quidem Livii eſſe, judico, ut quod uſquam maxime. Obſervarunt eruditi ex Plauto hanc particulam interdum à fronte orationis induere vim adverſativæ, & eadem vi poni, qua junctim alias, *at enim, ſed enim.* Caſina: *Repulit mihi manum, nec quietem dare ſibi ſuavium me ſinit. Etenim jam magis jam adpropero.* Epidico: *ni ergo matris filia eſt, In meum nummum, in tuum talentum, pignus da.* Pe. *Enim iſthæc captio eſt.* Perſa: *quid eo?* So. *quid id ad te attinet?* Pæ. *Enim non ibis nunc viciſſim, niſi ſcio.* Et ne contere, ſic ipſe noſter lib. 23, 45. *Romam vos expugnaturos, ſi quis duceret, fortes lingua jactabatis. Enim minor eſt res: hic experiri vim virtutemque volo.* Vt ibi ex optimis libris reſtituimus. In eadem Quinctii concione: *Quibus igitur rebus amicitia violatur? Nempe his maxime duabus, ſi ſocios meos pro hoſtibus habeas, ſi cum hoſtibus te conjungas. Vtrumque à te factum eſt.* Sic Gelenius, quum prius editi haberent: *utrum non à te factum eſt?* At ſcripti omnes: *utrumnam à te factum eſt.* Repone igitur ſenſu præcipiente, nec veſtigiis ſcripturæ veteris abjudicantibus: *Vtrumnam non à te factum eſt?* Eam particulam reſtituimus & Livio ex ſcriptis ac vetuſtis editionibus lib. 37, 17. *vocatoſque Rhodios quum percontatus eſſet, utrumnam Pataris univerſa claſſis in portu ſtare poſſet.* Vbi vulgo:

go : *eſſet* , *poſſetne Pataris* &c. *ſtare*. Denique ſub finem : *Proinde parceſis fidem ac jura ſocietatis jactare*. Barberinus : *par ceſis*. Verum eſt: *Proinde parceſis fidem ac jura ſocietatis jactare.* Quod integrum manſiſſe in Petaviano poſtea deprehendimus. Nota Plautum, quæ frequentabantur in colloquiis & ſermone vulgari, *abiſis, accipeſis, apageſis, caveſis*, & ſimilia. Quale reponendum etiam in Itiphallico carmine, ubi legitur: *Mantes hic licet, ut libenter ires. Nam quamvis videar ſatis paratus, Erucarum opus eſt decem maniplis.* Olim erat: *Manes hic licet*: illud ab Alciato eſſe, notat Scaliger, & ipſe mavult: *Mandes hic licet*. Illo ſenſu: ſi iſtis ſtatoribus & circitoribus, qui latus meum tuentur, ut fures arceant, mandare vis te libenter ituram, ſi illis conſtituere & condicere, per me quidem iis morigera ſis licet: nam mihi quidem non ſatis ſuppetit ad explendam libidinem tuam. Sed vir ſummus, qui objicit Alciato Latinitatem perverſam, vix hoc ab ipſo crimine eſt immunis. Nimium videre velim quantovis ingenio hominem qui lecta hac conceptione verborum animo concipere eam expoſitionem illorum poſſit, antequam apud interpretem legerit. Facilius tamen id Gallo foret reminiſcenti, quid illa lingua ſit *mander*, qua tamen ſignificatione eſſe penes Latinos *mandare*, non puto. *His*, accipit de ſtatoribus circitoribuſque horti, quia ſcilicet alibi auctores illi ſtatoris ac circitoris meminerunt, & ad, *ſtator hic libidinoſus*, ait eundem eſſe, quem alibi *circitorem* vocavit. At differunt omnino quum alibi tum maxime hic. nam *circitor* ſervus eſt hortulanus, *ſtator* autem ſubrectum ſignum Priapi. Neque vero convenit circitoribus condici de illo, cui male Helleſpontiacus componeretur. Scribe : *Maneſis,*

licet,

licet, ut libenter ires. Hoc eſt, quamquam fingis negotio te avocari, & libenter abituram, ni extemporalis ſim, ni te ſtatim expediam; tamen expecta & mihi præſtolare, ut prius erucarum manipulos decem abſumam, utque hac ſitarchia navigium Veneris inſtruam.

Cap. 40. *Nunc præliis laceſſendo, nunc operibus interſepiendo quædam.*] Barber. & Petav. *interſepiendoque quædam.* quod conſiderandum.

Cap. 44. *Pleminius in inferiorem carcerem demiſſus*] Salluſtius. Catil. *in eum locum poſtquam demiſſus Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere.* Barberin. & Petav. *ad inferiorem.*

Cap. 46. *Tertio ſubire ad vallum caſtraque ab omni*] Neſcio quis mutilaverit. fuerat enim jam in Andreanis & Aldina: *per biduum tamen nihil aliud quam ſteterunt parati ad pugnam, ſi qui contra egrederetur; tertio vi ſubiere ad vallum, caſtraque ab omni ſimul parte aggreſſi ſunt.* Non de nihilo eſt in vett. *ſi qui* non *ſi quis.* Sic apud Ciceronem pro Cæcina: *Si qui meam familiam de fundo dejecerit, ſi qui mihi præſto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, & me introire prohibuerit.* Neque illud alterum Livii non eſt. nam ſic lib. 3. de arce Tuſculana obſeſſa: *Vi nunquam eo ſubiri potuit: fames poſtremo inde detraxit hoſtem.* Lib. 35, 1. *In hoc diſcrimine ludos Iovi, ſi vi fudiſſet cecidiſſetque hoſtes, proprætor vovit.* Hæc vetus lectio, quam Sigonius delendo τὸ *vi* mutilavit; eadem fortuna, qua excluſit eam vocem lib. 7, 32. ubi vide. Mihi ea multum hic valet. Ibidem: *ſigna ademta ſigniferis in hoſtes injecerunt.* Refice cum ſcriptis: *in hoſtes jecerunt.* Sic lib. 3. *accepta ſigna ab ſigniferis ipſe inferre, quædam jacere etiam in confertos hoſtes cœpit.*

Cap.

Cap. 47. *Quum alius tumultus ab adverſa parte caſtrorum*] Mſs. & Andreanæ: *ex adverſa parte.* Scribe haud dubie: *ex averſa parte caſtrorum.* Illic enim porta quæſtoria. Lib. 10. *& ab tergo caſtrorum porta decumana impetus factus, itaque captum quæſtorium.* Lib. 31. *omnes repente relictis ſtationibus per averſam partem caſtrorum ad tumulum ad caſtra Athamanum perfugiunt.* Vellejus Paterculus lib. 2. de Antonio: *per averſa caſtrorum proruto vallo à militibus eſt receptus.* Eodem dicit *averſa caſtra* noſter lib. 22, 24. *ſimul & per averſa caſtra equitatus cum levi armatura emiſſus in frumentatores late cædem fugamque hoſtium palatorum fecit.* Vbi inepti homines immiſerant, *à caſtris Annibalis.* Averſam portam intelligit. Lib. 24. *Claudium Neronem cum robore equitum ſilentio noctis per averſam maxime ab hoſte portam emittit.* Lib. 26. *per averſam portam emiſſus, adſumto comite Epicyde, cum paucis ad mare pervenit.* Etiam Lipſium video dubitaſſe, principe loco *averſa* an *diverſa* mallet.

Cap. 48. *Cum collega Bojorum Ligurumque agros populatum iſſe*] Scripti: *cum collega per Bojorum Ligurum agros populantem iſſe.* Et hoc Livii fuiſſe judico. Lib. 2. *Sabini uſque ad portas urbis populantes inceſſere.* Lib. 3. *Conſul quum aliquoties per omnem hoſtium agrum populabundus iſſet.* Lib. 25. *& alia ingens præda fuit, quam Hanno populabundus paſſim quum iſſet, ex ſociorum populi Romani agris traxerat.*

Cap. 56. *Literæ M. Cincii (præfectus is Piſis erat) allatæ*] Libri veteres abolent pronomen, retento: *literæ M. Cincii (præfectus Piſis erat) allatæ.* Recte. Diximus in principio operæ hujus. Lib. 8, 3. *Itaque interregnum initum, duo interreges fuerunt M. Valerius & M. Fabius.*

crea-

creavit conſules T. Manlium Torquatum tertium, P. Decium Murem. Sic optimi codices, quod intellexit notavitque Gelenius, nemini auditus. Subaudit enim Livius: *creavit*, nempe nominatus proxime interrex poſterior. Mitius vitiati, vitiati tamen gloſſemate: *is creavit*, quod amplexatur, qualia ubique, Sigonius. Antea erat: *creavere conſules.* Lib. 27, 33. *Dictator Manlius magiſtrum equitum Cn. Servilium (tum ædilis curulis erat) dixit.* Sic noſtri meliores & Rhenani liber. Vulgo: *qui tum ædilis.* Lib. 31, 10. *L. Furius Purpureo tum provinciæ præerat, cætero ex ſenatuſconſulto exercitu dimiſſo, præter quinque millia ſocium ac Latini nominis, cum iis copiis in proxima regione provinciæ circa Ariminum ſubſtiterat.* Intelligitur relativum *hic* vel *is* ante τὸ *cætero*, ex more Livii. Quod cum non caperent, Andreanæ cum Aldina immiſerunt; *qui tum provinciæ:* nunc vulgo parva diſtinctione ſententiam diſcerpſerunt. Lib. 37, 17. *Erant Iaſſenſium exules cum Romanis: frequentes Rhodios orare inſtiterunt, ne urbem & vicinam ſibi & cognatam innoxiam periſſe liceret.* Sic omnes Mss. cum Andreanis. Aldina *ibi frequentes.* Poſteriores magis ſcilicet naſuti: *ii frequentes.* Eodem libro c. 40. *& totidem. Tralles & tria millia cetratorum (Piſidæ erant* & *Pamphylii & Lycii) tum Cyrtæorum* &c. Ita ſcribendum. Vulgo: *Piſidæ hi erant.* Sed libri veteres pronomen ignorant. Ibidem: *non placere, cauſſa militares cognoſcere, quo minus ad interdictum conveniretur.* Scripti & Andreanæ: *convenirent.* Cur ab his Aldina & ſequentes receſſerunt? Nempe τὸ *convenirent* intelligit milites ſcripti, & proximum illud, *cauſſa militares*, ita accipitur, quaſi *cauſſas militum* dictum eſſet. Recte etiam Sigonius principium hujus

jus periodi format, & tota ſic habet: *Ob eas res tumultum eſſe decrevit ſenatus: tribunos plebei non placere cauſſas militares cognoſcere, quo minus ad edictum convenirent.* Nam in Andreanis eſt *plebeii*, & infinitis hoc locis auctoribus libris vett. reſtituimus mentione in his notis non facta.

Cap. 54. *Concordiæ & libertati æque minuendæ eſſe*] Sigonius è vetere ſuo *libertatis*: id quod confirmant non noſtri modo ſcripti, ſed etiam Andreanæ Aldinaque editiones.

Cap. 58. *Per ſummum decus parta liquerit*] Quid opus fuit *liquerit* ſubdere pro *reliquerit*. Annon Maro: *cui pauca relicti Iugera ruris erant.* Annon Martialis: *Res non parta labore, ſed relicta.* Statim commodius Mss. *pari cum laude partim ab Thracibus poſſeſſa armis receperit Antiochus, partim deſerta, ſicut ipſam Lyſimachiam, & revocatis cultoribus frequentaverit.* Vulgo interpoſuerunt *eadem*, non animadvertentes ab τοῦ *quæ* hoc quoque membrum pendere: & tranſpoſuerunt particulam *partim*, turbata ſententia.

Cap. 62. *Principibus propter colloquia Ariſtonis*] Bene hic in parte Gelenius: partem ita melius conſtituere puto ſcriptos: *principes propter colloquia Ariſtonis ſenatui, ſenatum propter indicium ejuſdem Ariſtonis populo ſuſpectum.*

AD

LIB. XXXV.

CAP. 1. *Eo victorem opulentum præda exercitum*] Omnes ſcripti & veteres ante Aldinam: *opulentum prædæ exercitum*. Sic lib. 9, 36. *Cæſis fugatiſque iis late depopulato agro victor Romanus, opulentus rerum omnium, in caſtra rediit.* Vulgo: *opulentuſque rerum omnium copia.* Sed hanc poſtremam vocem exulem jubent eſſe duo meliores Palatini: copulativam de conjectura nos delemus. Iuſtinus lib. 2. caſtra Xerxis ait *referta regalis opulentiæ*. Lib. 7, 16. *Marcius exercitum in agrum Privernatem induxit, militemque præda implevit.* Pal. *prædam implevit.* Scribe: *militemque prædæ implevit.* Vt lib. 25. *ut brevi tempore totam Siciliam impleret nominis ſui.* Lib. 26. *& impleret homines certioris ſpei.* Reſtituimuſque idem alibi Livio. Ibidem: *cætera vendenda quæſtori data: quod inde effectum eſt, militi diviſum.* Sic Gelenius pro *revectum*, quod erat in Aldina & Pariſienſi Andreana. Naud. *repertum*. Sed verum eſt, quod habent Barberin. & Petav. cum Mediolanenſi cæteriſque Andreanis: *quod inde refectum eſt.* Hoc enim verbum idem eſt hac in re, quod redigere. Cicero in Paradoxis: *Igitur propoſito nunquam eris dives, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, ut eo tueri ſex legiones & magna equitum ac peditum auxilia poſſis.* Lib. 5. in Verrem: *primo dominus ignarus incommodi ſui gaudeat villicoque delectetur, quod tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit.* Varro lib. 1. de re ru-

ſtica

ſtica cap. 2. *Nemo enim ſanus debet velle impenſam ac ſumtum facere in culturam, ſi videt non poſſe refici: nec ſi poteſt reficere fructus, ſi videt eos fore ut peſtilentia diſpereant.* Celſus in l. 88. de V. S. *Tantum quiſque pecuniæ relinquit, quantum ex bonis ejus refici poteſt.*

Cap. 3. *Die, quem edixerat ad conveniendum militibus venit*] Non Modii ſolum Mss. ſed & potiores noſtrorum atque Andreanæ: *quem dixerat.* Quod quum firmaſſet ille loco Terentii: *hic nuptiis dictus eſt dies:* hoc tamen loco malle vulgatam adfirmat. Etſi frequens illud Livio notim, cauſſam haud video quare admittere alterum non potuerit: eoque omnino veteri lectioni calculum noſtrum apponimus. Cæſar lib. 1. de bello Gall. *qui ab eo poſtularent, ut aliquem locum medium utriuſque colloquio diceret.* Sic membranæ Andinæ: vulgo è gloſſemate: *deligeret.* Eodem libro: *dies colloquio dictus eſt ex eo die quintus.* Lib. 5. *omnibus hibernis Cæſaris oppugnandis hunc eſſe dictum diem.* Et ne putet magiſtratuum potius eſſe *edicere* quam *dicere*, quam ei contandi cauſſam fuiſſe ſuſpicor, eodem libro de Labieno legato Cæſaris pro jure imperii agenti, non ex pacto convento: *nuntios mittit ad finitimas civitates, equiteſque undique convocat: iis certum diem conveniendi dicit.*

Cap. 5. *Conſul obteſtabatur milites, ut paullulum adniterentur*] Hoc ab Aldina eſt, aut illa certe Germanica, quam Aldina ſequuta eſt, vellemque inſpicere mihi licuiſſe. Nam Mss. cum Andreanis: *Conſul orabat milites, ut paullum niterentur, victoriam in manibus eſſe, dum turbatos & trepidantes.* non etiam *perturbatos.* Lib. 3. *priuſquam hoſtis turbatos ordines reficeret.* Lib. 32. *nec ex longo ſpatio aut cedendum aut impetus*

faciendus erat; quæ res turbare ordines ſolet. Statim quoque ſcripti: *ſi reſtituti ordines fuiſſent.* non, *ſi reſtitui ordines ſiviſſent.*

Cap. 7. *Cujus coercendi quum ratio quæreretur, diem finiri placuit fœneralia*] Optime Sigonius, *cernendi*. Et ſic dudum ante illum Andreanæ. Prave codex Modii: *diem inire placuit.* Cicero 3. in Verrem: *exiguam diem præfiniri operi, quæ cæteros ab negotio excluderet.* Noſter lib. 31. *potuiſſe enim, ſi non cum prætoris, ſed conſulis exercitu rem geri voluerit, ita finire ſenatuſconſultum, ne per prætorem, ſed per conſulem gereretur.* Lib. 32. *colonoſque eo trecentos (is enim numerus ab ſenatu finitus erat) adſcripſerunt.* Lib. 40. *de pecunia finitur, ne major cauſſa ludorum conſumeretur, quam* &c. Lib. 42. *indicere prius quam gerere ſolitos bella, denuntiare etiam; interdum locum finire, in quo dimicaturi eſſent.* Sic reſtituendum apud Cæſarem ex laudatis illis membranis Andinis lib. 6. de bello Gallico: *Noſtri, ut ſuperioribus diebus ſuus cuique erat locus definitus, ad munitiones accedunt.* Vulgo ex interpretatione, *attributus.* Et gaudet ille quoque hoc uſu verbi. Lib. 7. de Gall. *occulte inter ſe conſtituunt: adeundi tempus definiunt.* lib. 1. de civili: *neque ante quem diem iturus ſit, definire,* Auctor de bello Hiſpanienſi: *Quod quum à Cæſare eſſet animadverſum, ne quid temere culpa ſua ſequius admitteretur, eum locum definire cœpit.* Illud quoque notabile apud Varronem 3. de re ruſt. 14. *Cochleæ aqua finiendæ, ne fugitivarius ſit parandus.* At vero de fœneralibus haudquaquam Sigonio adſentimur. Quæ enim bella iſta *fœneralia?* ita vocat diem, inquit, quo proxime de fœnore conſtingendo actum eſt. Primum ratio iſtius appellationis nulla eſt, neque unquam venire in mentem huj-

juſmodi titulo dies potuit antiquis. Niſi Fœnori & locus inter deos fuit ejuſque numinis dies feſtus Fœneralia. Deinde quæſtio ex eo die, quo ultimum de fœnore coercendo actum eſſet, fuiſſet infinita, neque explicari potuiſſet unquam. Omnes ſcripti: *diem finiri placuit feralia, quæ proxime fuiſſent*: ut etiam bene monuit Gelenius: iſque dies notus ex faſtis & Februarii menſis diebus feſtis. Cicero lib. 8. ad Atticum epiſt. 14. *eodem enim die video Cæſarem à Corfinio poſt meridiem profectum eſſe, (id eſt, feralibus) quo Canuſio mane Pompejum*, hoc eſt, ante diem octavum Kal. Martias, ut ipſe explicat prima libri ſequentis epiſtola. Perinde eſt igitur ac ſi dixiſſet Livius: *diem finiri placuit ante diem octavum Kal. Martias, qui proxime fuiſſet*. Vel, *ante diem undecimum Kal. Mart.* ut Ovidius aliique computant, de qua diverſitate Boſius. Statim Andreanæ: *jus creditori redderetur*.

Cap. 8. *Dum hæc in Hiſpania agerentur*] Recitat lectionem ſcriptarum membranarum Modius: *Quum hæc in Hiſpania gerebantur*: & *gerere* ſane obſervat huic loco magis convenire quam *agere*. Hoc quidem parum intereſt hic certe: at non parum, utram ex particulis præferas: nam ſive, *Quum hæc agerentur*, ſive *quum hæc gerebantur*, Latina ſunt; *dum hæc agerentur*, ſic poſitum & in ea vicinitate σολοικίζει. Petronius: *Dum hæc magno tempore Crotone aguntur.* Noſter lib. 22. *Dum conſul placandis Romæ diis trahendoque delectu dat operam.* Et paſſim. Mutavimus ergo particulam: & quamvis hoc vix adnotatione dignum poſſit cenſeri, tamen identidem obſervo complures hodie, etiam qui Latine admodum ſcribere videri volunt, turpi errore hæc non diſtinguere. Ibidem: *quum ipſi veniendum eſſet,*

duceret eum ſecum Romam. Scripti & editi veteres: *deduceret eum ſecum Romam.* Nempe è provincia. In quibus ſolent plerumque conjungi *decedere* & *deduci.* Alio reſpectu lib. 3. 47. *Virginius ſordidatus filiam ſecum obſoleta veſte, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione in forum deducit.* Vulgo: *filiam ſuam:* ſed illud eſt in antiquis, habetque illud, *deducere ſecum,* aliquid quod magis deceat patriam majeſtatem, quoque tollatur ambiguitas verbi, quum ſæpe ſit, *deducere*, nudum & ſolum, honorifici officii. Mox: *Nunc videri eſſe amotum de induſtria, nec ea, quæ ſcripſiſſet, præſens diceret aut argueret coram.* Scripti: *de induſtria, qui eque ſcripſiſſet diceret arguere coram.* Reſtitue, ut habent Andreanæ & Aldina: *Nunc videri eſſe amotum de induſtria, qui ea, quæ ſcripſiſſet, diceret argueretque coram.* Quod haud ſcio quis iverit mutatum. Eſt ubi eleganter relativum pro hac aut ſimili particula ponitur. Vt apud Senecam lib. 1. de benef. 2. 4. *Alius accepit faſtidioſe, tanquam qui dicat: non quidem mihi opus eſt: ſed quia tam valde vis, faciam tibi mei poteſtatem.* Non poteſt adduci Pincianus, ut credat eſſe Senecæ: *tanquam qui dicat.* Credidiſſet forſan, inquit Gruterus, ſi reformata ad iſtum vidiſſet habitum: *tanquam ſi dicat:* ſic enim commode mutari poſſe ſuſpicor: quamquam priori omnes ſuffragentur Mss. Ego vero non reformo, ſed ita intelligo, eoque nequaquam delenda cenſeo. Cicero lib. 1. de Officiis: *Etenim qui in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt.* Sic membranæ meæ: & vides cur haud dubie in aliis quoque lectum docti viri ſpreverint. Nam vulgo: *ſi in eos.* Tertullianus in apologetico: *In deos, in Cæſares*

ſates aliquid committo? cur non audior, qui habeo, quo purger? Gloſſemate pari depravatus Vaticanus codex: *ſi quid habeo.*

Cap. 10. *Is obtinuit, ut præferretur*] Andreanæ: *His obtinuit.* Melius: nam proxime præceſſerunt illa, quæ maxime ſuffragia hominum in Quintium inclinarint. Ita ergo intellige: *His* enarratis utriuſque meritis T. Quinctius *obtinuit, ut* frater ejus L. Quinctius *præferretur candidato, quem Africanus fraterque deducebat.*

Cap. 11. *Redire inſtitit conſul: & à tergo fauces*] Scribe: *qua quum exitus non pateret, converſo agmine redire inſtitit conſul: ſed à tergo fauces ſaltus occupatæ à parte hoſtium erant.* Peccatum in contrarium, ut hoc obiter addam, apud Ovidium in tertio de arte amandi: *Neve domi præſume dapes, & deſine citra, Quam cupis, &, paullo, quam potes, eſſe minus.* Sic ſcribendum. Eſt enim duplex præceptum ad eandem rem pertinens: nec venias ad cœnam ventre jam pleno, neque illic nimium celocem ſaburra: neque ante cœna, & deſine eſſe citra paullo minus, quam cupis & quam potes. Vulgo: *ſed deſine:* quum tamen in ſenſu nulla ſit oppoſitio. Propius finem: *poſtremo ſubditis calcaribus per medias ſtationes hoſtium erupere.* Probo, quod Modianus: *inter medias ſtationes.* Sic lib. 21. *cum aliquot navibus onuſtis in portum Tarentinum inter hoſtium cuſtodias pervenit.* Lib. 31. *tandem inter medias hoſtium ſtationes elapſi quidā trepidi, tumultum magis quam certum nuntium intulerunt caſtris.* Lib. 32. *qui Archidamo duce inter cuſtodias Macedonum mœnia ingreſſi, nec die nec nocte finem ullum erumpendi faciebant.* Lib. 44. *& eorum vicem, quas paucos inter media hoſtium præſidia præmiſerat.* Et ita ſcribendum lib. 24, 41. quamvis diſſimu-

lantibus ſcriptis: *Cn. Scipio ut ſociis præſidioque ferret opem, cum legione expedita profectus inter bina caſtra cum magna cade hoſtium eſt ingreſſus.* Vbi male *intra* legitur. Viciſſim lib. 25, 31. ſcribendum: *Syracuſanos qui per ſeditiones pulſi ab domo intra præſidia Romana fuerant.* non *inter.* Et lib. 38, 11. *qui tum hoſtes erant Romanis, quum intra præſidia Romana Ætoli eſſent.* Eodemque cap. 48. *ſed ſimul, ut opinor, cum his decreverant, juſſerantque, qui intra ejus præſidia fuiſſent.* Vtrobique vulgo: *inter.* Cujuſmodi & alia jam attigimus. Cæterum hinc differentia utriuſque, *inter præſidia*, &, *intra præſidia*, quam editores hactenus non deprehenderunt, colligi facile poteſt.

Cap. 12. *Tam inimici infeſtique erant Romanis*] Scripti omnes conſenſu: *tam inimice infeſti erant Romanis.* Literæ conſulum C. Fabricii Q. Æmilii ad Pyrrhum regem apud A. Gellium lib. 3, 8. *Nos pro tuis injuriis continuo animo ſtrenui commoti, inimiciter tecum bellare ſtudemus.* Etſi alterum Cicero 3. in Verrem: *quis hunc audet dicere aratoribus infeſtum aut inimicum fuiſſe?* Et noſter alibi: *inimicius infeſtiuſque.* Satis tamen placet ſcripta lectio. Ibidem in ſenſu verborum Democriti Ætoli ad Nabin Lacedæmonium: *Nullum exercitum Romanum in Græcia eſſe.* Barberin. & Petav. *Romanorum.* Inducor, ut in proximo membro τὸ *Romanos* ex gloſſemate adjectum ſcribendumque exiſtimem: *Nullum exercitum Romanorum in Græcia eſſe, nec propter Gyttheum aut maritimos alios Laconas dignam cauſſam exiſtimaturos, cur legiones in Græciam rurſum tranſmittant.* Profecto alterum ſordet. Sed & τὸ *propter* haud ineleganter exeſſet.

Cap. 14. *Quodque ultimas oras, quas viſere ſupra*

præ ſpem humanam eſſet, peragraſſet]. Sic & Aldina: ſatis commode: ſed ſcripti & Andreanæ: *quodque ultimas oras ſupra ſpem humanam peragraſſet*: cæteris reſectis. Ibidem ſcripti Andreanæque & Aldina: *& perplexum Punico aſtu reſponſum & improviſum adſentationis genus Scipionem moviſſe*. Vulgo deeſt *improviſum*, quod ignoro quæ manus infauſta deleverit.

Cap. 19. *Hoc duce, ſi tu ſpem meam deſtitueris,*] Poſſit alicui ποιητικώτερον videri: *duce ſacramento*. Non mutant tamen aut hæſitant nec ſcripti nec editi veteres. Qui ſi adſtipularentur, mallem: *hoc ducente*. Curtius lib. 4. *Ite, nuntiate regi veſtro, & quæ amiſit, & quæ adhuc habet, præmia eſſe belli. Hoc regente utriuſque terminos regni id quemque habiturum, quod proximæ lucis adſignatura fortuna eſt.* Vbi nonnulli ſcripti codices inepte: *Hoc regem eſſe, & utriuſque.*

Cap. 20. *Ex eodem exercitu pedites quindecim millia*] Scribe: *peditum*. nam id expoſcit Latini ſermonis ratio & mos Livii. Ibidem inſanum bene Gelenius: *Cn. Domitio extra Italiam, quo ſenatus cenſuiſſet, provincia evenit: L. Quintio Gallia & comitia habenda. Prætores deinde provincias ſortiti.* Male vulgo retinent: *& comitia prætorum habita.* Nam de conſularibus. In inſequentem annum ſenſit Livius, & reſpicit illo, quod ante dixerat: *Conſulibus ambobus Italia provincia decreta eſt: ita ut inter ſe compararent ſortirenturve, uter comitiis ejus anni præeſſet: ad utrum ea non pertineret cura, ut paratus eſſet, ſi quo eum extra Italiam opus eſſet ducere legiones.* Nunc igitur ſignificat hanc poſteriorem ſortem Cn. Domitio excidiſſe, priorem L. Quintio. Inferius: *Sed his duobus primum ſenatuſconſulto, deinde plebis etiam ſcito permutata provinciæ ſunt.*

Petavianus: *primum SC. deinde plebei jam permutatæ.* Scribe: *primum ſenatuſconſulto, ſcito deinde plebei etiam permutatæ provinciæ ſunt.* Denique mox: *Bæbio Tamphilo in Bruttios duæ legiones decretæ, quæ priore anno urbanæ fuiſſent: ut & ſociis eodem millia peditum quindecim imperarentur, & quingenti equites.* Lege: *urbanæ fuiſſent: & ut ſociis.*

Cap. 21. *Amiterni terra pluiſſe*] Barberin. Andreanæ & Aldina: *terram pluiſſe*, vel *pluviſſe*. Quod reſtituendum arbitror, etſi alibi ſæpe Livius, *lapidibus pluit*, & lib. 34. *terra pluit.* Sic etiam lib. 3, 10. *Inter alia prodigia & carnem pluiſſe.* Vti quidem Pall. omnes Campanique & Aldina editiones: quod perperam Andreas & Rhenanus mutarunt. Lib. 10. *nam & terram multifariam pluiſſe, & in exercitu Appii Claudii pleroſque fulminibus ictos nuntiatum eſt.* Lib. 37, 3. *Terram apud ſe pluiſſe Tuſculani nuntiabant.* Sic veteres Lib. 40. *In area Vulcani & Concordiæ ſanguinem pluit.* Ibidem lego: *Tiberis infeſtiore, quam prius, impetu illatus urbi, duo pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam evertit.* Non *priore*, & hoc quidem de conjectura mutavimus; ſed *duo* pro *duos* plane habet Barberinus. Vt & cap. ſequenti idem cum Petav. vetuſtiſque editionibus nonnullis: *proficiſci ambo in provinciam placuit.* Vbi perperam Sigonius: *ambos.* Obſervatum veteribus Grammaticis promiſcue ſic hunc caſum enuntiaſſe antiquos. Viri docti, qui in congerendis exemplis adeo fuerunt accurati, ut neſcire ſe audeant profiteri, an multo plura inveniantur, à nobis hæc addere poſſunt. Lib. 6. cap. ult. *factum ſenatuſconſultum, ut duoviros ædiles ex Patribus dictator populum rogaret.* Sic clare membranæ Thuanæ.

Lib.

Lib. 7, 40. *eodem tenore duo inſequentes conſulatus geſſi:* eædem cum duobus Pall. Lib. 8, 3. *Prætores tunc duo Latini habebant, L. Annium Setinum & L. Numitium Circejenſem, ambo ex coloniis Romanis:* iterum Pall. Lib. 25, 6. *Ambo mihi conſules & univerſum ſenatum intueri videor.* Ita optimus Put. & melior Petav. lib. 26, 7. *Capuam extemplo omiſſuros aut ambo imperatores Romanos.* Eodem cap. 13. *omiſſo ipſo Annibale ambo conſules & duo conſulares exercitus ad Capuam oppugnandam miſerunt.* Cap. 26. *& conſules bellicoſos ambo viros acreſque nimis & feroces creatos.* Lib. 27, 29. *poſtquam vulneratos ambo conſules, Marcellum etiam transfixum.* Lib. 28, 11. *Et Albæ duo ſoles viſos referebant.* Lib. 29, 21. *Pleminium & ad duo & triginta homines cum eo damnaverunt.* Eodem cap. 30. *ambo præoptantes exilio modicam domi fortunam ad ſeſe perduxit.* Lib. 30, 14. *quos quum pariter ambo & benigno vultu excepiſſet.* Eodem cap. 17. *& equos duo phaleratos, bina equeſtria arma cum loricis.* Sic omnibus his locis *ἀμύμων* ille Puteanæus: pleriſque etiam alii meliores. Lib. 38, 58. *ad extremum ambo pro populo Romano morte occubuiſſe.* Sic Barberin: & Petav. Cæſar lib. 5. de bello Gall. *interfectos eſſe legatos duo, magnamque partem exercitus interiiſſe.* Lib. 7. *quum leges duo ex una familia, vivo utroque, non ſolum magiſtratus creari vetarent, ſed etiam in ſenatu eſſe prohiberent.* Sic utrobique inſignes Andinæ membranæ. Fruſtra igitur in hoc apud Silium lib. 4. *Cryxus Picentem Laurumque, nec eminus ambo, Sed gladio Laurum*: fruſtra, inquam, quum alia molitur, tum *ambos* ſcribendum edicit Barthius 6. adverſ. 3.

Cap. 23. *Nam etſi per legatos identidem om-*

nia explorabantur, tamen rumores] In Aldina quoque hoc reperio, auctorem ignoro. Nam Barberin. Petav. Naud. Andreanæ: *nam & per legatos omnia expromebantur quod rumores.* Equidem certiſſimum habeo verbum injuſte Livio ereptum eſſe, quo & alias utitur. In promtu eſt lib. 27. extremo: *duos etiam ex iis ſolutos ire ad Annibalem, & expromere, quæ acta eſſent, juſſit.* Seneca: *Exprome propere, ſede qua genitus cluas.* Lucanus: *finemque expromere rerum Sollicitat ſuperos.* Nam illud vix mentione dignum, in aliqua editione, ab neſcio qua temeraria manu altero illo loco *exponere* factum: quum illud omnes habeant ſcripti editique cæteri. A. Gellius lib. 13, 15. *Quamobrem ſatis habui interim exemplum promere.* Sic duo codices ſcripti Petaviani: non *proponere*. At in particulis magnum facinus admiſſum ſuſpicor: nec ſcio an perſuadere poſſim, quod conjicio ſcripſiſſe auctorem: *nam qua per legatos identidem omnia expromebantur, qua rumores temere ſine ullis auctoribus orti multa vera falſis miſcebant.* Poſteriori loco corrupta particula eſt; priori ejuſdem interpretatio recepta. Reddidimus eandem formulam Cypriano lib. 3. Obſerv. 12. Iam reddemus & Valerio Maximo lib. 2, 1. *injiciam ſtilum qua noſtræ urbis qua cæterarum gentium priſcis ac memorabilibus inſtitutis.* Et lib. 4, 4. *harum rerum uberrimos fructus poſterior intuens ætas in excolendo jure amicitiæ qua libentius qua etiam religioſius erit operata.* Sic utroque loco membranæ S. Victoris, quum ſit vulgo: *tam quam.* Plinium addo, ut juvem, lib. 9. epiſt. 2. *Illi enim & copioſiſſimum ingenium, & ingenio qua varietas rerum qua magnitudo largiſſime ſuppetebat.* Ita membranæ Modii apud ipſum epiſt. 92. nam turpiſſime depravarant hunc locum.

locum. Sed male idem Modius inſerit vocem, *materiam :* qua etiam admiſſa Gruterus imprudens ait ſequi ſe codices à Modio verſatos. Fatetur enim ille ſcriptam lectionem elegantiſſimam eſſe, ſi vox una, quam ſupina quadam oſcitantia librarius omiſerit, inſeratur. Id quod ego veto, quum ſenſus ſit perfectiſſimus: ſuppetebat, hoc eſt, inerat, præſto & in promtu erat, illi ingenium copioſiſſimum: & rurſus ſuppetebant, paratæ erant, ingenio ejus tum variæ tum magnæ res. Plautus Amphit. *Lucrum ut perenne vobis ſemper ſuppetat.* Epidico: *Id modo videndum eſt, ut materies ſuppetat ſcutariis.* At illic, præterquam quod dubites, quam bene dictum ſit: *varietas ſuppetebat materiam :* prorſus indecore idem verbum ad membrum prius ſubauditur ſine caſu verbi activi poſitum, in poſteriore membro cum caſu ponitur. Sed & oſcitanter idem Modius Celſum & Paullum juriſconſultos, cum Antonio Auguſtino ad partes vocat: nihil enim illic quod ad hanc ſignificationem. Eodem capite: *ad eum exercitum, quem haberet, tumultuariorum militum ad duodecim millia pedites & quadringentos equites ſcribere eum.* Si toleres, omnino ſcribendum: *peditum.* Sed videtur *τὸ pedites* glosſema eſſe inlatum ab iis, qui neſciebant per vocem *militum* hos intelligi. De quo jam pluries & pluſculis monitum. Malim ergo: *tumultuariorum militum ad duodecim millia & quadringentos equites ſcribere eum.*

Cap. 26. *Ad prohibenda, ſi qua obſeſſis mari ſubmitterentur, præſidia*] Membranæ Barbarinæ & Petav. *ad prohibendum, ſi qua obſeſſis mari ſubmitterentur præſidia.* Ita ſi diſtinguas, habet quod ei lenocinetur. Statim: *Harum nova-*

rum

rum navium agilitatem ut experiretur. Sic etiam Aldina. Sed ſcripti & Andreanæ jubent legi: *Harum ut novarum tum navium agilitatem experiretur, ſimul omnia ſatis apta ad certamen eſſent, provectos in altum quotidie remigem militemque ſimulacris navalis pugnæ exercebat.* Aldina quoque *provectos*, non *profectos*, ut vulgo male. Lib. 26. *Remigium claſſicique milites tranquillo in altum evecti, agilitatem navium ſimulacris navalis pugnæ experiebantur.* Virgilius 3. Æneid. *Provehimur portu.* Sic fuerat lib. 22, 20. *Itaque ad Honuſcam claſſe profecti:* quum in Mss. eſſet, *provecti.* Nam & apud divinum Poëtam: *Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta.* Solœcum eſt ibidem: *nec ante fugæ finem, quam Patras ventum ſit, fecit.* Aut delendum τὸ *ſit*, aut ei ſubſtituendum, ſive *eſt*, ſive *eſſet*, ſive *fuit*.

Cap. 27. *Qui proximus finem Megalopolitarum eſt*] Sic lib. 28. *Lacedæmonius tyrannus haud procul Argivorum fine poſitis caſtris terrebat.* Sed ex frequentiore uſu Livii foret: *proximus finem Megalopolitanum.* Ut lib. 4. *Valerium conſulem Volſcis oppoſitum caſtraque ad finem Tuſculanum habentem.* Lib. 9. *ut proficiſcentes ad finem Campanum proſequerentur.* Lib. 10. *ad finem Lucerinum ei hoſtis obvius fuit.* Sic. lib. 34. *finem Piſanum.* Neque forſan inepte dubites, an & lib. 28. *Argivo fine* ſcripſerit Livius.

Cap. 28. *Eo impedimenta omnia & calonum turbam collectam*] Rectius elegantiuſque ſcripti cum Andreanis: *& calonum turbam conjectam.* Cicero 5. Philipp. *totum denique comiſſationis Antonianæ chorum in tertiam decuriam judicum ſcitote eſſe conjectum.* Cæſar lib. 3. de bello Gall. *prima luce productis omnibus copiis, duplici acie inſtituta, auxiliis in mediam aciem conjectis.* Noſter paul-

paullo ante : *quo impedimenta, quo ſarcinas, quo turbam inermem calonum rejiceret.* Lib. 36. *In eam legationem Mneſilochus, & qui ejus factionis erant, de induſtria conjecti.* Hic locus uterque ante Gelenium & Sigonium vitiati erant ob ejuſdem phraſeos ignorationem.

Cap. 31. *Demetriadem iter flexere*] Scripti & Andreanæ conſenſu: *Demetriadem iter direxere.* Haud ſcio an peritiores viæ illius fuerint, qui fabricavere nobis vulgatum. Cæſar lib. 2. de bello civ. *abeſt directo itinere paullo amplius paſſuum mille.* Lib. 3. *ipſi iter ſecundum eas terras direxerant.* Ibidem: *& novus & incognitus pro vetere & experto habendus rex eſſet.* Parum intereſt, ſed ſcripti: *pro noto & experto.* Inferius: *Sub hanc vocem fremitus variãtis multitudinis fuit, partim aſſentientium partim indignantium dicere id auſum eum.* Barberin. & Petav. *adſenſum*, &, *indignationem.* Quod omnino genuinum eſt. Pendent ea duo vocabula à verbo *variantis* active, non οὐδετέρως poſito, & ita explicandum: *Sub hanc vocem fremitus fuit multitudinis, variantis*, hoc eſt, alternantis, miſcentis, inter ſe confundentis, *partim adſenſum, partim indignationem*, quod id dicere eſſet auſus. Noli dubitare, quin ſic ab Livio fuerit.

Cap. 32. *Ex India elephantos accitos: ante omnia*] Vereor ne & hic verſata ſit mala manus, & potior debeat haberi lectio vetus Andreanarum: *ingentem vim peditum equitumq; venire, ex India elephantos; ad omnia (quo maxime moveri credebant multitudinis animos) tantum advehi auri.* Ego hanc meliorem judico: nam τὸ *accitos* adſciverunt, qui non intelligebant locutionem, *ex India elephantos*, pro Indis, ut Naſoni *Pſittacus ab Indis.* Complet ſententiam verbum *venire ex*

præ-

præcedenti membro intellectum. Neque vero τὸ *ad omnia* decuit *ante omnia* ſupponi. Nam particula *ad* Livio ſæpe idem eſt quod alibi *præter* vel *ſuper*. Vt lib. 23. *ad naves viginti quinque, quibus P. Valerius Flaccus præfectus præerat, viginti paratas alias decernunt.* Lib. 26, 5. *ſed ad alium virorum, equorum armorumque ſonum, diſpoſita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ ſilenti noctu fieri ſolet, edidit clamorem.* Vbi eandem præpoſitionem vulgo omiſerant. Eſt igitur *ad omnia* idem quod ſuper omnia. Neque vero illud mutari debuit ibidem: *Athenienſes maxime in eam rem idonei viſi ſunt, propter & civitatis dignitatem & amicitiam cum Ætolis.* Sic enim ſcripti & Andreanæ. Vulgo tranſpoſuerunt particulas, *&* *propter*, & ἀντὶ τοῦ *amicitiam* neſcio unde ſuppoſuerunt, *vetuſtam ſocietatem*. Denique: *conſilia callida & audacia prima ſpecie læta, tractatu dura, eventu triſtia eſſe.* Scribo: *calida & audacia.* Vt lib. 22. *agitabanturque pro ingenio ducis conſilia calidiora.*

Cap. 33. *Quam populum Romanum cum Antiocho, laniſtis Ætolis*] Hæc aurea reſtitutio Sigiſmundi Gelenii eſt, & quidem è ſcriptis codicibus, ut ipſe profitetur. Legebatur: *admiſtis Ætolis*. Quo frigidius nihil poteſt excogitari, præſertim in comparatione alterius delicatiſſimæ lectionis. Tamen Sigonio perplacet, & non video, inquit, cur diſplicuerit hæc lectio Gelenio, & cur hoc loco metaphoram à gladiatoribus & laniſtis ductam tantopere adamarit. Quid cenſes, cordate lector? Niſi Sigonius eſſet, haud impune ferret profecto. Antonius in epiſtola ad Hirtium & Octavianum Cæſarem recitata Ciceroni Philippica 13. *Quod ſpe-*

ſtaculum adhuc fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, laniſta Cicerone, dimicantes. Subjicit ipſe Cicero: *Ego laniſta? & quidem non inſipiens: deteriores enim jugulari cupio, meliores vincere.* Abſtineant ſua, *equidem*, vel, *id quidem.* Niſi & vexare velint Philippica ſequente: *Tu igitur ipſe de te, dixerit quiſpiam. Et quidem invitus.* Aut lib. 1. de natura deorum: *Beatos eſſe deos ſumſiſti: concedimus. Beatum autem ſine virtute neminem eſſe poſſe, id quoque damus, & libenter quidem.* Ibidem: *decretum fieret, quo arceſſeretur Antiochus ad liberandam Græciam diſceptandumque inter Ætolos & Romanos.* Scripti: *diſceptatumque.* Quod perperam mutatum exiſtimo: neque mihi novitas eſt in eodem membro dici Antiochum arceſſi ad Græciam liberandam, & arceſſi diſceptatum, ſed inſtar deliciarum Livianarũ. ſic lib. 5. *Igitur fatalis dux ad excidium illius urbis ſervandæque patriæ M. Furius Camillus dictator dictus.* Potuiſſet æque magis uniformi genere: *ſervandamque patriam:* ſed variare maluit.

Cap. 34. *In civitatibus principes & optimum quemque*] Scripti & Andreanæ extrita copulativa: *principes, optimum quemque, Romanæ ſocietatis eſſe.* Et verius eſt. Vti lib. 1. *averſos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in ſpeluncam traxit.* Lib. 21. *ipſe cum expeditis, acerrimo quoque, raptim anguſtias evadit.*

Cap. 35. *Quicquid Alexamenum res moviſſet ſubiti conſilii capere*] Repone cum Andreanis: *res monuiſſet.* Vt alibi: *ſi exire res cogeret, quo res vocaſſet, ut res poſcebat.* Tacitus 3. annal. *Ea res admonet, ut de principiis juris &c. altius diſſeram.*

Cap. 36. *Si extemplo poſitis armis vocata in concionem*] Hæc, *poſitis armis*, & deinde, *retenti in armis Ætoli*, pugnare ſunt inter ſe viſa

Gla-

Glareano. Sed conciliat Sigonius, mentem auctoris eſſe: nec moviſſet ſe quiſquam Lacedæmoniorum, ſi Alexamenus interfecto eorum tyranno arma poſuiſſet, ac vocata ad concionem multitudine orationem habuiſſet tempori convenientem. Retinuit ergo Ætolos in armis, ſed tamen ſine injuria cujuſquam. Itaque omnia in maturandam perniciem Alexameni & ſociorum ſunt acta. Qua tamen interpretatione longe gravior ἀντιλογία in verbis Livii ſubnaſcitur. Quomodo enim retinuit in armis ſine cujuſquam injuria Ætolos, qui ſtatim dicuntur velut capta urbe, quam liberaſſe videri volebant, in direptionem & prædam verſi? Neque tertiam hic periodum, quam Sigonius incipit: *Itaque omnia:* eadem aut ſimili particula Livius, verum ab adverſativa orditur: *ſed, ut oportuit in conſilio fraude cœpto, omnia in maturandam perniciem eorum qui fecerant, ſunt acta.* Quæ declarationem illam nequaquam admittit. Si vulgatā ſervare velimus, ab diſtinctione laborat locus: *ſi extemplo poſitis armis vocata in concionem multitudo fuiſſet, & oratio habita tempori conveniens, frequētes inde retenti* (ſi fuiſſent, hoc ſubaudiendum ex præcedentibus) *in armis Ætoli; ſine injuria cujuſquam.* Sed ut oportuit in conſilio. Barberinus & Petavianus: *frequentis inde retentis in armis Ætolis.* Egimus latius hoc de loco per occaſionem in libris obſervationum. Significat illa vetus ſcriptura: *& oratio habita tempori conveniens, frequentibus inde retentis in armis Ætolis, ſine injuria cujuſquā.* Eodem ſenſu, quem jam non nimis hebeti ex dictis colligere facile eſt. Neque iſtum morem loquendi Livio inſolentem eſſe pluſculis ibidem monſtravimus. Quæ deſcribere non vacat. Ibidem: *animos Lacedæmoniis ad coeundum fecit.* Barberin. & Pet. *ad concurrendum.* Cap.

Cap. 39. *Villius quinqueremi nave oſtium portus eſt invectus*] Non ſane invectus eſt, quippe à Magnetarcha juſſus abſtinere portu. Male igitur deleverunt præpoſitionem, quam habent ſcripti cum Andreanis & Aldina: *ad oſtium portus.* quod ſcilicet non intravit. Sic lib. 37. *placuit tamen Regillum tota claſſe evehi ad portum Epheſi, ad inferendum hoſtibus terrorem.* Eodemque: *pars in ſalo ad oſtium portus in anchoris ſtetit.*

Cap. 40. *Colonia deducta eſt ſenatuſconſulto plebiſque ſcito*] Barber. *plebique ſcito.* Hoc eſt, *plebeique ſcito.* Quod perſæpe ex melioribus libris Livio reddidimus. Mox ibidem: *quina dena jugera agri data in ſingulos pedites ſunt; duplex equitibus.* Scripti & Andreanæ multant ultimam vocem ſyllaba: *duplex equiti.* Cur ferri queat minus quam lib. 33. *in pedites ſingulos dati octingenti æris; triplex equiti centurionique.* Lib. 34. *Hi duceni quinquageni æris in pedites diviſi, duplex centurioni, triplex equiti.* Lib. 36. *militibus, qui currum ſecuti ſunt, trecenos vicenos quinos aſſes diviſit, duplex centurioni, triplex equiti.* Eodem cap. *Romæ per idem tempus duo maximi fuerunt terrores, diutinus alter, ſed ſegnior: terra dies duodequadraginta movit* &c. *Alter non pavor vanus, ſed vera multorum clades fuit.* Vetus lectio in Andreanis quoque: *Ille non pavor vanus.* Quam non modo genuinam exiſtimo, ſed in ea raram intelligo Latiarem elegantiam: ut mentione facta duum enarrandorum, & explicito uno per ſolitum, *alter*, interjectis nonnullis poſterius dicendum per pronomen relativum exponatur, & *ille* ſit idem quod *alter*: nam & pro *alter* priore loco poni potuit, *hic*. Alibi exempla dabimus. Et ratio manifeſta eſt: quia, ut dixi, *alter* habet iſtic eandem ſignificationem, quam pronomen *hic*, ſi libuiſ-

libuiſſet adhibere hæc duo, *hic*, *ille*; & alioqui ſæpe *ille* ſignificat alium, quam de quo narratio proxime præceſſit. Vt apud Cæſarem lib. 1. de bello civili: *quod ſub ipſis radicibus montis noſtri conſtiterant, ut nullum fruſtra telum in eos mitteretur: tamen virtute & patientia nitebantur, atque omnia vulnera ſuſtinebant. Augebantur illis copiæ, atque ex caſtris cohortes per oppidum crebro ſubmittebantur.* Vbi *illi* ſunt hoſtes, quum proxime de ſuis locutus fuiſſet.

Cap. 45. *Multa homines, ne bellare neceſſe ſit, remittere*] Scripti cum Andreanis: *ne bellarent.* Idque probabimus inferius lib. 37. Ibidem malim: *Nihil enim æqui ab Romanis impetrari poſſe, toties legationibus miſſis Romam, toties cum ipſo Quinctio diſceptando expertos eſſe.* etſi ſciam *expertum* etiam παθητικῶς dici.

Cap. 46. *Sed liberandæ Græciæ cauſſa in Europam trajeciſſe, & re liberandæ*] Scripti: *trajeciſſe, liberandæ re non verbis.* Andreanæ: *trajeciſſe; liberandæ vero re, non verbis & ſimulatione, quod feciſſent Romani.*

Cap. 49. *Ex legatorum ſermone potuiſſet apparere*] Haud dubie ſcripſit Livius: *ex legatorum ſermone potuiſſe apparere.* Quod genus orationis jam toties corruptum in vulgatis libris monuimus. Propius finem: *Nam quod optimum eſſe dicunt, non interponi vos bello.* Sic etiam Aldina: ſed ſcripti cum Andreanis omnes: *non interponendi vos bello.* Quod non belle mutatum exiſtimo. Intelligitur *conſilium* aut quid tale. Lib. 37, 16. *Inde in Thelmeſſicum profecti ſinum, qui latere uno Cariam, altero Lyciam contingit, omiſſo Patara amplius tentandi, Rhodii domum dimiſſi ſunt.* Sic omnes Mſs. ſic omnes Andreanæ editæ. Aldinæ curatores fecerunt: *emiſſo conatu*

Patara amplius tentandi. Recentiores: *omiſſa Patara amplius tentandi ſpe*. Male, male: nos veterem tenemus. Perinde eſt apud Tacitum lib. 15. annal. *Vologeſi vetus & penitus infixum erat arma Romana vitandi*. Eodemque libro: *Et maneat provincialibus potentiam ſuam tali modo oſtẽtandi*. Vbi ſubaudies *facultas* vel *poteſtas*. Statim: *nihil tam vanum, immo tam alienum rebus veſtris eſt*. Sigonii hæc prava ex pravo codice lectio eſt. Scripti & veteres editi: *Nam quod optimum eſſe dicunt, non interponendi vos bello, nihil immo tam alienum rebus veſtris eſt*. Illius auctores ignari fuerunt uſus ſecretioris particulæ *immo*. De qua vide ad lib. 38.

Cap. 51. *Quo ſunt templa, quæ aſyla Græci appellant*] Scripti & Andreanæ non habent τὸ *quæ*. Scribe ergo: *Vbi in fano lucoque ea religione & eo jure ſancto, quo ſunt templa (aſyla Græci appellant) & nondum aut indicto bello*. Vt lib. 32. *ad occupandas, quæ ad Antigoniam fauces ſunt (Sthena vocant Græci) miſit* lib. 37. *prælongarum haſtarum (ſariſſas Macedones vocant) intulere ſigna*.

AD
LIB. XXXVI.

CAP. 1. *Cum exercitum acciperet, quem*] Scripti & Andreana: *ut eum exercitum acciperet*. Quia jam ante comparet eadem particula, ſuperfluam hic putavere: *ut præter eum numerum militum, quem L. Quintius, in eam provinciam ex auctoritate ſenatus ſcripſiſſet impe-*

raſſetve, ut eum exercitum acciperet. At ſolet ita noſter. Sic infra cap. 3. *ut quos L. Quintius milites conſcripſiſſet, & quos ſociis nominique Latino imperaſſet,* &c. *ut hi omnes Brunduſiũ Idibus Majis convenirent.* Ita enim ſcribendum; non, *uti omnes.* Sic & lib. 22, 11. *ut quibus oppida caſtellaque immunita eſſent, ut hi commigrarent in loca tuta.* Lib. 37. *ut milites, quos ipſe in ſupplementum ſcripſiſſet, quique in Bruttiis cum A. Cornelio proprætore eſſent, ut hi omnes Idibus Quintilibus Brunduſium convenirent.* Lib. 42. cap. 21. *Sanciebatur, ut qui ex caſtellis deditis in libertatem reſtitutus ante Kal. Sextiles primas non eſſet, cujus dolo malo is in ſervitutem veniſſet, ut juratus ſenatus decerneret.* Vbi vir doctus: Ego haud video, quorſum iteratio particulæ *ut* in iiſdem verbis. Atqui ſequenti capite: *Senatusconſultum factum eſt, ut qui Ligurum poſt Q. Fulvium L. Manlium conſules hoſtes non fuiſſent, ut eos C. Licinius C. Sicinius prætores in libertatem reſtituendos curarent.* Eodemque libro: *ut quod bellum populus Romanus in animo haberet gerere, ut id proſperum eveniret.* Et rurſus: *ut quod Perſeus Philippi filius Macedonum rex adverſus fœdus cum patre Philippo ictum* &c. *ut niſi de iis rebus ſatisfeciſſet, bellum cum eo iniretur.*

Cap. 3. *In comparanda impigre claſſe C. Livium*] Scripti conſenſu: *In comparando impigre claſſem.* Parum intereſt, dices. Certe parum, ut videtur: cur ergo veterem lectionem non teneamus? Auctor de bello Africano: *Itaque in circumeundo exercitum animadvertit hoſtes circa vallum trepidare.* Sed mihi aliud ſubolet, & propemodum perſuaſum eſt, *τὸ claſſem* eſſe gloſſema ejus, qui aut veterem lectionem interpretabatur aut ſine illo appoſito non capiebat. Etenim ab

Livio

Livio fuit: *In comparando impigre C. Livium prætorem cõtentio orta cum colonis maritimis paulliſper tenuit. nam quum cogerentur in claſſem, tribunos plebis appellarunt.* Porro verbo *comparare* ita abſolute, intellecto ex proximis quid comparetur, amare uti Livium monſtrabimus exemplis ad lib. 38, 12. ubi ſimile gloſſema contra Mss. inoyelit. Alioqui *comparare claſſem* uſitatiſſimum eſt, & niſi eſſet, non poſſet hic poſterior vox intelligi. Lib. 42. *arma, milites, claſſem ejus rei cauſſa comparaſſet.* Ibidem legendum ex Andreanis: *Iam ante ſeſe, quum de Philippo conſulerentur, decreſſe,* non *decreviſſe.*

Cap. 4. *At duobus regibus Philippo & Ptolomæo Ægypti rege*] Quis non videat illa, *Ægypti rege*, adſuta eſſe? Purga igitur: *Sub idem tempus legati ab duobus regibus Philippo & Ptolomæo Romam venerunt.*

Cap. 5. *Chalcide Antiochus ne ceſſaret per hibernorum tempus*] Barberinæ membranæ abjudicant Livio τὸ *per.* Et pœne ſubſcribo. Vtrovis modo intelligas licet: *ne ceſſaret hibernorum tempus:* ne otioſum tranſmitteretur aut ceſſatum duceretur: & intellecto τοῦ *per*, ne ipſe Antiochus hiemem ceſſaret. Nam non inſolens eſſe ſic loqui noſtro monitum ad lib. 28.

Cap. 6. *Labante egregia quondam diſciplina gentis, & multorum eo ſtatu*] Glareanus: Illud, *multorum eo ſtatu*, obſcure eſt dictum, nec ſatis explicatur, ſi dixerimus, *labente diſciplina multorum*, quid enim ſibi vult, *eo ſtatu*. Ego locum corruptum ſuſpicor. At Sigonius hunc elicit ſenſum: Bœotiam cauſſas in ſpeciem iræ adverſus Romanos habuiſſe Brachyllæ necem, & illatum Coroneæ à Quintio bellum: revera autem, quod per multa jam ſecula publice privatimque egregia quon-

quondam diſciplina gentis laberetur : atque is reipublicæ ſtatus, qui in poteſtate multorum eſt, diu conſervari non poteſt, niſi novarum ſæpe rerum mutationes exiſtant. Accepit ergo *multorum ſtatum* pro libertate ſeu democratia, quod an Latinum ſit, ipſe viderit. Ego autem eo ſtabiliorem confirmatioremque ſtatum civitatis putem, quo minus mutationibus & rebus novis eſt obnoxia. Quid clarius potuit dixiſſe Livius: *multorum eo ſtatu* exiſtente ſcilicet, *qui diuturnus eſſe ſine mutatione rerum non poſſet*. hoc eſt, multis ita ævum agentibus, eumque privatarum rerum ſtatum obtinentibus, ut, quod ait Salluſtius, perdita republica illis opus eſſet; ut niſi rempublicam turbarent & moverent, itaque judicia & legum minas effugerent, ſuum ſtatum propediem motum & everſum viderent. Quales deſcribit, inprimis idem auctor Catilinæ ſocios, urbis Romanæ ſentinam; quales eoſdem Cicero in ſecunda Catilinaria: quales pingunt inſtigatores faceſque civilis inter Cæſarem & Pompejum belli ipſe Cæſar, Salluſtius, Lucanus, Petronius. Noſter lib. 35. *Inter omnes conſtabat, in civitatibus principes optimum quemque, Romanæ ſocietatis eſſe, & præſenti ſtatu gaudere; multitudinem & quorum res non ex ſententia ipſorum eſſent, omnia novari velle.* Lib. 42. *pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & deſperatio rerum ſuarum eodem manente ſtatu præcipites ad novanda omnia agebat.* Suetonius in Cæſare: *Tum reorum aut obæratorum aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum ac promtiſſimum erat, niſi quos gravior criminum vel inopiæ luxuriæve vis urgeret, quam ut ſubveniri poſſet à ſe: his plane palam bello civili opus eſſe dicebat.* Sed inprimis illuſtrat hunc locus egregius Polybii in excerptis lib.

lib. 20. qui quia longior eſt, quam hic apponi ut poſſit, ad ipſum auctorem nobis lector remittendus.

Cap. 7. *Vt erumpere diu coercita ira in hoſtes communes poſſit*] Scribe cum Barberin. & Petav. membranis: *coercitam iram.* Cicero lib. 16. ad Atticum epiſt. 3. *ne in me ſtomachum erumpant, quum ſint tibi irati.* Cæſar lib. 2. de bello civili: *portis ſe foras erumpunt, ſecundo magnoque vento ignem operibus inferunt.* Varro Marciport: *ventique frigido ſe ab axe eruperant.* Inferius malo cum Andreanis: *Nunc quoque arceſſas cenſeo omnes navales terreſtreſque copias.* non *accerſendas.* Et alludit eodem Aldina, in qua fecerant *accerſas.* Semel dixerim, ubicumque id verbum occurrit, ibi ſcriptis in antiquioribus fere ſemper *arceſſere*, non *accerſere*, ſcribi. Itaque facile accedo doctis viris, qui illo modo, non hoc, pronuntiaſſe & ſcripſiſſe veteres cenſent, & me auctore faciet, qui cum apud Livium, tum apud alios bonos auctores ita reformabit.

Cap. 9. *Futuram rex ad conciliandos*] Non Bruto eſt opus: levior manus poteſt exigere poſſeſſione loci hujus regem. Satis eſt proxima tenere. Plena & ſana oratio eſt: *Dimiſſi ab rege inviolati omnes, quod eam rem magni momenti futuram ad conciliandos Lariſſæorum animos crederet.* Non verba ornat, non ſententiam inſtruit repetita vox. Fortaſſis & legendum: *magno momento.*

Cap. 12. *Antiochus in finibus & mox ad portas erat*] Cum Andreanis & Aldina potius dele copulativam: *Antiochus in finibus, mox ad portas erat.*

Cap. 14. *Cum decem millibus peditum, duobus millibus equitum, quindecim elephantis*] Et hic

hic inducas cenſeo gloſſema ſcribaſque : *cum decem millibus peditum, duobus equitum, quindecim elephantis.* Perſuadebant , credo , quæ ſuperius ad lib. 31 , 34. notavimus. Amat & Cornelius Nepos, Miltiade : *hiſque ducenta peditum decem millia equitum dedit.* Sic erat in membranaceo Veneto. Eodem : *Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit.* Dione: *munitum quingentis longis navibus , decem equitum centumque peditum millibus.* Datame: *Habebat barbarorum equitum viginti, peditum centum millia.* Vegetius lib. 1. de re militari c. 9. *Militari ergo gradu viginti millia paſſuum horis quinque duntaxat æſtivis conficienda ſunt : pleno autem gradu qui citatior eſt , totidem horis viginti quatuor peragenda ſunt.* Ita enim veteres libri. Ibidem poſt aliqua : *Conſul primo mittere, qui ex propinquo colloquentes.* Scripti omnes una cum Andreanis vocem *conſul* amandant, & tantum: *Primo miſſi.* Quod quum male cohærere putarent, vides quid ſibi licentiæ ſumſerint. Scribe autem : *Primo miſſis, qui ex propinquo colloquentes deterrerent eos , à tali furore : poſteaquam perſeverare in incepto vidit , tribuno* &c. Plura autem verba aliquot ibi periodorum vocem *conſul* intelligunt , quam fruſtra hic præpoſuerant.

Cap. 15. *Ante ſaltum Thermopylarum ſeptentrionem verſus Epirus*] Scripti : *ante ſaltum Thermopylarum in ſeptentrionem verſa Epirus.* Nec Andreana ſecus aut Aldina. Sic & citat Glareanus. Nec cur in poſterioribus mutarent , cauſſa fuit. Sigonius tamen alterum jam citat. Nos veterem lectionem Livio adſerimus. Ita & lib. 24. de Tarento : *urbem eſſe videbat quum opulentam nobilemque tum maritimam & in Macedoniam opportune verſam.* Lib. 27. *ipſe circuito portu ab regio-*

regione urbis in orientem verſa occultus conſedit. Hoc lib. 36. inferius: *portum Chiorum in Ægæum mare verſum.* lib. 37. *quamquam omnis ora maritima eorum, quæ in Peloponneſum verſa eſt, depopulata ab Achæis erat.* Eodem: *duos in utramque regionem verſos portus tutiſſimos habet.* lib. 42. *oramque maris in occidentem verſi ante hiemem circumirent.*

Cap. 16. *Ætolorum utraque manus Heracleam ſeſe incluſerunt*] Scribe: *utraque manus.* Syllepſis nota & vulgaris, quam tamen perſæpe in Livio vitiarunt. Lib. 8, 12. *Pedanos tuebatur Tiburs Praeneſtinus, Veliternuſque populus.* Thuan. & Pal. *tuebantur.* Lib. 9. 36. *eam intrare haud fere quiſquam præter ducem ipſum audebant.* Ita mss. Vulgatæ: *audebat.* Lib. 27, 9. *tranſportati milites in Siciliam (& erant major pars Latini nominis.)* Ita & hic ſcripti, non *erat.* Lib. 31, 13. *Vt quoniam magna pars eorum agros vulgo venales eſſe diceret.* Et hic lege: *dicerent.* Eodem cap. 42. *Iam enim & quæ per agros multitudo ſparſa fuerat, receperant ſe in caſtra.* Sic Andreanæ: vulgo, *receperat.* Lib. 34, 9. *nocte pars tertia civium in muris excubabant.* Hæc ſcriptorum lectio; editorum, *excubabat.* Lib. 38, 26. *nec aut procurrere quiſquam ab ordinibus ſuis, ne nudarent undique corpus ad ictus, audebant.* Servaverunt Andreanæ. Poſteriores, *nudaret, audebat.* Vide & ad lib. 5, 39. & lib. 7, 19.

Cap. 18. *munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt & validiores*] Locus mirifice perturbatus. Andreanæ: *Munitioribus tunc fuerunt & validioribus impoſiti exercitus hoſtium locus: exercitus ille & numero major.* A quo minimum aut nihil differunt plerique ſcripti. Nonnulli caſtigatiores: *Munitioribus & tunc fuerunt & validiores.*

Et certe crebrius apud noſtrum legas, *validum præſidium*, aut *validum præſidio* vel *munitione locum*, quam *validam munitionem* aut *validum locum* ſimpliciter, ut arbitrere ex illis, quæ diximus ad lib. 21, 57. Lib. 44. *ex tot caſtellis aliquanto altioribus ac munitioribus, quæ validis præſidiis inſediſſent, priore anno dejectos.* Et contra *invalidus exercitus* lib. 27. *ſe cum invalido exercitu, quoad tutum putaret, progreſſurum.* Sed hoc incommodum eſt ſcriptæ lectionis, quod quum ſemel dictum eſſet, *exercitus hoſtium*, numero plurativo, ſubjungitur ſtatim, *exercitus ille.* Quod tollere conati vulgatæ architecti licenter à veteri ſcriptura receſſerunt: alia mutarunt, quædam addiderunt, omnia tranſpoſuerunt, aliquid deleverunt. Quid inſolentius? Videtur potius hoc ab auctore exiiſſe: *Munitioribus & tunc fuerunt & validiores impoſiti exercitus hoſtium locis: ille & numerus major & militum genere aliquanto melior.* Vocem unam, *exercitus*, pro gloſſemate delemus, & pro *numero* ſcribimus *numerus*: hæc omnis audacia noſtra, cætera ſuo loco relicta. Compoſitio autem prorſus more Liviano vermiculata. Lib. 42. *Auditu hoſtium copiis reſpicerent ſuum ipſi exercitum, quantum numero, quantum genere militum præſtarent tironibus raptim ad id bellum conſcriptis.* Sed confirmant mirifice totum, quæ diximus ad locum citatum. Ibidem: *ut aliam omnem vitam omittam.* Cur mutarunt, quod eſt in ſcriptis & Andreanis: *ut omnem aliam vitam ſileam.* Inferius: *neutram tutati, pars refugerunt in juga montium, pars Heracleæ incluſerunt ſeſe.* Vox *pars* priore loco non comparet in mss. & jure ergo deleri monſtravimus ad lib. 3, 37. & lib. 31, 27. Auctor de bello Africano: *Interim equitum Numidarum copiæ dextra ſiniſtraque per colles*

colles præcurrere, coronaque in modum cingere multitudine ſua Cæſaris copias, pars agmen extremum inſequi. Noſter lib. 40. *Poris quidem ad hortationem remigum nautarumque intentus erat; interdum manus ad cœlum tendens, opem ut dii ferrent orabat.* Vbi vulgarius bis poneretur *interdum.* Quibus omnibus firmatur lectio trium Pall. mss. quam recepimus lib. 3, 28. *hic inſtabat nova pugna: nihil remiſerat prior.* Vbi interjecerunt vulgo: *illa nihil remiſerat prior.* Porro: *Satis undique proviſum atque præcautum eſt, ne quid adverſus vos in pugna præter hoſtes eſſet.* Et hic naſum ſuum fruſtra exercuit corrector aliquis. Scripti omnes & Andreanæ: *Satis undique proviſum anteque præcautum eſt.* Meminerat ille forſan illorum lib. 22. *Paullus etiam atque etiam dicere providendum præcavendumque eſſe.* Lib. 23. *omniaque velut adverſus præſentem Annibalem cauta proviſaque fuerunt.* Lib. 24. *itaque quis ad gubernacula ſedeat, ſumma cura providendum ac præcavendum nobis eſt.* Forſan & Ciceronis lib. 4. in Verrem: *verumtamen ita res mihi tota proviſa atque præcauta eſt.* Sed non profecto hujus in oratione pro Plancio: *qui te incautum fortaſſe nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem ante & præcaventem nunquam certe movebunt.* Neque in ſimilibus illorum noſtri lib. 38. *nihil ne bellum haberent, priuſquam pœne in conſpectu hoſtis erat, præmeditati.* Lib. 40. *ferox interim fœmina ad multò ante præcogitatum revoluta facinus.* Et eodem: *tandem legati, jam ante præmeditatis in Macedonia, quæ ab Roma renuntiarent, venerunt.* Auctor de bello Hiſpanienſi: *ex quo itinere loricatos viros fortes cum equitatu ante præmiſit.*

Cap. 19. *tumultumque inter ſe majorem quam in prælio edentibus*] Scripti & Andreanæ: *quam*

in prælio dantibus. Quod nihil incommodius altero videtur. Sed & alibi notavimus, *prabere tumultum*. Ibidem: *Romanus equitatus ipſum quidem regem Elatiæ adſequutus non eſt: ſed magnam partem agminis* &c. *diſſipatos oppreſſerunt*. Magiſtrorum eſt particula *ſed:* quam ne quidem inter editos habent Andreanæ. Solentque eam eleganter non exprimere. Lib. 28. *Gladiatorium ſpectaculum fuit non ex eo genere hominum ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſervorum quive venalem ſanguinem habent: voluntaria omnis & gratuita opera pugnantium fuit*. Etenim plenum erat: *ſed voluntaria*. Lib. 33. *eſſe aliquam in terris gentem, quæ* &c. *nec hoc finitimis aut propinquæ vicinitatis hominibus aut terris continenti junctis præſtet: maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit*. Senſus enim dictat, *ſed maria*. Martialis: *Non ſe, convivas abſtinet ille ſuos*. Et alibi: *Diſcidium non eſt hoc, Proculeja; lucrum eſt*. Similiter juvimus noſtrum lib. 28, 39.

Cap. 23. *dies noctesque adſiduo labore urgente*] Ita ab Sigonii libro. Sed noſtri cum editis olim: *adſiduo labore urente*. Quod quidem facile fero & retineo. Noſter lib. 27. *quos & Machanidas tyrannus Lacedemoniorum finitimo bello urebat*. Eodemque libro: *Punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur*. Lib. 32. *tanquam non inteſtino & hærente in ipſis viſceribus uramur bello*.

Cap. 24. *tenere intentos milites ſignumque exſpectare juſsit*] Scripti & Andreanæ: *ſignumque exſpectantes juſsit*. Et reſtituendum cenſeo. Ibidem: *adverſus quos undique ad opem ferendam concurrunt Ætoli*. Libri eidem calamo exarati editique: *occurrunt*. Placet utique. lib. 21. *Aſdrubal cum octo millibus peditum, mille equitum, tanquam ad primum adventum Romanorum occurſurus*.

ſurus. lib. 37. *quatere muros turreſque cœpit, deinde quum eo multitudo occurreret ad defendendum.* lib. 38. *nec Ætolos ſimul ad tria diverſa bella occurſantes ſufficere.* Auctor de bello Africano: *animadvertit copias hoſtium iis legionibus occurrere ſuppetias.* Et iterum. *Cæſar alteram alam mittit, qui ſatagentibus celeriter occurrerent.*

Cap. 25. *majus victoribus gaudium traditum fuit*] Recte Freinshemius: *traditus.* Nam ad Damocritum ea vox referenda.

Cap. 27. *ad bellum renovandum accipiendumque regem in Aſiam*] Scribe cum Andreanis: *ad bellum renovandum acciendumque regem, in Aſiã miſerant legatos.* Libro præcedenti: *decretum fieret, quo arceſſeretur Antiochus ad liberandam Græciam, diſceptatumque inter Ætolos & Romanos.* Ibidem: *Parantibus iis antiqua jura fœderum ordiri meritaque in populum Romanum.* Scripti conſenſu ablegant τὸ *jura*, referuntque tantum: *antiqua fœderum ordiri.* Et idem licet corruptæ adſignificant Andreanæ: *Parantibus iis antiqua fœderum ordiri merita: quin abſiſtere iis Flaccus juſſit.* Non auſim rejicere membranarum lectionem. Sunt ejuſmodi lib. 2, 32. *Timere relicta ab ſuis plebes violentiam Patrum, timere Patrum, timere Patres reſidem in urbe plebem.* Scriptus Pal. *violenta patrum.* Lib. 7, 21. *Tarda enim nomina & impeditiora inertia debitorum quam facultatibus ærarium diſſolvit.* Duo mss. Pall. *tarda enim nominum:* De quibus tamen duobus locis plures membranaceos conſuli cupio.

Cap. 28. *dum ego more Romano imperium id habeam in deditos*] Diximus ſcribendum eſſe: *imperium inhibeam.* Quod quidem certum, non arbitrarium, eſt. Inprimis autem illuſtratur hic locus iis, quæ exſtant apud noſtrum lib. 28, 34. *Mos vetuſtus erat Romanis, cum quo nec fœdere*

nec æquis legibus jungeretur amicitia, , *non priùs imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedidiſſet.* Ita ſcribendum omnino: non *jungerentur*:. eſt enim nominandi caſu, *amicitia,* non auferendi poſitum. Et rem & phraſin hæc illuſtrant: nam *imperium inhibere in deditos* eſt *imperio uti in deditos.* Vel exercere, ut lib. 34. *nec in quemquam omnium gravius ſeveriuſque, quam in ſemetipſum, imperium exerceret.* Magnus Turnebus non intellexit vim hujus locutionis, quum interpretatur imperium in aliquem habere. Rectius Feſtus *inhibere* explicat *injungere:* eſt enim exercitii, non facultatis. Quod haud difficulter cognoſcas ex omnibus Livii locis, ubi exſtat. Lib. 3. *Privati pro decemviris, neque animis ad imperium inhibendum imminutis, neque ad ſpeciem honoris inſignibus, prodeunt.* Iterumque: *tentationemque eam fore abolendi ſibi magiſtratus, ni conſenſu reſiſterent, imperioque inhibendo acriter in paucos præferocis animi conatus aliorum comprimerent.* hoc eſt, quod alias dicunt, animadvertendo, vindicando in paucos. Et rurſus: *imperium ſi quis inhiberet, & viros & armatos ſe eſſe, reſpondetur.* Lib. 37. *& in ſenatu & ad populum magis contentionibus certatum eſt, & imperia inhibita ultro citroque & pignora capta.* hoc eſt, pro imperio & poteſtate actum, & lictores invicem miſſi, & animadvertere juſſi. Reliqua jam ſupra citavimus. Neque aliter apud Plautum. Ex quo colligere eſt falli Turnebum à falſis libris, quum *ſpem inhibere* ſic vult dictum ab Cicerone in tertia agraria: *Nam Valeria lege Corneliiſque legibus eripitur, cum datur: conjungitur impudens gratificatio cum acerba injuria: ſed habet illis legibus ſpem nonnullam ille, cui ademtus eſt, aliquem ſcrupulum, cui datus eſt.*

Reſin-

Refingit ille: *inhibet legibus illis ſpem nonnullam;* & *inhibere ſpem*, ait eſſe, ſpem in aliqua re habere. Sed ut dixi, cum *inhibere imperium* non ſit potiri imperio idque habere, ſed uti eo cum maxime animadvertendo aut pro jure & poteſtate quid gerendo, non poteſt ad ejus imitationem fingi *ſpem inhibere*, ut *vim inhibere*, *modum inhibere.* Æque abſurdum eſt *inhibere ſcrupulum.* Sententia vulgatæ ſimpliciſſima eſt, per leges Valeriam Corneliaſque relinqui aliquam ſpem poſſeſſoribus, relinqui aliquem ſcrupulum novis colonis, utriſve neutrum omnino eripi. Illud quoque non diſſimulabo lib. 26, 44, ubi eſt in ſcriptis: *cæterum tumultus inde major quam vis hiberi poterat:* etſi non incommode conjecimus, *inhiberi*, legendum; tamen & æque bene poſſe legi: *vis adhiberi poterat.* Nam loquitur ita noſter lib. 36. *Vbi in diverſum ſententiæ tendebant, aliis vim adhibendam & non differendam cenſentibus.*

Cap. 29. *rediens Phaleram in ſinu Maliaco*] Andreanæ: *Phalera.* Diximus ſupra.

Cap. 34. *nondum duas urbes, Philippum tot gentes.*] Hæc lectio à Gelenio eſt. Sed noſtri omnes, ut ante illum edebatur: *& victoriæ tuæ præmium te militeſque tuos nondum tot urbes, quot Philippum gentes Græciæ habere.* Quod non modo alteri dignitate par eſt, ſed multo etiam præſtare mihi videtur. Mutavit homo indoctus, cui non placebat τὸ *quot* conjungi cum infinitivo.

Cap. 35. *quos non ſincera fide in amicitia fuiſſe conſtabat*] Vetus lectio: *fuiſſe ſatis conſtabat.* Cur mutilarunt? Lib. 7. *Dictatorem T. Quintium Pennum eo anno fuiſſe ſatis conſtat.* Lib. 21. *refecti ſunt militum animi, quamquam acciſas res ſatis conſtabat.* Lib. 26. *nec tamen quem mitterent, ſatis conſtabat.* Alibique, eſt enim ex amatis auctori.

Cap. 36. *eos vel de manubiis, ſi quam pecuniam*] Scripti & Andreanæ: *eos ut idem manubiis.* Lege: *eos uti de manubiis, ſi quam pecuniam ad id reſervaſſet, vel ſua ipſe impenſa faceret.* Ibidem: *Item Iuventatis ædem in circo maximo C. Licinius Lucullus dedicavit.* Sic & Victorius ad Brutum Ciceronis & Sigonius hic monuerunt legendum: nihilominus omnes recentiores, *juventutis.* Perperam ſane. Nos quoque reſtituendum docuimus lib. 31, 62. Nunc duo miror: unum, Scaligerum docere nos indifferenter *Iuventatem* & *juventutem* (non quid analogia aut origo patiatur, quæſtio eſt, ſed de uſu veterum) dici, nec opus eſſe ut corrigatur apud Feſtum: *Iuventatis ſacra pro juvenibus ſunt inſtituta:* alterum nec P. Victorium vidiſſe, nec tot editores epiſtolarum ad Atticum credidiſſe Lambino ſcribendum eſſe lib. 1. ep. 18. *ejus initium ejuſmodi fuit, ut anniverſaria ſacra Iuventatis non committerentur.* Neque enim alia ſacra ſunt hæc quam *ludi Iuventatis* in Bruto. Etiam in Tuſculanis Heben Græcorum vocat *Iuventatem:* quam non ignoro, *Grajam Juventam* dici Ovidio de Ponto lib. 1. el. 11. *Nectar & ambroſiam laticeſque epulaſque deorum Det mihi formoſa Graja juventa manu.* Sic enim haud dubie ibi ſcribendum: etſi libri fere *grata* aut *gnava.* Neque tamen ideo pœnitet lib. 21. dicto me ſcripſiſſe: *lectiſternium Iuventati,* non *juventæ.*

Cap. 39. *in jus ditionemque populi Romani*] Sane perfrequens hæc loquendi ratio Livio. Sed hic variare libitum ei fuiſſe conſtat nobis per veteres membranas, ſi per corruptores librorum impreſſorum licuiſſet. Scripti conſenſu: *Niſi illi cogantur in jus judiciumque populi Romani.* Quam formulam non debuiſſe mutari clamat ipſe

ipſe lib. 39. *Athamanes quoque legati venerunt, non partis amiſſæ, non finium jacturam querentes, ſed totam Athamaniam ſub jus judiciumque regis veniſſe.* Lib. 41. *Perſeus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, diſceptationem ab rege ad Romanos revocabant, cum exercitu profectus, ſub jus judiciumque ſuum totam coegit gentem.*

Cap. 40. *tantum numerum Gallorum ceciderit in acie*] Scripti, *occiderit.* Ibidem ſcribe cum antiquis & poſt vulgatis. *Quorum militum ſi & in alia provincia opera uti ſenatus velit.* Male factum in recentiſſimis: *etſi in alia.*

Cap. 41. *cujus eo tempore maxima apud regem auctoritas erat*] Scripti, Andreanæ & Aldina conſenſu: *cujus eo tempore ut maxima.* De quo jam aliquid ſupra.

Cap. 42. *quam primam Græciæ civitatem*] Scripti & veteres: *civitatum.*

AD LIB. XXXVII.

CAP. 2. *Ex agro, quo victor bello mulctaverat Bojos, deductæ urbanæ legiones*] Scripti: *deducendæ.*

Cap. 5. *adverſus tale machinationis genus parare*] Scripti: *tale oppugnationis genus.* At mox ibidem: *qui circa opera & machinationes erant.* non *machinas.* Sane neque vulgatum incommodum valde, neque hæc mutandi cauſſam idoneam habuiſſe videntur. Lib. 22. *Vineæ inde omniaque alia operum machinationumq; genera quum admoverentur.* Lib. 25.

Quum jam machinationum omni genere & operibus oppugnaretur. Lib. 27. *naves partim machinationibus onerat apparatuque mœnium oppugnandorum, partim tormentis & ſaxis omnique miſſilium telorum genere inſtruit.*

Cap. 10. *Tum internuntius aperit, regiam claſſem aut totam aut*] Omnes calamo exarati amoto verbo, *aperit*, ſervant: *Tum internuntius: regiam claſſem aut totam aut majorem ejus partem Polyxenidam traditurum.* Et eodem aurigantur Andreanæ, in quibus: *Tum internuntius regiam claſſem ait totam.* Nulla ſit igitur religio verbum, *aperit*, ab ſemidoctis adjectum delere. Eſt enim ellipſis uſitata veteribus, qualem reddidimus olim ex mss. & veteribus editionibus Statio in Propemptico Metii Celeris: *quis cuncta paventi Nuntius, an facili te prætermiſerit unda Lucani rabida ora maris.* Vbi ſuppoſuerant ex Aldina: *quis cuncta paventi Nuntiet.* Plinius lib. 1. epiſt. 5. *Evigilaveram. Nuntius à Spurinna: venio ad te.* Vide & inferius ad lib. 41. ubi ſimilem locum ab Sigonio interpolatum vindicamus.

Cap. 11. *ubi quum interdiu ob eandem cauſſam quieviſſet*] Vetus lectio: *quieſſet.* Ibidem: *Pauſiſtratus unam viam ſalutis eſſe ratus, ſi viam facere per fauces portus atque erumpere in mare apertum poſſet.* Rurſum ſcripti cum Andreanis & Aldina: *ſi vim facere per fauces portus.* De quo minime dubitandum. Lib. 3. *metu ſubſtitit, ne qua ex parte altera in caſtra vis fieret.* lib. 38. *repuliſſe à corpore ejus viatorem, & tribunis retinentibus magis pie quam civiliter vim feciſſe.* Sed inprimis, ubi eandem phraſin reſtituimus, lib. 32. *utrum recto itinere per caſtra hoſtium vim facere conaretur.* Lib. 44. *Placebat quibuſdam & maxime majoribus natu per Enipei ripam munitioneſque vim facere.*

facere. At hoc ipſo capite videre eſt, ubi *viam facere* rectius ſit: *terrore flammæ micantis via ſibi inter confertas naves facta.* Et lib. 38. *jam ſubrutis muris facta in urbem via eſſet.* Quæ ideo addimus, quia non cuivis ita promtum hæc diſtinguere, & quibus conveniant magis ſingula locis dijudicare, niſi exemplis utrorumque non dubiis ob oculos poſitis.

Cap. 12. *ne ſucceſſu tantæ rei elatus Polyxenidas*] Non male, nec tamen multo melius Venetis, Petavianis, Barberinis, Naudæanis, Medicæis membranis, quæ omnes conſenſu, ut & Andreanæ: *ne ſucceſſu tantæ rei inflatus Polyxenidas.* Mirum quæ tenuerit homines libido omnium mutandorum. An non infra: *aliquid etiam inflabat animos claſſis Rhodia.* Cicero ad Atticum: *me ipſe non noram, nec ſatis ſciebam, quid in hoc genere facere poſſem: recte πεφυσίωμαι. nihil eſt præclarius.* Et Philipp. 14. *cum hoc triduo triſtis à Mutina fama manaret, inflati lætitia atque inſolentia impii cives.* At ubi ſtare debuit alterum, ibi labefactarunt: apud Senecam lib. 3. de ira cap. 24. *Quid eſt, quare ego ſervi mei elatius reſponſum, & contumaciorem vultum, & non pervenientem ad me murmurationem flagellis & compedibus expiem?* Sic purgatiſſimi Pintiani & Gruteri. *Hilarius, clarius, liberius, durius,* abortus ſunt male ſive feriatorum ſive operatorum librariorum. Cæſar conjungit utrumque lib. 2. de bello civ. *Hæc ad eam elatius atque inflatius Afranius perſcribebat.* Lib 3. *de prælio ad Dyrrhachium facto elatius inflatiusque multo, quam res erat geſta, fama percrebuerant.* Cicero pro domo: *nihil unquam de me dixi ſublatius adipiſcendæ laudis cauſſa.* Cornelius Nepos: *elatius ſe gerere cœpit.*

Cap. 12. *Medio in curſu aquilone in ſeptentrionem*

nem

nem verſu] Glareanus lectori, monet, conſiderandum, quid faciat hæc ventorum commutatio ad impediendam navigationem in Samum. Atqui docere nos potius debebat: quid non faceret ad impediendum curſum, ſi ſuſpectum inconſiderantiæ Livium facere vellet. Hoc certe ſatis clare Livius, ea commutatione exaſperatum fluctibus mare, & inde jactari naves cœpiſſe, ut curſum tenere non poſſent. Neque vero, pergit Loritus, *ſeptentrionis* atque *aquilonis* ventorum diſtinctionem facile invenias, præterquam apud unum Ptolomæum, ea ad hunc locum non multum facientem. Verum & venti *ſeptentriones* communiter vetus & κατ᾽ ἐξοχὴν *ſeptentrio* diſtinctus ab *aquilone* ſatis memorati ſunt antiquis. Cicero lib. 9. ad Atticum ep. 6. *Conſcendiſſe dicitur ante diem quartum Nonas Martias. ex ea die fuere ſeptentriones venti.* Hi ſunt thraſcias, aparctias, aquilo. At *ſeptentrio* ventus κατ᾽ ἐξοχὴν eſt aparctias, interjectus inter thraſciam & aquilonem, Gellio *ſeptentrionarius*. Vitruvius lib. 1. cap. 6. *Itaque ſunt collocati inter ſolanum & africum ab oriente hiberno eurus, inter auſtrum & favonium ab occidente hiberno africus, inter favonium & ſeptentrionem caurus, quem plures vocant corum, inter ſeptentrionem & ſolanum aquilo.* Seneca lib. 5. nat. quæſt. 16. *A ſeptentrionali latere ſummus eſt aquilo, medius ſeptentrio, imus thraſcias.* Meminit & Plinius, etſi aliter collocet.

Cap. 13. *conſilium habitum, utrum extemplo decernerent*] Barberinæ membranæ: *utrum extemplo cernerent, an Rhodiam exſpectarent claſſem.* Nota ſunt Plauti: *Cernit cum hoſtibus*, & *certamen cernitur:* apud Lucretium *cernere bellum*, Virgilium *cernere ferro.* Sed ne ab Livio tamen uſum hunc verbi alienum putes. Lib. 43.

Priuſ-

Priuſquam id ſors cerneret. Et forte pluribus ita locis legeremus, ſi libros per omnia ſatis fidos haberemus.

Cap. 16. *Tum quoque anceps pugna fuit: neque milites ſolum aliquot*] Ita quidem Gelenius: ſed omnes ſcripti cum Andreanis & Aldina: *non quod milites ſolum aliquot, ſeu L. Apuſtius tumultuario prælio cecidit.* Quod nondum plane repudio. Ibidem: *Omiſſa Patara amplius tentandi ſpe, Rhodii domum dimiſſi ſunt.* Reponendum eſſe: *omiſſo Patara amplius tentandi Rhodii:* diximus ad lib. 35, 49.

Cap. 17. *ii frequentes Rhodios orare inſtiterunt*] Vacare τὸ *ii* præcepimus monere ad lib. 34, 56. Hoc ipſo libro inferius cap. 45. *Paucos poſt dies Zeuxis, qui præfectus Lydiæ fuerat & Antipater fratris filius venerunt. prius Eumene convento, quem propter &c. tum T. Scipionem & per eum conſulem adierunt.* Sic lege ex Andreanis & Aldina. Recentiores fecerunt: *hi prius Eumene.* Statim: *ne urbem & vicinam ſibi & cognatam innoxiam perire ſinerent.* Quicquid primo oculi conjectu non caperent, in id pro arbitrio graſſandi ſibi jus attribuerunt. Scripti omnes & Andreanæ: *ne urbem & vicinam ſibi & cognatam innoxiam periſſe liceret.* Quid hic diſplicuit? an *periſſe* pro *perire?* At quum *periſſe* ſit ſimul παρακειμένȣ & ὑπερσυντελικοῦ χρόνȣ, *perire* ſimul ἐνεστῶτος καὶ παρατατικȣ̃, notato pridem modo τὸ ὑπερσυντελικὸν ἀντὶ τοῦ παρατατικοῦ eleganter poſitum cogitare debuerant. Iam commodus eſt ſenſus: rogarunt, ut liceret urbem & vicinam & cognatam innoxiam non perire, ſeu ſuperſtitem eſſe. Lib. 40, 51. *& primum quæſivit, ne ſibi liceret ac ſuis vivere?* Vbi tamen, *num ſibi*, malim, aut *ſibine*: niſi dicas vocem exci-

diſſe:

diſſe: potuerat enim eſſe: *pacatone ſibi*: aut ſimile quid. Apparet tamen non admodum diverſe concepta: nam ut rogatur, liceatne vivere, ita recte petitur, ut liceat non perire. Lib. 42. *Romam quod præterea mitteret, non eſſe: neminem eorum per Italiam ire liciturum.* Hoc eſt, non licitutum, quemquam eorum per Italiam iter facere. Et frequens eſt antiquis voces & particulas ſenſu duplices ita ponere, ut ad ſenſum colligendum dividi eas oporteat. Sic *nec* pro & non, *ne* pro ut non. Cæſar lib. 3. de bello civ. *neve ſe loco moverent, aciemque ejus diſtrahi paterentur.* Nam ex particula *ne* pro ut non poſita, *τὸ ut* porrigitur etiam ad proximum membrum verbumque *paterentur*; at negatio illic ſiſtit manetque intra *τὸ moverent*. Sed & aliter ſenſum concinnum ex veteri probata nobis lectione elicias, hunc videlicet, ne paterentur Rhodii hanc in ſe invidiam recidere, ut per ipſos licuiſſet, cum id deprecatione juſta & gratioſa prohibere poſſent, Iaſſenſes miſeros perire.. Silius Italicus lib. 14. de Marcello Syracuſarum miſerito, & excidium urbis prohibituro: *Ingemuit, nimiumque viris tantumque licere Horruit.* Martialis: *Debuit hoc tantum non licuiſſe tibi.* Statim nihilo prudentius vulgatæ conditores: *omnium Iaſſenſium unam mentem eſſe, ut ſervitutem regiam effugere vellent.* Nam ſcriptis & Andreanis ſervata Livii manus: *ut ſervitutem regiam effugerent.* Cujus eandem mentem eſſe male neſcierunt. Sic lib. 24. 19. *pugnandum autem eſſe, ſi palam frumentum importaret, videbat.* Vt reſtituimus ex vett. libb. Illi fecerant: *importare vellet.* lib. 25, 33. *ſimul ne metus quidem ab Romanis erat, (quippe tam paucis) ſi vi retinerent.* hoc eſt, ſi vi retinere ſe vellent, aut conarentur. Quod etiam vulgo vitiatum. Lib. 35, 45.

Multa

Multa homines, ne bellarent, remittere. Ita membranacei ſubdiderunt in impreſſis: *ne bellare neceſſe eſſet.* lib. 38, 11. *qui eorum L. Quintio Cn. Domitio conſulibus poſtve eos conſules armis ſubacti aut voluntate in ditionem populi Romani conceſſerunt, ne quem eorum Ætoli recepiſſent.* Vbi rurſus editum: *recepiſſe vellent.* Cicero lib. 2. de Officiis: *quum conſuleretur, utrum bono viro pauperi an minus probato diviti filiam ſuam collocaret.* Quod utique nihil eſt aliud quam, collocare mallet, conſtituiſſet. Noſter lib. 4. *ſumma vi expugnatum eſſe, ut tribuni militum conſulari poteſtate & ex plebe crearentur.* hoc eſt creari poſſent, vel ut eos create liceret. Lib. 24. de conjuratione Andranodori detecta: *ſingula deinde, quæ per quoſque agerentur, totamque viris armiſque inſtructam conjurationem ante oculos poſuiſſet.* hoc eſt, agi deberent, vel agi conſtitutum eſſet. Inferius: *pervicerunt, ut oppugnatione abſtineretur.* Cur hoc quoque, quum in ſcriptis & Andreana ſit: *abſiſteretur.* Vt lib. 24. *quum omnis conatus ludibrio eſſet, abſiſtere oppugnatione placuit.* Lib. 44. *Hujus novi præſidii fama abſiſtere oppugnatione ſimul Romanos regemque coegit.* Lib. 38. *non tamen ita infregit animos eorum, ut abſiſterent imperio.* lib. 42. *ſi abſiſtere bello & facere imperata velint.* Male tollit idem verbum Sigonius lib. 24, 20. *ſpe labefactandæ fidei haud abſiſtens.* Ille vix tolerabili ſenſu, certe contra auctoris mentem, *adſiſtens.* Reddendum etiam ex veteri ſcriptura lib. 36, 45. *poſteaquam celeritate navium, utpote levium ſuas commeatu onuſtas eludi fruſtra tendentes viderunt, tandem abſtiterunt.* Sic mss. & Andreanæ: non *ſubſtiterunt.* Denique: *vocatoſque Rhodios quum percontatus eſſet, poſſetne Pataris univerſa claſſis in portu ſtare.* Iam diximus in membranis Barberin.

berin. Florentin. Venetiæ, Naudæi, Petavianis Andreaniſque editionibus eſſe integre: *quum percontatus eſſet, utrumnam Pataris univerſa claſſis in portu ſtare poſſet.*

Cap. 18. *partim ſociis ferendo opem*] Parum refert, ſed Barber. Petav. *ſociis ferendo auxilia.*

Cap. 19. *non ex auctoritate ſenatus, non juſſu populi Romani*] Barber. & Petav. *injuſſu populi Romani.* Cur non tulerunt? nempe ut poſſent oſtentare magiſtri in figuris *τὸ non* repetitum.

Cap. 20. *ægre id permittente Attalo, quippe qui centum*] Andreanæ: *Ægre id permittere Attalus.* Quod aliubeſcit ex creberrimo noſtri more. Videntur mutaſſe, qui ſic minus putabant ſequentem periodum huic continuari. Quaſi non eſſet perinde ac ſi dixiſſet: *Ægre id Attalus permiſit:* hoc autem verbum intelligit neceſſarium ſuum caſum *roganti:* de quo, non de alio, ergo intelligas, quod ſequitur *porta egreſſus.* Hujuſmodi oratio defecta ad rei caput properantis multumque ingenio lectoris confidentis mire decet hiſtoricos, & per eſt amata Livio. Quod qui non caperent, ingentem farraginem particularum, toties item relativa, *is*, *qui*, & ſimilia locis, quibus iſta ſtudioſe ſpreverat, auctori noſtro adleverant. Hic mihi in mentem venit, quod narrat Plinius de avunculo ſuo: amico, quum lector quædam perperam pronunciaſſet, revocanti ac repeti cogenti dixiſſe eum: intellexeras nempe? & annuente altero, cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus. Idem ego illis dicam: intellexeratis nempe, libros meliores conſentire in ſpernendis illis veſtris ſupplementis non ignorabatis: quid ergo moramini auctorem hinc dignitatem ſermoni ſuo comparantem, & tironum aut indoctorũ captui attemperatis? Ne Sigonius

gonius quidem ab hac culpa immunis eſt. Sic lib. 2,47. *Prima excepta à circumſtantibus tela. ſuſtineri deinde vis nequit. Conſul mortifero vulnere ictus cadit.* Ille: *Demum conſul.* lib. 3,45. *Placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendiſſet.* Ille: *Quum placidum.* Lib. 4,54. *quæſturamq́; eam non honoris ipſius fine æſtimabant.* Facit: *quæſturā namque.* Eodem cap. ſequenti: *Conſules ambo profecti.* Auget: *Cæterum conſules ambo profecti.* Lib. 5,25. *Simul extrahi rem viderunt.* Dat nobis: *Simul ut extrahi.* Lib. 6,38. *& quoad uſq́; ad memoriam noſtram tribunitiis conſularibuſque certatum viribus eſt, dictaturæ ſemper altius faſtigium fuit.* Exhibet: *quod uſque ad memoriam noſtram, quoties tribunitiis.* Lib. 7,17. *Quia nec per dictatorem plebejum,* &c. Abruptum ei videbatur, niſi fieret: *Et quia.* Lib. 8,30. *ſeu credere libet.* Non placuit, niſi eſſet: *ſeu ſi credere libet.* Lib. 10,6. *non infimam plebem accenderent, ſed ipſa capita plebis.* Neceſſum fuit facere. *non infimam modo plebem.* Quæ omnia ſunt à magiſtellis, & peſſimæ notæ illorum librorum, à quibus vir cætera tam doctus, quum meliorum copiam uberem illi ſua Italia præberet, induci ſe paſſus eſt. Et multa talia Rhenanus Geleniuſque antea exſtirparunt: nobiſque tamen meſſem magnam reliquerunt, ut ſuis indicatum locis. Ibidem de Diophane Achæo: *ipſe princeps cum turma ſua, quantum potuit, effuſiſſimis habenis* &c. Scripti, *quam poſſet, effuſiſſimis.* Idemque ſuadent Andreanæ, in quibus: *quam poſſent.*

Cap. 30. *& maximæ formæ naves tres hexeres*] Conſidera proxima, & gloſſema videbitur eſſe τὸ *naves.* Ibidem: *ſublatis raptim dolonibus (& erat ſecundus petentibus Epheſum ventus) capeſſunt fugam.* Sic Aldina neſcio quo auctore. Sed Barberin. Petav. Naud. quos ſuper hoc loco conſului-

in prœlio dantibus. Quod nihil incommodius altero videtur. Sed & alibi notavimus, *præbere tumultum.* Ibidem: *Romanus equitatus ipſum quidem regem Elatiæ adſequutus non eſt: ſed magnam partem agminis* &c. *diſſipatos oppreſſerunt.* Magiſtrorum eſt particula *ſed:* quam ne quidem inter editos habent Andreanæ. Solentque eam eleganter non exprimere. Lib. 28. *Gladiatorium ſpectaculum fuit non ex eo genere hominum ex quo laniſtis comparare mos eſt, ſervorum quive venalem ſanguinem habent: voluntaria omnis & gratuita opera pugnantium fuit.* Etenim plenum erat: *ſed voluntaria.* Lib. 33. *eſſe aliquam in terris gentem, quæ* &c. *nec hoc finitimis aut propinquæ vicinitatis hominibus aut terris continenti junctis præſtet: maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit.* Senſus enim dictat, *ſed maria.* Martialis: *Non ſe, convivas abſtinet ille ſuos.* Et alibi: *Diſcidium non eſt hoc, Proculeja; lucrum eſt.* Similiter juvimus noſtrum lib. 28, 39.

Cap. 23. *dies noctesque adſiduo labore urgente*] Ita ab Sigonii libro. Sed noſtri cum editis olim: *adſiduo labore urente.* Quod quidem facile fero & retineo. Noſter lib. 27. *quos & Machanidas tyrannus Lacædemoniorum finitimo bello urebat.* Eodemque libro: *Punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur.* Lib. 32. *tanquam non inteſtino & hærente in ipſis viſceribus uramur bello.*

Cap. 24. *tenere intentos milites ſignumque exſpectare juſſit*] Scripti & Andreanæ: *ſignumque exſpectantes juſſit.* Et reſtituendum cenſeo. Ibidem: *adverſus quos undique ad opem ferendam concurrunt Ætoli.* Libri eidem calamo exarati editique: *occurrunt.* Placet utique. lib. 21. *Aſdrubal cum octo millibus peditum, mille equitum, tanquam ad primum adventum Romanorum occurſurus.*

ſurus. lib. 37. *quatere muros turreſque cœpit, deinde quum eo multitudo occurreret ad defendendum.* lib. 38. *nec Ætolos ſimul ad tria diverſa bella occurſantes ſufficere.* Auctor de bello Africano: *animadvertit copias hoſtium iis legionibus occurrere ſuppetias.* Et iterum. *Cæſar alteram alam mittit, qui ſatagentibus celeriter occurrerent.*

Cap. 25. *majus victoribus gaudium traditum fuit*] Recte Freinshemius: *traditus.* Nam ad Damocritum ea vox referenda.

Cap. 27. *ad bellum renovandum accipiendumq; regem in Aſiam*] Scribe cum Andreanis: *ad bellum renovandum acciendumq; regem, in Aſiā miſerant legatos.* Libro præcedenti: *decretum fieret, quo arceſſeretur Antiochus ad liberandam Græciam; diſceptatumq; inter Ætolos & Romanos.* Ibidem: *Parantibus iis antiqua jura fœderum ordiri meritaque in populum Romanum.* Scripti conſenſu ablegant τὸ *jura,* referuntque tantum: *antiqua fœderum ordiri.* Et idem licet corruptæ adſignificant Andreanæ: *Parantibus iis antiqua fœderum ordiri merita: quin abſiſtere iis Flaccus juſſit.* Non auſim rejicere membranarum lectionem. Sunt ejuſmodi lib. 2, 32. *Timere relicta ab ſuis plebes violentiam Patrum, timere Patrum, timere Patres reſidem in urbe plebem.* Scriptus Pal. *violenta patrum.* Lib. 7, 21. *Tarda enim nomina & impeditiora inertia debitorum quam facultatibus ærarium diſſolvit.* Duo mss. Pall. *tarda enim nominum:* De quibus tamen duobus locis plures membranaceos conſuli cupio.

Cap. 28. *dum ego more Romano imperium id habeam in deditos*] Diximus ſcribendum eſſe: *imperium inhibeam.* Quod quidem certum, non arbitrarium, eſt. Inprimis autem illuſtratur hic locus iis, quæ exſtant apud noſtrum lib. 28, 34. *Mos vetuſtus erat Romanis, cum quo nec fœdere*

nec æquis legibus jungeretur amicitia, , *non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedidiſſet.* Ita ſcribendum omnino: non *jungerentur:* eſt enim nominandi caſu, *amicitia*, non auferendi poſitum. Et rem & phraſin hæc illuſtrant: nam *imperium inhibere in deditos* eſt *imperio uti in deditos.* Vel exercere, ut lib. 34. *nec in quemquam omnium gravius ſeveriuſque, quam in ſemetipſum, imperium exerceret.* Magnus Turnebus non intellexit vim hujus locutionis, quum interpretatur imperium in aliquem habere. Rectius Feſtus *inhibere* explicat *injungere:* eſt enim exercitii, non facultatis. Quod haud difficulter cognoſcas ex omnibus Livii locis, ubi exſtat. Lib. 3. *Privati pro decemviris, neque animis ad imperium inhibendum imminutis, neque ad ſpeciem honoris inſignibus, prodeunt.* Iterumque: *tentationemque eam fore abolendi ſibi magiſtratus, ni conſenſu reſiſterent, imperioque inhibendo acriter in paucos præferocis animi conatus aliorum comprimerent.* hoc eſt, quod alias dicunt, animadvertendo, vindicando in paucos. Et rurſus: *imperium ſi quis inhiberet, & viros & armatos ſe eſſe, reſpondetur.* Lib. 37. *& in ſenatu & ad populum magis contentionibus certatum eſt, & imperia inhibita ultro citroque & pignora capta.* hoc eſt, pro imperio & poteſtate actum, & lictores invicem miſſi, & animadvertere juſſi. Reliqua jam ſupra citavimus. Neque aliter apud Plautum. Ex quo colligere eſt falli Turnebum à falſis libris, quum *ſpem inhibere* ſic vult dictum ab Cicerone in tertia agraria: *Nam Valeria lege Corneliiſque legibus eripitur, cum datur: conjungitur impudens gratificatio cum acerba injuria: ſed habet illis legibus ſpem nonnullam ille, cui ademtus eſt, aliquem ſcrupulum, cui datus eſt.*

Refin-

Refingit ille: *inhibet legibus illis ſpem nonnullam;* & *inhibere ſpem*, ait eſſe, ſpem in aliqua re habere. Sed ut dixi, cum *inhibere imperium* non ſit potiri imperio idque habere, ſed uti eo cum maxime animadvertendo aut pro jure & poteſtate quid gerendo, non poteſt ad ejus imitationem fingi *ſpem inhibere*, ut *vim inhibere*, *modum inhibere.* Æque abſurdum eſt *inhibere ſcrupulum.* Sententia vulgatæ ſimpliciſſima eſt, per leges Valeriam Corneliaſque relinqui aliquam ſpem poſſeſſoribus, relinqui aliquem ſcrupulum novis colonis, utriſve neutrum omnino eripi. Illud quoque non diſſimulabo lib. 26, 44, ubi eſt in ſcriptis: *cæterum tumultus inde major quam vis hiberi poterat:* etſi non incommode conjecimus, *inhiberi*, legendum; tamen & æque bene poſſe legi: *vis adhiberi poterat.* Nam loquitur ita noſter lib. 36. *Vbi in diverſum ſententiæ tendebant, aliis vim adhibendam & non differendam cenſentibus.*

Cap. 29. *rediens Phaleram in ſinu Maliaco*] Andreanæ: *Phalera.* Diximus ſupra.

Cap. 34. *nondum duas urbes, Philippum tot gentes.*] Hæc lectio à Gelenio eſt. Sed noſtri omnes, ut ante illum edebatur: *& victoria tua præmium te militeſque tuos nondum tot urbes, quot Philippum gentes Græciæ habere.* Quod non modo alteri dignitate par eſt, ſed multo etiam præſtare mihi videtur. Mutavit homo indoctus, cui non placebat τὸ *quot* conjungi cum infinitivo.

Cap. 35. *quos non ſincera fide in amicitia fuiſſe conſtabat*] Vetus lectio: *fuiſſe ſatis conſtabat.* Cur mutilarunt? Lib. 7. *Dictatorem T. Quintium Pennum eo anno fuiſſe ſatis conſtat.* Lib. 21. *refecti ſunt militum animi, quamquam acciſas res ſatis conſtabat.* Lib. 26. *nec tamen quem mitterent, ſatis conſtabat.* Alibique, eſt enim ex amatis auctori.

Cap. 36. *eos vel de manubiis, ſi quam pecuniam*] Scripti & Andreanæ: *eos ut idem manubiis.* Lege: *eos uti de manubiis, ſi quam pecuniam ad id reſervaſſet, vel ſua ipſe impenſa faceret.* Ibidem: *Item Iuventatis ædem in circo maximo C. Licinius Lucullus dedicavit.* Sic & Victorius ad Brutum Ciceronis & Sigonius hic monuerunt legendum: nihilominus omnes recentiores, *juventutis* Perperam ſane. Nos quoque reſtituendum docuimus lib. 31, 62. Nunc duo miror: unum, Scaligerum docere nos indifferenter *Iuventatem* & *juventutem* (non quid analogia aut origo patiatur, quæſtio eſt, ſed de uſu veterum) dici, nec opus eſſe ut corrigatur apud Feſtum: *Iuventatis ſacra pro juvenibus ſunt inſtituta:* alterum nec P. Victorium vidiſſe, nec tot editores epiſtolarum ad Atticum credidiſſe Lambino ſcribendum eſſe lib. 1. ep. 18. *ejus initium ejuſmodi fuit, ut anniverſaria ſacra Iuventatis non committerentur.* Neque enim alia ſacra ſunt hæc quam *ludi Iuventatis* in Bruto. Etiam in Tuſculanis Heben Græcorum vocat *Iuventatem:* quam non ignoro, *Grajam Iuventam* dici Ovidio de Ponto lib. 1. el. 11. *Nectar & ambroſiam laticeſque epulaſque deorum Det mihi formoſa Graja juventa manu.* Sic enim haud dubie ibi ſcribendum: etſi libri fere *grata* aut *gnava.* Neque tamen ideo pœnitet lib. 21. dicto me ſcripſiſſe: *lectiſternium Iuventati.* non *juventæ.*

Cap. 39. *in jus ditionemque populi Romani*] Sane perfrequens hæc loquendi ratio Livio. Sed hic variare libitum ei fuiſſe conſtat nobis per veteres membranas, ſi per corruptores librorum impreſſorum licuiſſet. Scripti conſenſu: *Niſi illi cogantur in jus judiciumque populi Romani.* Quam formulam non debuiſſe mutari clamat ipſe

ipſe lib. 39. *Athamanes quoque legati venerunt, non partis amiſſæ, non finium jacturam querentes, ſed totam Athamaniam ſub jus judiciumque regis veniſſe.* Lib. 41. *Perſeus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, diſceptationem ab rege ad Romanos revocabant, cum exercitu profectus, ſub jus judiciumque ſuum totam coegit gentem.*

Cap. 40. *tantum numerum Gallorum ceciderit in acie*] Scripti, *occiderit.* Ibidem ſcribe cum antiquis & poſt vulgatis. *Quorum militum ſi & in alia provincia opera uti ſenatus velit.* Male factum in recentiſſimis: *etſi in alia.*

Cap. 41. *cujus eo tempore maxima apud regem auctoritas erat*] Scripti, Andreanæ & Aldina conſenſu: *cujus eo tempore ut maxima.* De quo jam aliquid ſupra.

Cap. 42. *quam primam Græciæ civitatem*] Scripti & veteres: *civitatum.*

AD
LIB. XXXVII.

CAP. 2. *Ex agro, quo victor bello mulctaverat Bojos, deductæ urbanæ legiones*] Scripti: *deducendæ.*

Cap. 5. *adverſus tale machinationis genus parare*] Scripti: *tale oppugnationis genus.* At mox ibidem: *qui circa opera & machinationes erant.* non *machinas.* Sane neque vulgatum incommodum valde, neque hæc mutandi cauſſam idoneam habuiſſe videntur. Lib. 22. *Vineæ inde omniaque alia operum machinationumq́; genera quum admoverentur.* Lib. 25.

Quum jam machinationum omni genere & operibus oppugnaretur. Lib. 27. *naves partim machinationibus onerat apparatuque mœnium oppugnandorum, partim tormentis & ſaxis omnique miſſilium telorum genere inſtruit.*

Cap. 10. *Tum internuntius aperit, regiam claſſem aut totam aut*] Omnes calamo exarati amoto verbo, *aperit*, ſervant: *Tum internuntius: regiam claſſem aut totam aut majorem ejus partem Polyxenidam traditurum.* Et eodem aurigantur Andreanæ, in quibus: *Tum internuntius regiam claſſem ait totam.* Nulla ſit igitur religio verbum, *aperit*, ab ſemidoctis adjectum delere. Eſt enim ellipſis uſitata veteribus, qualem reddidimus olim ex mss. & veteribus editionibus Statio in Propemptico Metii Celeris: *quis cuncta paventi Nuntius, an facili te prætermiſerit vnda Lucani rabida ora maris.* Vbi ſuppoſuerant ex Aldina: *quis cuncta paventi Nuntiet.* Plinius lib. 1. epiſt. 5. *Evigilaveram. Nuntius à Spurinna: venio ad te.* Vide & inferius ad lib. 41. ubi ſimilem locum ab Sigonio interpolatum vindicamus.

Cap. 11. *ubi quum interdiu ob eandem cauſſam quieviſſet*] Vetus lectio: *quieſſet.* Ibidem: *Pauſiſtratus unam viam ſalutis eſſe ratus, ſi viam facere per fauces portus atque erumpere in mare apertum poſſet.* Rurſum ſcripti cum Andreanis & Aldina: *ſi vim facere per fauces portus.* De quo minime dubitandum. Lib. 3. *metu ſubſtitit, ne qua ex parte altera in caſtra vis fieret.* lib. 38. *repuliſſe à corpore ejus viatorem, & tribunis retinentibus magis pie quam civiliter vim feciſſe.* Sed inprimis, ubi eandem phraſin reſtituimus, lib. 32. *utrum recto itinere per caſtra hoſtium vim facere conaretur.* Lib. 44. *Placebat quibuſdam & maxime majoribus natu per Enipei ripam munitioneſque vim facere.*

ſacere. At hoc ipſo capite videre eſt, ubi *viam facere* rectius ſit: *terrore flammæ micantis via ſibi inter confertas naves facta.* Et lib. 38. *jam ſubrutis muris facta in urbem via eſſet.* Quæ ideo addimus, quia non cuivis ita promtum hæc diſtinguere, & quibus conveniant magis ſingula locis dijudicare, niſi exemplis utrorumque non dubiis ob oculos poſitis.

Cap. 12. *ne ſucceſſu tantæ rei elatus Polyxenidas*] Non male, nec tamen multo melius Venetis, Petavianis, Barberinis, Naudæanis, Medicæis membranis, quæ omnes conſenſu, ut & Andreanæ: *ne ſucceſſu tantæ rei inflatus Polyxenidas.* Mirum quæ tenuerit homines libido omnium mutandorum. An non infra: *aliquid etiam inflabat animos claſſis Rhodia.* Cicero ad Atticum: *me ipſe non noram, nec ſatis ſciebam, quid in hoc genere facere poſſem: recte πεφυσίωμαι. nihil eſt præclarius.* Et Philipp. 14. *cum hoc triduo triſtis à Mutina fama manaret, inflati lætitia atque inſolentia impii cives.* At ubi ſtare debuit alterum, ibi labefactarunt: apud Senecam lib. 3. de ira cap. 24. *Quid eſt, quare ego ſervi mei elatius reſponſum, & contumaciorem vultum, & non pervenientem ad me murmurationem flagellis & compedibus expiem?* Sic purgatiſſimi Pintiani & Gruteri. *Hilarius, clarius, liberius, durius*, abortus ſunt male ſive feriatorum ſive operatorum librariorum. Cæſar conjungit utrumque lib. 2. de bello civ. *Hæc ad eam elatius atque inflatius Afranius perſcribebat.* Lib. 3. *de prælio ad Dyrrhachium facto elatius inflatiuſque multo, quam res erat geſta, fama percrebuerant.* Cicero pro domo: *nihil unquam de me dixi ſublatius adipiſcendæ laudis cauſſa.* Cornelius Nepos: *elatius ſe gerere cœpit.*

Cap. 12. *Medio in curſu aquilone in ſeptentrio-*

nem

nem verſu] Glareanus lectori, monet, conſiderandum, quid faciat hæc ventorum commutatio ad impediendam navigationem in Samum. Atqui docere nos potius debebat: quid non faceret ad impediendum curſum, ſi ſuſpectum inconſiderantiæ Livium facere vellet. Hoc certe ſatis clare Livius, ea commutatione exaſperatum fluctibus mare, & inde jactari naves cœpiſſe, ut curſum tenere non poſſent. Neque vero, pergit Loritus, *ſeptentrionis* atque *aquilonis* ventorum diſtinctionem facile invenias, præterquam apud unum Ptolomæum, ea ad hunc locum non multum facientem. Verum & venti *ſeptentriones* communiter vetus & κατ' ἐξοχὴν *ſeptentrio* diſtinctus ab *aquilone* ſatis memorati ſunt antiquis. Cicero lib. 9. ad Atticum ep. 6. *Conſcendiſſe dicitur ante diem quartum Nonas Martias. ex ea die fuere ſeptentriones venti.* Hi ſunt thraſcias, aparctias, aquilo. At *ſeptentrio* ventus κατ' ἐξοχὴν eſt aparctias, interjectus inter thraſciam & aquilonem, Gellio *ſeptentrionarius*. Vitruvius lib. 1. cap. 6. *Itaque ſunt collocati inter ſolanum & africum ab oriente hiberno eurus, inter auſtrum & favonium ab occidente hiberno africus, inter favonium & ſeptentrionem caurus, quem plures vocant corum, inter ſeptentrionem & ſolanum aquilo.* Seneca lib. 5. nat. quæſt. 16. *A ſeptentrionali latere ſummus eſt aquilo, medius ſeptentrio, imus thraſcias.* Meminit & Plinius, etſi aliter collocet.

Cap. 13. *conſilium habitum, utrum extemplo decernerent*] Barberinæ membranæ: *utrum extemplo cernerent, an Rhodiam exſpectarent claſſem.* Nota ſunt Plauti: *Cernit cum hoſtibus*, & *certamen cernitur:* apud Lucretium *cernere bellum*, Virgilium *cernere ferro*. Sed ne ab Livio tamen uſum hunc verbi alienum putes. Lib. 43.

Priuſ-

Priuſquam id ſors cerneret. Et forte pluribus ita locis legeremus, ſi libros per omnia ſatis fidos haberemus.

Cap. 16. *Tum quoque anceps pugna fuit: neque milites ſolum aliquot*] Ita quidem Gelenius: ſed omnes ſcripti cum Andreanis & Aldina: *non quod milites ſolum aliquot, ſeu L. Apuſtius tumultuario prælio cecidit.* Quod nondum plane repudio. Ibidem: *Omiſſa Patara amplius tentandi ſpe, Rhodii domum dimiſſi ſunt.* Reponendum eſſe: *omiſſo Patara amplius tentandi Rhodii:* diximus ad lib. 35, 49.

Cap. 17. *ii frequentes Rhodios orare inſtiterunt*] Vacare τὸ *ii* præcepimus monere ad lib. 34, 56. Hoc ipſo libro inferius cap. 45. *Paucos poſt dies Zeuxis, qui præfectus Lydiæ fuerat & Antipater fratris filius venerunt. prius Eumene convento, quem propter &c. tum T. Scipionem & per eum conſulem adierunt.* Sic lege ex Andreanis & Aldina. Recentiores fecerunt: *hi prius Eumene.* Statim: *ne urbem & vicinam ſibi & cognatam innoxiam perire ſinerent.* Quicquid primo oculi conjectu non caperent, in id pro arbitrio graſſandi ſibi jus attribuerunt. Scripti omnes & Andreanæ: *ne urbem & vicinam ſibi & cognatam innoxiam periiſſe liceret.* Quid hic diſplicuit? an *periiſſe* pro *perire?* At quum *periiſſe* ſit ſimul παρακειμένου & ὑπερσυντελικοῦ χρόνου, *perire* ſimul ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ, notato pridem modo τὸ ὑπερσυντελικὸν ἀντὶ τοῦ παρατατικοῦ eleganter poſitum cogitare debuerant. Iam commodus eſt ſenſus: rogarunt, ut liceret urbem & vicinam & cognatam innoxiam non perire, ſeu ſuperſtitem eſſe. Lib. 40, 51. *& primum quæſivit, ne ſibi liceret ac ſuis vivere?* Vbi tamen, *num ſibi*, malim, aut *ſibine:* niſi dicas vocem exci-

diſſe:

diſſe: potuerat enim eſſe: *pacatone ſibi*: aut ſimile quid. Apparet tamen non admodum diverſe concepta: nam ut rogatur, liceatne vivere, ita recte petitur, ut liceat non perire. Lib. 41. *Romam quod præterea mitteret, non eſſe: neminem eorum per Italiam ire liciturum*. Hoc eſt, non liciturum, quemquam eorum per Italiam iter facere. Et frequens eſt antiquis voces & particulas ſenſu duplices ita ponere, ut ad ſenſum colligendum dividi eas oporteat. Sic *nec* pro & non, *ne* pro ut non. Cæſar lib. 3. de bello civ. *neve ſe loco moverent, aciemque ejus diſtrahi paterentur*. Nam ex particula *ne* pro ut non poſita, τὸ *ut* porrigitur etiam ad proximum membrum verbumque *paterentur*; at negatio illic ſiſtit manetque intra τὸ *moverent*. Sed & aliter ſenſum concinnum ex veteri probata nobis lectione elicias, hunc videlicet, ne paterentur Rhodii hanc in ſe invidiam recidere, ut per ipſos licuiſſet, cum id deprecatione juſta & gratioſa prohibere poſſent, Iaſſenſes miſeros perire. Silius Italicus lib. 14. de Marcello Syracuſarum miſerito, & excidium urbis prohibituro: *Ingemuit, nimiumque viris tantumque licere Horruit*. Martialis: *Debuit hoc tantum non licuiſſe tibi*. Statim nihilo prudentius vulgatæ conditores: *omnium Iaſſenſium unam mentem eſſe, ut ſervitutem regiam effugere vellent*. Nam ſcriptis & Andreanis ſervata Livii manus: *ut ſervitutem regiam effugerent*. Cujus eandem mentem eſſe male neſcierunt. Sic lib. 24. 19. *pugnandum autem eſſe, ſi palam frumentum importaret, videbat*. Vt reſtituimus ex vett. libb. Illi fecerant: *importare vellet*. lib. 25, 33. *ſimul ne metus quidem ab Romanis erat, (quippe tam paucis) ſi vi retinerent*. hoc eſt, ſi vi retinere ſe vellent, aut conarentur. Quod etiam vulgo vitiatum. Lib. 35, 45.

Multa

Multa homines, ne bellarent, remittere. Ita membranacei ſubdiderunt in impreſſis: *ne bellare neceſſe eſſet.* lib. 38, 11. *qui eorum L. Quintio Cn. Domitio conſulibus poſt ve eos conſules armis ſubacti aut voluntate in ditionem populi Romani conceſſerunt, ne quem eorum Ætoli recepiſſent.* Vbi rurſus editum: *recepiſſe vellent.* Cicero lib. 2. de Officiis: *quum conſuleretur, utrum bono viro pauperi an minus probato diviti filiam ſuam collocaret.* Quod utique nihil eſt aliud quam, collocare mallet, conſtituiſſet. Noſter lib. 4. *ſumma vi expugnatum eſſe, ut tribuni militum conſulari poteſtate & ex plebe crearentur.* hoc eſt creari poſſent, vel ut eos creare liceret. Lib. 24. de conjuratione Andranodori detecta: *ſingula deinde, quæ per quoſque agerentur, totamque viris armiſque inſtructam conjurationem ante oculos poſuiſſet.* hoc eſt, agi deberent, vel agi conſtitutum eſſet. Inferius: *pervicerunt, ut oppugnatione abſtineretur.* Cur hoc quoque, quum in ſcriptis & Andreana ſit: *abſiſteretur.* Vt lib. 24. *quum omnis conatus ludibrio eſſet, abſiſtere oppugnatione placuit.* Lib. 44. *Hujus novi præſidii fama abſiſtere oppugnatione ſimul Romanos regemque coegit.* Lib. 38. *non tamen ita infregit animos eorum, ut abſiſterent imperio.* lib. 42. *ſi abſiſtere bello & facere imperata velint.* Male tollit idem verbum Sigonius lib. 24, 20. *ſpe labefactandæ fidei haud abſiſtens.* Ille vix tolerabili ſenſu, certe contra auctoris mentem, *adſiſtens.* Reddendum etiam ex veteri ſcriptura lib. 36, 45. *poſteaquam celeritate navium, utpote levium ſuas commeatu onuſtas eludi fruſtra tendentes viderunt, tandem abſtiterunt.* Sic mss. & Andreanæ: non *ſubſtiterunt.* Denique: *vocatoſque Rhodios quum percontatus eſſet, poſſetne Pataris univerſa claſſis in portu ſtare.* Iam diximus in membranis Bar-

berin.

berin. Florentin. Venetiſ, Naudæi, Petavianis Andreaniſque editionibus eſſe integre: *quum percontatus eſſet, utrumnam Pataris univerſa claſſis in portu ſtare poſſet.*

Cap. 18. *partim ſociis ferendo opem*] Parum refert, ſed Barber. Petav. *ſociis ferendo auxilia.*

Cap. 19. *non ex auctoritate ſenatus, non juſſu populi Romani*] Barber. & Petav. *injuſſu populi Romani.* Cur non tulerunt? nempe ut poſſent oſtentare magiſtri in figuris τὸ *non* repetitum.

Cap. 20. *ægre id permittente Attalo, quippe qui centum*] Andreanæ: *Ægre id permittere Attalus.* Quod allubeſcit ex creberrimo noſtri more. Videntur mutaſſe, qui ſic minus putabant ſequentem periodum huic continuari. Quaſi non eſſet perinde ac ſi dixiſſet: *Ægre id Attalus permiſit:* hoc autem verbum intelligit neceſſarium ſuum caſum *roganti:* de quo, non de alio, ergo intelligas, quod ſequitur *porta egreſſus.* Hujuſmodi oratio defecta ad rei caput properantis multumque ingenio lectoris confidentis mire decet hiſtoricos, & per eſt amata Livio. Quod qui non caperent, ingentem farraginem particularum, toties item relativa, *is*, *qui*, & ſimilia locis, quibus iſta ſtudioſe ſpreverat, auctori noſtro adleverant. Hic mihi in mentem venit, quod narrat Plinius de avunculo ſuo: amico, quum lector quædam perperam pronunciaſſet, revocanti ac repeti cogenti dixiſſe eum: intellexeras nempe? & annuente altero, cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus. Idem ego illis dicam: intellexeratis nempe, libros meliores conſentire in ſpernendis illis veſtris ſupplementis non ignorabatis: quid ergo moramini auctorem hinc dignitatem ſermoni ſuo comparantem, & ironum aut indoctorũ captui attemperatis? Ne Si-

gonius quidem ab hac culpa immunis eſt. Sic lib. 2,47. *Prima excepta à circumſtantibus tela ſuſtineri deinde vis nequit. Conſul mortifero vulnere ictus cadit.* Ille: *Demum conſul.* lib. 3,45. *Placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendiſſet.* Ille: *Quum placidum.* Lib. 4,54. *quæſturamq; eam non honoris ipſius fine æſtimabant.* Facit: *quæſturā namque.* Eodem cap. ſequenti: *Conſules ambo profecti.* Auget: *Cæterum conſules ambo profecti.* Lib. 5,25. *Simul extrahi rem viderunt.* Dat nobis: *Simul ut extrahi.* Lib. 6,38. *& quoad uſq; ad memoriam noſtram tribunitiis conſularibuſque certatum viribus eſt, dictaturæ ſemper altius faſtigium fuit.* Exhibet: *quod uſque ad memoriam noſtram, quoties tribunitiis.* Lib. 7,17. *Quia nec per dictatorem plebejum*, &c. Abruptum ei videbatur, niſi fieret: *Et quia.* Lib. 8,30. *ſeu credere libet.* Non placuit, niſi eſſet: *ſeu ſi credere libet.* Lib. 10,6. *non infimam plebem accenderent, ſed ipſa capita plebis.* Neceſſum fuit facere *non infimam modo plebem.* Quæ omnia ſunt à magiſtellis, & peſſimæ notæ illorum librorum, à quibus vir cætera tam doctus, quum meliorum copiam uberem illi ſua Italia præberet, induci ſe paſſus eſt. Et multa talia Rhenanus Geleniuſque antea exſtirparunt: nobiſque tamen meſſem magnam reliquerunt, ut ſuis indicatum locis. Ibidem de Diophane Achæo: *ipſe princeps cum turma ſua, quantum potuit, effuſiſſimis habenis* &c. Scripti, *quam poſſet, effuſiſſimis.* Idemque ſuadent Andreanæ, in quibus: *quam poſſent.*

Cap. 30. *& maximæ formæ naves tres hexeres*] Conſidera proxima, & gloſſema videbitur eſſe τὸ *naves.* Ibidem: *ſublatis raptim dolonibus (& erat ſecundus petentibus Epheſum ventus) capeſſunt fugam.* Sic Aldina neſcio quo auctore. Sed Barberin. Petav. Naud. quos ſuper hoc loco conſului-

ſuluimus: *ſublatis raptim dolonibus Epheſum petunt fugam.* Nihil præterea. Andreanæ prorſus eodem modo, niſi quod *fuga*. Et plane perſuadent in vulgatis male tractatum Livium. Quid enim hic opus de ſecundo Epheſum petentibus vento monere? Vtrovis autem modo mavelis, habet ſuam venerem. Cæſar lib. 2. de bello Gall. *quum ſe in caſtra reciperent, adverſis hoſtibus occurrebant, ac rurſus in aliam partem fugam petebant.* Alterum defendimus olim contra Sigonium lib. 7, 11. *fuga Tibur petunt.* Vbi ille: *fugati.* Lib. 44. *relictiſque equis effuſa fuga urbem petebant.* Tacitus quinto hiſtor. *pulſique Germani Rhenum fuga petebant.* Statim tres dicti: *quarum decem tris captæ.* Andreanæ: *decem & tres.* Mox habetur: *quum divellere ſe ab hoſte cupientes inhiberent Rhodii, tractu anchorali & implicitum remis latus alterum deterit.* Sic vulgo legimus à cura Sigonii, qui loci hujus ſententiam adſecuti non ſint, eos dum emendare conantur, penitus eum deformaſſe præfati. Ipſe totam orationem referendam cenſet ad vocem *anchora*, quæ & alligaverit proram Rhodiæ navis, & tractu anchorali latus ejus alterum implicitum remis deterſerit: duo incommoda ab illa anchora eſſe illata; alterum ab unco dente, quo alligata Rhodiæ prora eſt, alterum à loris, quibus anchora tenetur, à quibus remi alterius lateris ejuſdem navis deterſi atque reciſi ſunt. Vir doctiſſimus facundus eſt in eo, de quo dubitabat nemo, qui modo lectionem à Gelenio ex præclaro haud dubie codice prolatam, ut quidem ipſe voluit, intellexiſſet: id quod proprie ad rem ab ipſo tentatam pertinebat, quomodo nempe iſtum ſenſum è lectione ſua educeret, neglexit? Quis enim iſte *tractus anchoralis?* ſi idem quod adductio, promotio, ſcilicet voluerit Livius: *anchora*

anchora adductione remos perfregit: ſin idem quod funis,ut videtur velle, quum lora dicit, quem dabit auctorem *tractum* eſſe funem ? Niſi forte,quia Itali dicunt, *un tratto di fune*, *tractus* eſt funis Latinis. At vero quam belle: *anchora tractu anchorali ?* cur non potius *ſuo ?* Porro quid *latus remis implicitum ?* Itane *remis* dicitur *implicari* navis, quæ remis agitur ? Et quia unius modo lateris remis impliciti mentio, an ab altero remigium non erat? Nihil pejus utique hac lectione: etſi noſtri quoque ſcripti fere non aliter. Veriſſime igitur & Latine Gelenius: *tractum anchorale & implicitum remis, latus alterum deterſit. Anchorale* pro ſubſtantivo poſitum eſt ipſe funis anchoralis. Gelenius ait dictum, ut *haſtile:* recte. nam ut *haſtile* intelligit *lignum*, ita *anchorale* ſubaudit *retinaculum*. Sic *vorſoria* vel *verſoria* abſolute funis, quo velum & inde curſus navigii vertitur, à quo *vorſoriam capere* apud Plautum: adjectivum revera, ſed in quo intelligitur *funis*, ambigui generis antiquis: quemadmodum & in *rudens*, quum ait Comicus: *dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico.* Neque enim confixit oculos cornicum Pineda, qui refutat omnes *vorſoriam* de fune nautico interpretatos: & vult ſimpliciter accipi: *cape vorſoriam*, hoc eſt, verte iter, ut Itali dicunt: *da volta.* Nemo quidem neſciebat, nihil aliud velle Plautum: ſed quæritur, quid proprie ſit *vorſoria.* Adjectivum eſt utique inclinatum ex *vorſorius*, neque poteſt intelligi ſine explicato ſuppoſito, quod aliud eſſe nequit, quam quod diximus. Et ab re nautica petitam tranſlationem (non utique à pyxide nautica, neque hoc cuiquam in mentem venit), manifeſta res eſt: cur enim alioqui mentio venti ſecundi, favonii ſereni, auſtri imbrici, cœli ſplen-

dore

dore pleni, nubium & imbris? Secundum hæc nautici verſoriam capiunt, nam utcunque in alto ventus, exin velum vortunt. *Verſoria* igitur pro fune ſeu rudente veli verſoria, ut *haſtile* pro ligno haſtæ, *anchorale* pro retinaculo anchoræ: & ſunt ejuſmodi infinita. Id igitur anchorale, excuſſa anchora in navem hoſticam Sidoniam, quum in puppem remigarent Rhodii, tractum ab anchora inde religata, & dum præpropere ac tumultuoſe evolvitur, magna parte delapſum in mare ab latere uno navis, atque ita implicitum remis ejuſdem lateris, id ipſum deterſit claudamque navem fecit. Hic verus ſenſus hujus loci, atque iſta unica vera lectio.

Cap. 31. *Sed obſidionem etiam per totam hiemem tolerare*] Andreanæ & ſcripti: *etiam tota hieme tolerare.*

Cap. 33. *Conceſſum ſibi tranſitum cernentibus in Aſiam*] Scripti conſenſu: *conceſſum ſibi tranſire cernentibus in Aſiam.* Quod nollem faſtidio fuiſſe iis, qui vulgatum de ſuo exhibere maluerunt. Sic lib. 1, 54. *Patuit quibuſdam volentibus fugere, aut in exilium acti ſunt.* Nam ita duo meliores Pall. ubi vulgo, *fuga.* Sic *dare bibere* apud Plautum. Cicero in Tuſculanis: *ut Iovi bibere miniſtraret.* Silius: *Queis ſuperare datum.* Ibidem: *iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, qui Salius erat, disjunxerant ab exercitu.* Veteres libri: *dejunxerant.* Scribe: *dijunxerant.*

Cap. 34. *In eo tumultu delapſo equo cum duobus equitibus oppreſſum*] utrum *lapſo*, an *delapſum equo?*

Cap. 39. *Lævum cornu non videbatur egere talibus auxiliis*] Andreanæ abſque τοῦ *egere: non verebatur talibus.* An fuit: *non egere rebatur talibus auxiliis?* Ibidem: *Hæc ſumma copiarum erat Romanis,*

manu, & duo millia miſtorum Macedonum Thracumque, qui voluntate ſecuti erant. hi præſidio relicti ſunt caſtris. Andreanæ pronomen *hi* pro ſuppoſititio exigunt. Scribe diſtinctione mutata: *& duo millia miſtorum Macedonum Thracumque qui voluntate ſecuti erant, præſidio relicti ſunt caſtris.* Clarum eſt illud genus compoſitionis, *duo millia relicti*, offendiſſe ſarcinatores. Quaſi non ſequenti capite ſit: *ſimiliter his armati duo millia Cappadocum ab Ariarathe miſſi rege.*

Cap. 43. *Effuſe ſequenti regi acriter reſtitit*] Scripti & Andreanæ: *obſtitit.* Salluſtius: *exercitus hoſtium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obſtant.*

Cap. 51. *Deſierant enim victam Ætoliam metuere*] Hic male interpolavit Gelenius, dubium ex ingenio an ex libro ante malam manum paſſo. Verum eſt, quod habent omnes noſtri ſcripti & editi olim: *deſierant enim victum in Ætolia metuere.* De ſolo enim hic Antiocho ſermo eſt: neque erat ea tum reipublicæ Romanæ conditio: ut iſto bello valde timerent Ætolos: itaque nec timere eos deſierant. Quin etiam non ſoli Ætoli (fuerant eorum tantum quatuor millia) ad Thermopylas ab Acilio Glabrione conſule erant devicti, ſed maxime Antiochus tota Græcia expulſus. Deceptus videtur auctor illius lectionis Livii verbis, quæ ſunt prope finem hujus libri: *Cæterum vere æſtimanti, Ætolicum magis ad Thermopylas bellum, quam regium fuit. quota enim parte virium ſuarum ibi dimicavit Antiochus?* Sed tamen hæc ipſa non Ætolos modo, verum etiam regem in parte virium devictum indicant. P. Scipio apud Appianum ad legatos Antiochi: ἐς τε τὴν Ἑλλάδα διελθὼν ἐδούλουτο τοὺς Ἕλληνας ὑπὸ Ῥωμαίων ἄρτι αὐτονόμους ἀφε-

ἀφθμδύες, μέχει περὶ Θερμοπύλας ἠτλή-θη μάχη.

Cap. 52. *Quam ſe commemorante cognoſcere dixit*] Andreanæ: *cognoſci*. Fuit, *cognoſſe*. Ibidem: *quæ commoda regno ſuo ſint, ipſum optime ſcire*. Scripti: *quæ adcommodata regno ſuo ſint*. Vel, *accommodata*. Vt & Andreanæ. Quod non debuit mutari. Cicero lib. 3. famil. 5. *per fore accommodatum tibi, ſi ad Sidam maritimam partem provinciæ navibus acceſſiſſem*. Noſter lib. 38. *At hercule, in Scipione ipſas pacis leges, ut nimium accommodatas Antiocho, ſuſpectas eſſe*.

Cap. 53. *Terreſtribus navalibuſque copiis, ut nemo*] Elegantem Græciſmum hic aboleverunt Livio pravi correctores. Omnes enim ſcripti & Andreanæ: *Pedeſtribus navalibuſque copiis*. Cujus illud eſt interpretamentum. Noſter lib. 26. *ipſe paucos dies, quibus morari Carthagine ſtatuerat, exercendis navalibus pedeſtribuſque copiis abſumſit*. Quæ non ſunt aliæ quam terreſtres, equitatu comprehenſo. Epitome libri 93. *Apparatus deinde regiarum copiarum pedeſtrium navaliumque*. Amavit & Cornelius Nepos. Alcibiade: *Lacedæmonios eo nolle confligere claſſe, quod pedeſtribus copiis plus quam navibus valerent*. Conone: *Nam & prætor pedeſtribus exercitibus præfuit, & præfectus claſſis res magnas mari geſſit*. Dione: *quorum conſenſu præerat claſſi, cum Dion exercitum pedeſtrem teneret*. Et alibi ſubinde. Curtius l. 4. *Vos quidem fiducia loci, quod inſulam incolitis, pedeſtrem hunc exercitum ſpernitis: ſed brevi oſtendam, in continenti vos eſſe*. Latinus Pacatus in Paneg. *Attritam pedeſtribus præliis Bataviam referam? Saxo conſumtus bellis navalibus offeretur*. Sic Græcis, πεζικαὶ δυνάμεις, πεζὴ δύναμις, πεζικὸς στρατὸς, & opponuntur ναυτικὴ καὶ πεζι-

πεζικὴ στρατιὰ, στρατόπεδον πεζὸν καὶ ναυτικόν. Polybius: Γάϊος μὲν Φούλουιος ἐξέπλει ναυσὶ διακοσίαις ἐκ τῆς Ῥώμης· Αὖλος δὲ Ποστούμιος τὰς πεζικὰς ἔχων δυνάμεις ἐξώρμα. Res frequentiſſima & notiſſima.

Cap. 54. *Et Cherſoneſus quaeque circumjacent Europæ*] Non ſe intelligere confitetur Glareanus. Sed dividenda vox *Cherſoneſus*, & ejus pars poſterior intelligenda in illis, quæ adduntur: *quæque circumjacent Europæ*, νῆσοι puta ſeu inſulæ. Pariter libro ſequenti c. 19. *tria maria pari fere diſtantia intervallo habet: Helleſpontum, ad Sinopen, & alterius oræ litora; quæ Cilices maritimi colunt.* Hic dividenda vox *Helleſpontus*, & pars ejus poſterior intelligitur in ſequētibus, *ad Sinopen, & ad alterius oræ litora.* Ibidem: *hoc patrocinium receptæ in fidem & clientelam veſtram univerſæ gentis perpetuum eos præſtare decet.* Vox *gentis* neque in ſcriptis eſt ullis, neque Andreanis. Deleatur igitur, quippe quæ commodiſſime intelligendo repetatur ex periodo præcedente: *Gentis vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque.* In fine: *quod ſi comprobaveritis.* Andreanæ: *comprobaritis.* Cujuſmodi contractiones amare Livium pluſculis aliis locis indicatum.

AD
LIB. XXXVIII.

CAP. 1. *Remiſſique nuntii ab eo ad principes Argitheam*] Scripti, Andreanæ & Moguntinus: *remiſſique ab eo nuntiant principibus Argitheam.* In cujus comparatione meis auribus alterum ſordet

dec & mendoſum tinnit. Non placuit corruptoribus illud *nuntiant* ſine appoſito ſubſtantivo. Quæ & cauſa fuit inquinandi illius lib. 23. 27. *quem ut adeſſe tumultuoſè nuntiavere refugientes ex ſpeculis ſtationibuſque ad arma conclamatum eſt.* Vt ibi diximus. Eodem libro ſuperius: *Annibal Acerris direptis atque incenſis, quum a Caſilino dictatorem Romanum legioneſque eminus adſpici nuntiaſſent.* Eadem ratio vim attulit verbis his libri 21, 49. *ubi ſignum datum eſſet, ne quis moram conſcendendi faceret, perque omnem oram uti ex ſpeculis proſpicerent adventantem hoſtium claſſem.* Ita enim legendum. Vulgo: *oram qui erant ex ſpeculis.* Sed verbum nullis in veteribus libris repetitur. lib. 40. *ulteriorem Celtiberiæ agrum, unde ad deditionem non venerant, inſtitit vaſtare.*

Cap. 3. *Nihil ne bellum haberent, priuſquam pœne in conſpectu hoſtis erat, præmeditati*] Sic omnes libri ſcripti & cuſi. Et quid hac lectione clarius? Arguit fatalem ſecuritatem ac ſtultitiam Ætolorum, qui quum ſcirent nullo modo ad bellum gerendum cum Romanis ſe pares eſſe, tamen ſederant otioſi, neque adhibuerant curam, ut pacem impetrarent, donec eo res adducta eſſet, ut jam propemodum in cervicibus conſulem cum exercitu haberent. Verba perdere in re perſpicua piget. Vbi mens igitur Sigonio, quum ſententiam hanc ſine dubio vitioſam eſſe diceret? Quærit quid ſibi velit: *priuſquam pœne in conſpectu hoſtis erat?* Et mentem ſcriptoris ſe ſequuium cenſere legendum: *prius (nam pœne in conſpectu hoſtis erat) præmeditati.* Ego vero quam mentem auctoris ſequatur, aut quid omnino ſibi velit talia corrigendo vir doctus, diu quæſivi, nec invenio.

Cap. 7.

Cap. 7. *Suſpenſo fulturis ab hoſtibus muro*] Gelenii eſt ex codice hic certe interpolato. Noſtri cum prius editis: *ſuſpenſo furculis ab hoſtibus muro.* Idque firmavit auctor jam ſibi lib. 1. *Loca diviſa Patribus equitibuſque, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent, fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes.* Varro lib. 1. de re ruſtica: *Sub eam, ubi naſcitur uva, ſubjiciuntur circiter bipedales è ſurculis furcillæ, ne vindemia pereat.*

Cap. 9. *Quia ſuorum animos indomitos ac immutabiles noverant*] Et hic aliquis improvide plus veteribus libris ſapere voluit, in quibus omnibus, *mutabiles.* Legati, quibus in junctum erat, ut ſi poſſent, æquis, ſin, tolerandis quibuſcumque conditionibus pacem facerent, omniaque agerent, ut in tali caſu tantaque conſilii inopia éque fide ſua eſſe cenſerent, hoc verebantur, ne acceptæ conditiones nimis duræ viderentur, & ventoſi Ætoli mutatis ſtudiis inde quodvis bellum mallent, primaſque iras in ipſos quaſi turpiter depectos exercerent. Ætolos, ut eos Polybius paſſim Liviuſque deſcribunt, his forte in rebus cenſeas immutabiles fuiſſe, cupidine prædandi & impatientia otii; cætera non homines, ſed chamæleontes. Quintius lib. 33. negare, *Ætolos ſibi ipſis convenientem ſententiam dixiſſe.* Ibidem: *Vos ſocietatis iſtius leges rupiſtis, quo tempore relictis nobis cum Philippo pacem feciſtis.* Talia de illis apud duos in primis memoratos, ὅσα κόνις. Ibidem: *id quum per colloquia principum ſuccedens muris parum proficeret.* Poſſis ſuſpicari τὸ *id* vacare: ſed ſolet interdum Livius ornatus potius quam neceſſitatis cauſſa adjicere. ut & lib. 36. *id quum ad dignitatem ejus fidemque pertinere, non rodi ſocios, tum etiam ad incolumitatem regni,*

non ſinere Romanos omni cura vacuos. Eundem pleonaſmum in τῷ *quod* notavimus contra Rhenanum ad lib. 27. Noſter lib. 32. *Quod ut ſatis apparuit, non tædere belli ſenatum, & ipſe victoriæ quam pacis avidior, neque colloquium poſtea Philippo dedit, neque legationem aliam, quam quæ omni Græcia decedi nuntiaret, admiſſurum dixit.* Lib. 37. *Quod ubi Eudamus, qui cogebat agmen, vidit, non poſſe exæquare ordinem Romanos, & tantum non jam circumiri à dextro cornu, concitat naves.* Cæſar lib. 3. de Gall. *Quod ubi Craſſus animadvertit, ſuas copias propter exiguitatem non facile diduci, hoſtem & vagari & vias obſidere & caſtris ſatis præſidii relinquere* &c. Cicero lib. 4. ad Attic. Epiſt. 2. *ut nulla re impedirer. quod ne, ſi vellem, mihi eſſet integrum aut ſi comitia cenſorum proximi conſules haberent, petere poſſe, aut votivam legationem ſumſiſſe.* lib. 16. Ep. 5. *Quod niſi fidem mihi feciſſet, judicaſſemque hoc, quod dico, firmum fore, non feciſſem id, quod dicturus ſum.* Cæterum *ſuccedens muris* eſt ab Sigonio, quum & ſcripti & editi veteres: *ſuccedens murum.* Quod nobis mutari non placet ob ea, quæ diximus ad lib. 31, 45. Secus haud ignoro & *ſuccedere muris* & *ſuccedere ad vallum* alibi dici noſtro: ſed de veteri lectione quæritur.

Cap. 11. *Ne quem eorum Ætoli recepiſſe vellent*] Scripti & Andreanæ, ut diximus, *recepiſſent.* Eodem ſenſu, vel pro *reciperent.*

Cap. 12. *Domum ad comparandum copias dimittit*] Copias iſtas plane ſcriptæ membranæ exauctoratas dimittunt, neque amplius quam: *pollicentem ſuam ſuorumque operam domum ad comparandum dimittit.* Vbi quum aliquid deeſſe falſo crederent, adſciverunt *copias:* quos inter ipſe, proximus alias ſcriptis, Iohannes Andreas. Nos

vero

vero hanc quoque elegantem formulam l[illegible]en-di Livio vindicamus, ipſo auctore. Lib. 35. *ut tædio & impetus elangueſcat regis & Romani tempus ad comparandum habeant.* Lib. 42. *Fallaci deinde colloquio per ſpeciem reconciliandæ pacis extractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent.* Et ſic fuiſſe olim perſuaſus ſum. lib. 36, 3. *In comparando impigre C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paulliſper tenuit.* Cornelius Nepos Thraſybulo: *Hæc enim illos ad perſequendum ſegnes, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robuſtiores.* Annibale: *Quum in apparando acerrime eſſet occupatus, Carthaginienſis bellum cum Romanis compoſuerunt.* Neque abſimile illud lib. 34. *Nihil jam præter nudum ſolum ager hoſtium habet. Ad hoc hiems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.*

Cap. 15. *quia nulla legatio ad fines præſto fuerat*] Repoſuimus è Mss. *finem.* Sic amat noſter. Lib. 2. *qua Tuſcus ager Romano adjacet, ſua tuta omnia, infeſta hoſtium, vagantes per utrumque finem fecere.* Lib. 4. *quibus venientibus, ad finem legatio Vej ntium obviam fuit.* lib. 33. *redeuntes inde Ligurum extremo fine incidunt in agmen Romanorum.* Ibidem lege cum iiſdem: *vix quinque millium toto die itinere perfecto.*

Cap. 17. *Ad hos cantus ineuntium prælium*] Cur non *incoantium*, ut eſt in Mss. quod & volunt Andreanæ exhibendo: *incohantium.* Inferius: *pugnando cum ferociſſimis gentibus emenſi* Vir doctus ad Florum corrigit, *emerſi*: quoniam cum hoc verbo conjungit, quod præcedit, *per aſperrimam Illyrici oram.* Cæterum id non opus eſt, ſi recte diſtinguas, & quidem ita: *extorres inopia agrorum profecti domo per aſperrimam Illyrici oram; Pæoniam inde Thraciamque pugnando*

do [illegible] ferociſſimis gentibus emenſi, has terras ceperunt. Ea phraſi apud Plautum Pſeudolo a. 4. ſc. 4. eſt. *Quia hinc metimur gradibus militariis.* Neſcio an hoc ſatis Latine, inquit Douza: reſcribo, *metamur*; hoc enim purum putum caſtrenſe ac militare vocabulum. Immo maneat antiquum. *Metamur* caſtra, agrum, hoſpitium; *metimur* cum alia, tum tranſlate eleganter *viam*, quam carpimus. *Metari* eſt fines ſeu metas ſtatuere & deſignare; *metiri* eſt eadem cognoſcere, menſuram modumque colligere. Horatio *decempedis metata porticus*, eſt, ut ait Acro, *menſurata, diſpoſita: nam metari caſtra magna cura ducum peritiaque conſtitui.* Eidem: *metatus agellus* eſt adſignatus & diviſus limitibus conſtitutis. Valerio Catoni in Diris, *metata agellos pertica.* Virgilius decore: *ſi pinguis agros metabere campi.* id eſt eliges & ſecernes vitibus ponendis, locum vitibus capies in agris pinguis campi. Latinus Pacatus in Panegyrico: *divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hoſpitium.* A quo uſu *metata* in jure noſtro, quæ & μετᾶτον ἢ μιτᾶτον poſterioribus Græcis. Palmarius error, non emendatio, eſt Gebhardi apud Propertium lib. 3. el. 3. *Contentus niveis ſemper vectabere cygnis, Nec te fortis equi ducet ad arma ſonus.* Quærit, quid eſt *vectari cygnis?* Sane docuerat ex Horatio Paſſeratius Veneris currum ab oloribus trahi. Sunt & Apollinis aves cygni. Cicero libro 1. Tuſcul. quæſtionum. Martialis: *Campis dives, Apollo, ſic marinis, Sic ſemper ſenibus fruare cygnis.* Quid ergo mirum ſi Poëta cantans amores dicatur Veneris curru vehi, ejuſdem ſimul & Apollinis avibus juncto? ut qui aliorum deorum res geſſiſſe narrantur, illorum curribus uſi: Triptolemus Cereris, Medea draconibus Hecates, &

Martis

Martis equis Acheronta fugiſſe Quirinum fabulatur Horatius. Opponitque *vectari niveis cygnis* ac *duci fortibus equis*: quia eſt verbum illud voluptatis & inceſſus pacati ac modici. Petronius: *qua voluptatis cauſſa huc atque illuc vectatur.* Iuvenalis: *quanta nemorum vectetur in umbra.* Noſter lib. 34. *ut carpentis feſtis profeſtiſque diebus, velut triumphantes de lege victa & abrogata, per urbem vectemur.* Plautus Rudente: *Poſt animi cauſſa mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum, Oppida circumvectabor.* Sed vice omnium defendit Propertium Ovidius tertio de arte: *Luſus habet finem. cygnis diſcedere tempus, Duxerunt collo qui juga noſtra ſuo.* Ille autem oſtentat pro vero, quod ab errore librarii in quodam codice fuit: *metabere cygnis.* Iubet, inquit, eſſe cygnos metatores Propertio. Immo ſi ita ſcripſiſſet, potius Propertium juberet eſſe metatorem cygnis: aut Latine neſcimus. Prorſus hoc nihil eſt, *metari cygnis*: neque enim homo dicitur *metari* πυϑηπκῶς. Verba autem militaria, quæ in vicinia ſunt, omnia prohibet arcetque à Propertio Calliope, minime tribuit ipſi. Quod vero addit ex Seneca: *Nunc nemoris alti denſa metatur loca*: nihil ad Dionyſum. Eſt enim illud, capit ac definit ad ſtruendas feris inſidias. *Metiri* aliud eſt. Seneca epiſtola 88. *Metiri me geometres docet latifundia.* Id mox explicat: *ſcire agellum in partes dividere, colligere ſubtiliter pedes jugeri, & comprehendere etiam, ſi quid decempedam effugit.* Vt metatoris eſt modum ac limites agro vel caſtris conſtituere, hoſpitium capere & adſignare: ita menſoris, *agri menſuram agere* & *modum ejus renuntiare*, ut loquuntur Paullus & Vlpianus D. ſi menſor falſum modum dixerit: ad caſtra (etſi Lucilium auſum ſciam) & hoſpitia

non pertinet, niſi quatenus metator ante metitur, vel menſoris opera utitur in caſtris aut agris adſignandis. Ab eo *metiri viam* tralate Horatio: *Sacram metiente te viam.* Vbi Acro: *metientem* dixit *ambulantem*, ut: *Inſtabili greſſu metitur litora cornix.* Qui verſus eſt Lucani lib. 5. Et ſic *emenſi, permenſi, remenſi* viam dicimur. Ennius annali primo. *Hinc campom celeri paſſu permenſa parumper, Conjicit in ſilvam ſeſe.* Vbi fruſtra ſollicitarunt. Appulejus 1. metam. *roſcida ceſpitum & glebeſa camporum emenſa.* Frontinus 3. Strateg. 11. *cum tridui iter diſcedens confeciſſet, idem illud uno die remenſus.* Sic ergo Plauto, *metimur hinc*, puta viam, *gradibus militariis*, nihil eſt aliud quam Truculento a. 2. ſc. 2. *abimus hinc grandi gradu.* Sed ut & viro pro conatu Livii juvandi nos conatum Flori reſtituendi reddamus, verba ſunt ibidem lib. 3, 10. *Sed ille qualis erat ad nuntium rei feliciſſimæ temeritatis? Per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias & nives expedita manu emerſus occupat Galliam.* Non eſt operæ doctiſſimorum virorum conjecturas repetere. Scribendum cenſemus: *Sed ille, qualis erat ad nuntium, (res feliciſſima temeritatis!) per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias & nives expedita manu emerſus, occupat Galliam.* Πανηγυρικώτερον eſt, *qualis erat ad nuntium*, nota incredibilis feſtinationis. Tale quid de Rhodogyne refert Polyænus lib. 8. Ροδογύνη λουομένη τὰς τρίχας ἐρρύπλεξο. ἧκέ τις ἀγγέλλων, ἔθνος ὑπήκοον ἀφέστηκεν. ἡ δὲ οὐκ ἀποκρυψαμένη τὰς τρίχας, ἀλλ' ὡς εἶχεν, ἀναδησαμένη, τοῦ ἵππου ἀνέβη, καὶ τὴν στρατιὰν ἐξήγαγε. *Ad nuntium* eſt eo momento quo nuntium accepit, ut capite præcedenti: *ad rei famam veneno fata*

præcepit. Simulatque nuntium allatum eſt. Simili autem exclamatione lib. 1, 7. *cedentibus cateris diis (mira res dictu!) reſtitere Iuventas & Terminus*. Et alibi.

Cap. 18. *Et legati compulſi reguli orantes*] Certe pellendus eſt regulus iſte *compulſus* ipſi olim Livio incognitus. Delet vocem Sigonius, neque comparet in Barber. & Petav. Sed Naudæanus retinet, & videtur ex duabus aliis corruptis conflata, ſcriptumque fuiſſe quondam: *Eo miſſi ad Epoſſognatum redierunt, & legati cum illis reguli orantes, ne Tectoſagis bellum inferret: ipſum in eam gentem iturum Epoſſognatum, perſuaſurumque, ut imperata facerent*. Miſerat ad Epoſſognatum Gallorum regulum legatos conſul: hi in caſtra ad Alyattos redierunt, unaque cum illis legati ab regulo, ad quem ierant, Epoſſognato. Delevimus & vacantem copulativam.

Cap. 19. *Helleſpontum, ad Sinopen & alterius oræ litora*] Freinshemius: *Helleſpontum, Pontum ad Sinopen & alterius oræ litora*. Quid nobis videretur, diximus ad librum præcedentem, c. 54. Sed & ita poteſt explicari: tria maria habet, unum quod proprio vocabulo dicitur Helleſpontus, alterum ad Sinopen, & tertium ad alterius oræ litora, qua Cilices maritimi colunt. At recte ibidem Freinshemius: *alium montem Magaba*. Qui & divine apud Florum lib. 2, 12. *in altiſſimos ſe montes recepiſſent, quos Tholiſtoboji Olympum, Tectoſagi Magaba inſederant*. Andreanæ: *Magava*.

Cap. 23. *Conſul caſtris captis direptione prædaque abſtinet*] Andreanæ: *præda quibuſque abſtinet*. An fuit: *direptione prædatibuſque abſtinet*. Neque enim incommoda vox ſit per analogiam *prædatus*. Iubeo & illos, quibus copia eſt bono-

rum Valerii Maximi ſcriptorum exemplarium, conſulere illa de loco lib. 2, 3. *Nam cum equitatui Campanorum crebris excurſationibus equites noſtri, qui numero pauciores erant, reſiſtere non poſſent.* Nam codex Andinus, unde complura loca ejus auctoris egregie reſtituta aliquando, ſi Deus dabit, cum ſtudioſis communicabimus, plane *excuſatibus*: ut, *excurſatibus* videatur voluiſſe. Adde quæ notavimus lib. 3. obſervat. 21. Ibidem Barberinus & Petav. *Valerius Antias, qui magis in numero augendo eſſe ſolet:* omiſſo τῷ *immodicus*: de quo diſpice. In fine ſcripti: *nam ſingularis ejus viri tum virtus & induſtria.* Parum intereſt.

Cap. 25. *Iacta ſunt pacis conditiones*] Sigonius notat in veteribus libris aliis fuiſſe *icta*, aliis *jacta*: ſed ſe malle, *dicta*. Plane & Barber. Petav. Naud. *jacta*. Id quod aut mutandum omnino non eſt, aut mutandum non aliter quam in *jactatæ* ex conſuetudine Livii. Lib. 2. *Iactatum in conditionibus pacis nequicquam de Tarquiniis in regnum reſtituendis.* Lib. 33, 34. *Primi omnium regis Antiochi vocati legati ſunt: his eadem, quæ fere Romæ erant, verba ſine fide rerum jactata. Nihil jam perplexe, ut ante, quum dubiæ res incolumi Philippo erant, ſed aperte pronuntiatum, ut excederet Aſiæ urbibus.* Hæc vetus lectio eſt unici illius codicis Moguntini, unde primum pars ea typis deſcripta: in qua cum minus cohærentiæ putaret eſſe, ſed erronee, Gelenius, fecit, *ſine fide rerum jactantibus*. Lib. 37. *Smyrnam enim & Lampſacum & Alexandriam Troadem & Lyſimachiam in Europa, jactatas in diſceptationibus eſſe.* Lib. 39. *Lacedæmonii deinde introducti ſunt. multæ & parvæ diſceptationes jactabantur.* Quæ mire confirmant lectionem vulgatam

tam

tam lib. 27, 9. *Quum alternis hæc conſules diu jactaſſent, nihil moti legati.* In libris optimis eſt *dimaſtaſſent:* ex quo longe melius utique, qui illud, quam qui fabricarunt, quod laudat Sigonius: *demonſtraſſent.* Confirmant & noſtram emendationem lib. 30, 33. *Ita infecta pace, ex colloquio ad ſuos quum ſe recepiſſent, fruſtra verba jactata, renuntiant; armis decernendum eſſe.* Nam ſcripti, *verba pacata* vel *peccata* vel *peracta*, omnes vero, *renuntiant.* Andreana quoque, Aldina, immo omnes ante Sigonium: *verba pacata renuntiant:* & fatetur Glareanus τὸ *pacata* ſe non intelligere. Sigonius quum in aliquot vet. libris ut ait, inveniſſet *verbis* (nobis id conſpicuum nuſquam, nec fuit in tribus Pall.) de conjectura nobis dedit vulgatum: *fruſtra verbis tentatam rem nuntiant.* Non metuo de judiciis peritiorum. Plinius lib. 9. epiſt. 13. *Longum eſt omnia, quæ tunc hinc inde jactata ſint recenſere.* Tacitus 2. hiſt. *Id ſenatuſconſultum varie jactatum, & prout potens* vel *inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur.*

Cap. 26. *Velut deſtinatum petentibus*] Puto excidiſſe præpoſitionem: *& ſtantes quo denſiores erant, hoc plura, velut ab deſtinatum petentibus* (Romanis,) *vulnera accipiebant.*

Cap. 29. *Quatuor menſes obſidionem Samæi ſuſtinuerunt.*] Scripti: *Same ſuſtinuit.* Egit præcipites in mutationem, quod ſequitur: *quum ex paucis quotidie aliqui eorum caderent.* Hoc putarunt requirere *Samæi*, non *Same.* Liberamus illos hac cura. Lib. 10, 32. *Atrilius exemplo profectus, ut in Samnio hoſtes (ita enim placuerat Patribus) nondum egreſſos opprimeret. Velut ex compoſito ibi obvium habuere hoſtem, ubi & intrare, nedum vaſtare, ipſi Samnitium agrum prohiberen-*

berentur. Ita tres Pall. ita Thuanæus & Andreanæ. Aldina, quod non poſſet concoquere ſolum Attilium nominari, ſubjici deinde, *habuere*, addidit: *Attilius cum exercitu extemplo profectus:* quod intelligi Livius voluerat, & quivis ſapiens intelligit. Sigonius, qui videbat, *profectus* & *opprimeret:* ex neſcio quibus libris: *habuit:* Et recte, inquit, refertur enim ad vocē *Attilius*. Ita contrarii in vitia ruunt, Liv. gemēte. lib. 24. *Murgantiam primum, prodito ab ipſis præſidio Romano, recipit.* Dicit *Murgantiam*, quum ſequatur, *ipſis*. Eodem libro: *Senatus inde haberi cœptus eſt. quod ſicut regnante Hierone manſerat publicum conſilium, ita poſt mortem ejus nulla de re neque convocati neque conſulti fuerant.* Sic lib. 7, 35. ex Mss. reſtituimus: *Cum eo hoſte res eſt, qui &c. nos tam paucos tot ipſi millibus hominum nec aſcenſu arcuerint, nec tenentes locum, quum diei tantum ſupereſſet, vallo circumdederint.* Vulgo, *ipſe*, *arcuerit*, *circumdederit.* Lib. 25, 21. *nihil introrſus roboris ac virium eſſe, & quacumque impetum feciſſet hoſtis, perrupturos.* Vbi ſuppoſuerant: *feciſſent hoſtes perrupturos.* Inſigne exemplum ſalvum reliquerunt eodem libro: *Cuncuſque is hoſtium, qui in confertos circa ducem impetum fecerat, ut exanimem labentemque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nuntiantes diſcurrunt, imperatorem Romanum cecidiſſe.* Lib. 26. *Exercitus Romanus iratus, partim quod cum imperatore non devectus ex provincia eſſet, partim quod in oppidis hibernare vetiti erant, ſegni fungebantur militia.* Sic emendandum lib. 39. 47. *Obſidem enim ſe animum ejus habere, etſi patri corpus reddiderint.* Intelligitur enim τὸ *Patres*: & ideo mox, *miſſuros*. At quia ſuperius: *ut maxime vellet ſenatus*: putaverunt neceſſe eſſe, ut

fieret:

fieret: *reddiderit*. Cornelius Nepos Timotheo: *Idem claſſi præfectus circumvehens Poloponneſum, Laconicam populatus, claſſem eorum fugavit.* Auctor libri de bello Africano: *Cæſar alteram alam mittit, qui ſatagentibus celeriter occurrerent.* Hinc quoque certius ſcias vere nos repoſuiſſe lib. 29, 12. *Eo ſe verterant auxilia, irati quod ſine auctoritate ſua adverſus fœdus cum rege pacem feciſſent.* Hoc lib. 38. *uti quæ ſervitia tyranni liberaſſent (ea ingens multitudo erat) ante diem certam abirent. qui ibi manſiſſent, eos prehendendi, vendendi, abducendi Achaiis jus eſſet.*

Cap. 30. *Vt aliquem liberum ad mare haberent aditum*] Scripti conſenſu: *ut aliqua liberum.* Veriſſime: intellige, *via.* Plautus Milite: *Antevenito aliqua aliquos.*

Cap. 32. *Vt Achæis ex fœdere & legibus ſuis, quæ decreviſſēt*] Scribe cū Petav. & Andr. *quæ decreſſent.*

Cap. 33. *Creſcebat tumultus concitata turba*] Modius teſtatur in Mss. inveniſſe: *creſcebat turba concitato tumultu.* Sane & Petav. & Naud. *creſcebat tumultu concitato turba.* Barberin. *creſcebat tumultu coacto turba.* Exiſtimo ſcribendum eſſe: *creſcebat tumultu concita turba.* Sequitur enim ſtatim: *Et Achæi ad ſpectaculum primo concurrerunt.* Sic lib. 1. *Elatum domo Lucretiæ corpus in forum deferunt; concientque miraculo, ut fit, rei novæ atque indignitate homines.* Lib. 25. *concurſu ex caſtris ad primum clamorem & tumultum facto.* Lib. 42. *primæ ſtationes oppreſſæ tumultu ac terrore ſuo cæteros exciverunt.* Ennius Duloreſte: *Extemplo Ægiſthi fidem nuncupantes conciebant populum.* Idem verbum reſtituendum puto Ciceroni divinatione in Q. Cæcilium cap. 13. *quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitura.* Vbi & editiones: *concitatura.*

Quam-

Quamvis alibi *concitare populum* & ſimilia apud eundem obvia non neſciam.

Cap. 35. *A concilio, ubi apud conſulem inter Achaos Lacedamonioſque diſceptatum eſt*] Vetus lectio: *à conſule*. Quam mutavere, qui *diſceptare* tantum eſſe putabant partium, ut vulgarius accipitur; non etiam judicis. Eadem res nocuit Cæſari lib. 7. de bello Gall. *cur enim potius Ædui de ſuo jure & legibus ad Caſarem diſceptatorem, quam Romani ad Æduos, veniant?* Sic præſtantes membranæ. Andinæ: repererunt & alii in aliis libris veteribus: ſed tamen & magnus Hotmannus hic impingit, nec ſummi viri genuinum in contextum recipere properarunt. Vulgo: *diſceptaturi*; alii *diſceptatum*, prorſus ab illa, quam dixi, cauſſâ. Plautus Moſtellaria: *Nunc utriuſque eccum diſceptator adeſt; age, diſputa.* Cicero in 2. de legibus: *Iuris diſceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, Prætor eſto.* Noſter lib. 39. *Ibi quum Romani legati diſceptatorum loco, Theſſali Perrabique & Athamanes haud dubii accuſatores, Philippus ad audienda crimina, tanquam reus, conſediſſent.* Lib. 42. *in ſenatu veſtro, ubi aliquos ego diſceptatores non tam æquos, quam te Q. Marci, habebam.* Valerius Maximus lib. 2. *Carthaginienſes & Maſiniſſa rex de pace diſceptatorem velut conſulem & imperatorem habuerunt.*

Cap. 36. *ut juſti ſibi liberi hæredeſque eſſent*] Andreanæ: *uti juſti*. Et mox: *uti ius ſuffragii.*

Cap. 37. *Ad Cn. Manlium conſulem primum, dein proconſulem hibernantem*] Lege cum Barber. *dein proconſule hibernantem*. Pluries idem Livio reſtituimus. Lib. 8, 23. ut *quum Publilius Philo conſulatu abiſſet, proconſule rem gereret*. Ita Sigonius, & confirmant noſtri. Lib. 10, 31. *Samnitium legiones quum partim Ap. Claudius prætor,*

par-

partim L. Volumnius proconſule ſequeretur. Sic membranæ Thuanææ. lib. 23. 30. *M. Marcello proconſule imperium eſſe populus juſſit.* Ita Put. Pet. melior, Menardi. Iidem lib. 26, 1. *prorogatum & M. Marcello, ut proconſule in Sicilia reliqua belli perficeret.* Quamquam in his videatur vox eſſe dividenda. Cicero lib. 3. in Verrem: *Siciliæ provinciæ, cum eſſes pro conſule, præfuiſti.* Cæſar lib. 1. de bello civili: *Dent operam conſules, prætores, tribuni plebis, quique pro conſulibus ſunt ad urbem ne quid reſpublica detrimenti capiat.* Plinius lib. 11. epiſt. 57. *propter quæ videri volunt, eos qui pro conſulibus hanc provinciam obtinuerunt, abſtinuiſſe inſpectatione rationum ſuarum.*

Cap. 38. *decem naves actuarias, nulla quarum plus quam triginta*] Et ſcripti & Andreanæ ignorant τὸ *quarum.* An ſcribendum & diſtinguendum: *neve plures quam decem naves actuarias, (nulla plus quam triginta remis agatur) habeto.* Sequitur: *neve monerem ex belli cauſſa, quod ipſe illaturus erit.* Sic Gelenius: quemadmodum enim *trierem*, ita & *dierem* & *monerem* Græci dicunt, inquit. Fulvius Vrſinus obſervat Livium hic non conſentire Polybio, quem tamen voluerit imitari: in ſcripto codice eſſe *minorem ea*: quod tamen minus placeat, quam *monerem*, licet non reſpondeat Græcis. Atqui neutra in lectione hac quidem parte diſſenſus eſt, ſi recte conſideres. Nos quoque, non modo primi editores, non modo Fulvius, in tribus membranaceis invenimus: *minore ea.* Verba Polybii: καὶ μηκέτι ἐχέτω πλὼ δέκα καταφράκτων, μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον, μηδ᾽ αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ ἂν αὐτὸς κατάρχῃ. Illud αὐτὸ intelligit τὸ μὴ τριακοντάκωπον ἐλαυνόμενον, cujuſmodi habere illi permittitur. Senſus eſt ergo,

ne

ne ullam habeat, quæ triginta remis agatur, & ne talem quidem, qualem nempe habere licet actuariam minus quam triginta remigibus inſtructam, belli ab ipſo inferendi cauſſa. Hæc ſententia haud ſcio quomodo ſimplicius potuerit exprimi quam illis verbis: *neve plures quam decem naves actuarias (nulla plus quam triginta remis agatur) habeto: neve minorem ea* (nempe quæ triginta remis agatur) *belli cauſſa, quod ipſe illaturus erit.* Præcipitur enim ne habeat minorem τριακονζυγοκώπῳ, conceſſam alias, ex hac cauſſa. Sed altera lectio ut eruditior, ita haud dubie verior eſt, & in ſcripto quoque codice deprehenſa Gelenio. Videamus, quid contra illam dici poſſit. Interdicitur Antiocho, ne habeat navem, quæ plus quam triginta remis agatur: permittitur poſtea, ut monerem habeat, dummodo ne belli cauſſa. Atqui poterat eſſe μονήρης & πεντηκόντορος, immo & ἑκατόντορος: quod ergo priore membro denegatur illi, videtur poſteriore concedi. Dices illam monerem priore membro ſatis modificari, neq; intelligi, niſi quæ ſit τριακονζυγά-κωπος. Sane piratica actuaria navigia erant plerumque τριακόντορα & μονήρη, uno remorum ordine inſtructa, in ſingulis lateribus quindenos habentia remiges. Sed ut non ſolum numeroſo remigio impulſæ naves, puta πεντηκόντοροι, aut ἑκατόντοροι, pluribus exſtruebantur in altum ordinibus, verum & τριακόντοροι, quales erant myoparones: ita non eſt neceſſe, quæcumque non eſſet τριακόντορος eam fuiſſe μονήρη, quum ex monumentis antiquis exhibuerit Bayfius formas biremium, quæ quaternos tantum remos in ſingulis oſtentent ordinibus, alias quæ in ſuperiore quaternos, in inferiore ternos, triremium etiam quæ quaternos in ſummo, ter-

nos

nos in duobus inferioribus, ſic ut in univerſum viginti remiges eſſent, qualis *εἰκοσόρους* dicebant. Huic opportune occurritur eo, quod monuit doctiſſimus ὁ pro Salmaſio auctor obſervationum ad jus Atticum & Romanum: non videri veriſimile, quæ pluribus ordinibus creſcerent navigia breviora, quaternos tantum aut ternos remos in ſingulis partibus eſſe ſortita, quod altitudo longitudini non reſpondiſſet: ſculptores autem marmorum antiquos, qui biremis aut triremis figuram exhibuerint cum quaternis aut ternis per ordines remis, ſatis habuiſſe, ſi ad repræſentandam triremem aut biremem ordinum, non etiam remigum, numerum exprimerent. Ergo quod Polybius dicit *αὐτὸ*, referens ad *τὸ μὴ τριακοντάκωπον ἐλαυνόμενον*, id Livius *monerem*, quæ eadem hic eſt cum *actuaria*: nam, ut idem obſervat, omnes ſimplices ſive *μονήρεις* naves, quæ infra longarum & *πεντηκοντόρων* magnitudinem erant, Latinis *actuariæ* vocabantur. Hac igitur parte nulla diſſenſio inter ſummos ſcriptores. At in præcedentibus diſcrepantia duplex & gravior eſt. Polybius ait conceſſum fuiſſe regi, ut haberet decem conſtratas, quæ longarum numero ſunt, & ſubſcribit illi Appianus: id Livius negat, vult enim longam nullam, decem tantum actuarias conceſſas. Rurſum Polybius negat ullam actuariam triginta remis ei permiſſam: Livius decem actuarias, quæ haud plus quam triginta remis agerentur. Et conſtat tamen hic Polybio auctore uſum Livium, neque voluiſſe ab eo diſſentire exiſtimo. Apponamus integrum locum: *ἀποδότω δὲ καὶ τὰς ναῦς τὰς μακρὰς καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅρμενα καὶ τὰ σκεύη· καὶ μηκέτ᾽ ἐχέτω πλὴν δέκα καταφράκτους, μηδὲ τριακοντόκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον, μηδ᾽*

μηδ' αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ αὐτὸς κατάρχῃ. Appianus in numero diſſentiens ab utroque in altero Polybium ſequitur: ναῦς δὲ καταφράκτους δυώδεκα ἔχειν μόνας, αἷς ἐς τοὺς ὑπηκόους πολέμου κατάρχειν· πολεμούμενον δὲ καὶ πλέον χρῆσθαι. Niſi in numero liberarii erratum eſt. Addit & rationem, nempe ſubjectorum, ſi forte opus eſſet, compeſcendorum ergo. Quod deinde ſubjicit, etſi taceant cæteri, non tamen illis repugnat. Si fas, in Livii verbis potius erratum crederem, & fuiſſe olim: *Tradito & naves longas armamentaque earum: neve plures quam decem earum actuariam nullam, quæ triginta remis agatur, habeto: neve monerem ex belli cauſſa, quod ipſe illaturus erit.* Habes Livium per omnia cum Polybio conſentientem. *Neve plures quam decem* nempe *earum longarum* (quod ex præcedenti repetendum, ut ex ſequenti) *habeto*, quas ſcilicet traditis, quæ tum erant, novas ædificaſſet. Sub finem: *Controverſias inter ſe jure ac judicio diſceptent, aut, ſi utriſque placebit, bello.* Scripti conſenſu: *diſceptanda aut.* Lege: *ac judicio diſceptanto, aut, ſi utriſque placebit, bello.* Statim pleniùs Barber. & Petav. *& ſi quid poſtea addi demi mutarive placuiſſet, ut id ſalvo fœdere fieret.* Vulgo abeſt *demi.* Naudæanus alludit: *addi immutarive.* Polybius: ἐὰν δέ τι θέλωσι πρὸς τὰς συνθήκας ἀμφότεροι κοινῷ δόγματι προστεθῆναι, ἢ ἀφαιρεθῆναι ἐπ' αὐτῶν, ἐξέστω.

Cap. 43. *ſimulacra deum, deos demum ipſos*] Neſcio quis hic male curioſus infuſcavit. Nam ſcripti Audreanæque & Aldina: *deos immo ipſos.* Ab eadem prorſus impudentia, quæ Sigonium adegit vitiare illud lib. 35, 49. *Nam quod optimum eſſe dicunt, non interponendi vos bello: nihil immo*

immo tam alienum rebus veſtris eſt. Sic & lib. 26, 30. *Maneant immo, inquit Marcellus, ut coram his reſpondeam.* Quum ſic juſſiſſet ex ſcripto codice legi Rhenanus, neſcio quis poſteriorum fecit in vulgatis: *Immo maneant.* Quamquam noſtris libris omnibus ea particula abſit. Livius iterum lib. 39. de M. Porcio Catone: *vivit immo vigetque eloquentia ejus.* Statim ſcripti noſtri cum Gelenianis: *parietes poſteſque nudatos, quos adorent, ad quos precentur & ſupplicent, Ambracienſibus ſupereſſe.* Quod ſatis commodum videtur: quum enim deos ſublatos dixiſſent, ſi rei divinæ operam dare velint, nudos parietes ac poſtes, quibus prodiis preces allegent, ſibi ajunt relictos. Non opus cum Sigonio immittere negationem. Licet & phraſin obſerves: *ad quos precentur:* propter locum Tibulli lib. 2. eleg. 1. *Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras.* Quæ verba in Scaligeri, Douzæ omnibuſque, quas vidi editionibus, ita diſtincta ſunt, ut ipſe natalis ad aras veniſſe intelligatur. Quo ſenſu quid abſurdius? Ita autem ſenſit Poëta: Dicamus bona verba ad aras, venit enim natalis. Cicero lib. 11. famil. ep. 18. *gratulatione, quam ad omnia deorum templa fecimus.*

Cap. 44. *ne conſule inimico Romam veniret*] Scripti: *rediret.*

Cap. 46. *prope attonita erant, tantæ corporum moles*] Multo Latinius elegantiuſque ſcripti una cum Andreanis: *prope attoniti erant, tantæ corporum moles: fundis ſagittiſque in fugam conſternati ſunt.* Eſt enim appoſitio: *Galli* (quæ vox intelligitur) *tantæ corporum moles.* Ibidem ſcripti: *monente fortuna, quid, ſi hoſtem habuiſſemus, caſurum fuiſſet.* non *admonente.*

Cap. 47. *ea de illis quoque, qui Aſiam incolunt, exiſtimetis*] Gloſſema eſt, *Aſiam.* Scripti enim

enim: *qui has terras incolunt.* Neque ſecus Andreanæ, niſi quod tranſpoſitis vocibus, *terras has.* Inferius: *At enim ſunt quidem iſta vera. etiam Delphos, quondam commune humani generis oraculum,* &c Sic quidem Gelenius. Noſtri tamen ſcripti cum prius vulgatis: *At enim ſunt hac ita: verum etiam Delphos.* Et fere hoc probem. Eſt par brevitas, immo major, apud Ciceronem de amicitia, ut habent libri emendatiores: *Sunt iſta, Læli: nec enim melior vir fuit Africano quiſquam nec clarior.* Vbi inſeruerunt etiam τὸ *vera.*

Cap. 50. *Quid autem tuto cuiquam, nedum ſummam reipublicæ permitti*] Et hic vitiarunt veterem lectionem, quæ integra in Andreanis ſervata eſt: *ſummam rempublicam permitti.* Lib. 26, 10. membranæ optimæ & unicæ: *Ibi de ſumma republica conſultatum.* Vbi diximus. lib. 33, 45. *eam rem eſſe rati, quæ maturata dilatave non tam magni momenti ad ſummam rempublicam populi Romani eſſet.* Atque ex hac conſuetudine Livii teneo etiam reſtituendum lib. 36, 34. *ne quum ſatis provideas, nihil id magnopere ad ſummam rempublicam pertinere cenſes?* Et lib. 39, 16. *jam majus eſt, quam ut capere id privata fortuna poſſit: ad ſummam rempublicam ſpectat.* Vbi fecerunt *reipublicæ*: Latine quidem, ſed illud auctori noſtro placuit. Cicero Philipp. tertia: *ſententiaque de ſumma republica liberæ dici poſſint.* Sic enim ſcriptos habere teſtis Hieron. Ferrarius. Et dubitare quiſquam auſit, an hoc ſit ſatis ex uſu Romano? Annon *ſumma res* idem eſt quod ſumma rerum noſtro lib. 23. *Eodem & duo duces & duo exercitus Carthaginienſium, ibi rem ſummam agi cernentes, convenerunt.* Lib. 34. *Sed nolo pluribus: ſummam rem complectar.* Sic etiam *ſumma res* numero plurium. Ennius apud Gel-

lium

lium: *magna cum laſſus diei Parti faviſſet, de ſummis rebus gerundis Conſilio indu foro lato ſanctoque ſenatu.* Quod intelliges, laſſus lato vel allato conſilio de ſumma republica gerenda in foro & ſancto ſenatu. Cæſar lib. 5. de bello Gallico: *poſtremo quod eſſe levius, quam auctore hoſte de ſummis rebus capere conſilium?* Nihil eſt aliud quam de ſumma re ſua vel ſumma rerum ſuarum. Cornelius Nepos Eumene: *Imminebant enim Seleucus, Lyſimachus, Ptolemæus, opibus jam valentes, cum quibus ei* (Antigono) *de ſummis rebus erat dimicandum.* Notavimus jam ex Cæſare *ſummum bellum, ſummum periculum.* Sic *ſumma exſpectatio* pro de ſumma rerum exſpectatione lib. 1. de bello civili: *neque vero tam remiſſo ac languido animo quiſquam omnium fuit, qui ea nocte conquieverit. tanta erat ſumma rerum exſpectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur.* Quibus adeo permoveor, ut ſubdubitem, ſcripſeritne Cæſar libro eodem primo: *etſi aliquo accepto detrimento, tamen ſumma exercitus ſalva locum, quem petent capi poſſe.* Si paullum juvarent ſcripti, reponerem: *ſummo exercitu ſalvo.* hoc eſt, toto corpore exercitus, univerſo exercitu ſalvo. Eoque magis, quia lib. 5. de Gallico: *ex hac fuga protinus, quæ undique convenerant, auxilia diſceſſerunt, neque poſt id tempus unquam ſummis nobiſcum copiis hoſtes contenderunt.* Quod eſt, omni exercitu, omnibus viribus adunatis, ſic ut ſumma res ſemel ageretur. Etſi hac voce, *ſumma* uſum alibi non ignorem. Denique & *ullam rem publicam* dixit Livius lib. 40. *Quintus Fulvius conſul priuſquam ullam rempublicam ageret.* Et ſic lib 42. *in provinciam abituros ſe denuntiarunt, nec quidquam reipublicæ acturos.* Eodem: *Nihil magnopere, quod memorari attineat,*

reipub-

reipublica eo anno conſules geſſerant. Qui minus igitur *ſummam*? Dent, age, manus libris veteribus & rationi, & Latinitatem hac locutione locupletiorem patiantur.

Cap. 52. *L. Scipio, morbum cauſſa eſſe, cur abeſſet*] Neque hanc reprehendo phraſin. Cæſar lib. 3. de civili: *non illi paucitatem noſtrorum militum, non iniquitatem loci* &c. *cauſſa fuiſſe cogitabant.* Sed ajo veterem lectionem male repudiatam Gelenio fuiſſe: *morbum cauſſam eſſe.* Vt & infra: *Quum L. Scipio excuſet, morbum eſſe cauſſam fratri.* Servaverunt Andreanæ & Aldina. Tuetur auctor lib. 24. *ſingulos jurejurando adigam, niſi queis morbus cauſſa erit, non aliter quam ſtantes cibum potumque, quoad ſtipendia facient, capturos eſſe.* Eodemque libro: *qui quadriennio non militaſſent, quibus neque vacatio juſta militia, neque morbus cauſſa fuiſſet.* Lib. 34. *ut cauſſas cognoſcerent eorum, quibus aut emerita ſtipendia aut morbus cauſſa eſſent.* Nam ne errent tirones, *cauſſæ* hic plurativo numero dicuntur. Duodecim tabulæ: *ſi morbus avitaſve vitium eſcit.*

Cap. 59. *Vbi ergo eſſe regium aurum?*] Nimis excandeſcit Gelenius ſuppoſititio ſcribæ, qui pronomen *Id* in fronte hujus membri adjecerit. Servant illud omnes calamo exarati, non veteres tantum editiones, & meo judicio etiam ornatum addit orationi. Nihil igitur moratus ſum, quin reſtituerem: *Id ubi ergo eſſe regium aurum?*

A D

AD
LIB. XXXIX.

CAP. 1. *inter magnorum intervalla bellorum*] Barber. Naud. Mediceus: *ad continendam per intervalla magnorum bellorum Romanis militarem diſciplinam erat.* Petav. & Andreanæ: *ad continendam per intervalla bellorum:* prorſus eodem modo ſcilicet, niſi quod omiſerunt vocem *magnorum.* Quam non puto commode abeſſe, ideoque mediam lectionem ſequendam. Ibidem: *itinera ardua, anguſta, infeſta inſidiis.* Scripti omnes cum Andreanis. *infra ardua accepta* (Naud. *acſepta*) *infeſta ab inſidiis.* In prima voce mendum non inſolens jam meminimus ex Lib. 25, 9. ubi in mss. omnibus melioris notæ: *dimittit Tarentinos & infra*: quum legi debeat: *dimittit cum Tarentinis, & itinera quam maxime frequentia occupare jubet.* Cætera ſic ſcribe: *itinera ardua obſepta, infeſta ab inſidiis.* Cicero pro Muræna: *Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſepiebant.* Plauto *ſaltus obſeptus.* lib. 25. *alii ruunt ad portas, alii obſeptis itineribus ſuper vallum ſaliunt.*

Cap. 2. *qui caſtris ſe tenuerant circumſeſſi & expugnati ſunt*] Recte notat Sigonius copulativam ſuperfluam eſſe. Neque ſcripti noſtri neque Andreanæ eam ferunt. Et ſic ſæpe loquitur Livius. Vt infra hoc libro: *Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum ſequuti ſunt.* Lib. 15. *Caudinæ legiones, quæ ſine armis redierant Romam, armatæ remiſſæ in Samnium.* Lib. 35. *nam & caſtra conſulis oppugnata ægre ſunt defenſa.* Adde quæ ad lib. 10, 35.

Cap.

Cap. 4. *quum ſint notiſſima ſibi cum conſule inimicitiæ*] Scripti omnes & Andreanæ: *nobiliſſima*. Et videtur mutandum non fuiſſe. Lib. 17. *Inimicitiæ ante nobiles inter eos erant, & acerbiores eas indignioreſque Livio ſua calamitas fecerat.* Lib. 40. *Inter hos viros nobiles inimicitiæ erant, ſæpe multis & in ſenatu & ad populum atrocibus celebratæ certaminibus.* Plauto *peregrina facies hominis atque ignobilis.*

Cap. 5. *nec alieni momentis animi circumagi*] Citantur hæc verba à Priſciano lib. 8. ex quo patet fuiſſe ſcriptum olim: *tribunum plebei*: etſi corrupte illic editur: *tribuno inde plebei.*

Cap. 5. *tetradrachma Attica centum octodecim millia.* Vt inferius in triumpho Cn. Manlii: *tetradrachmum Atticum centum viginti ſeptem millia, ciſtaphorum ducenta quinquaginta* (intellige *millia*) *Philippeorum aureorum nummorum ſedecim millia trecentos viginti.* Lib. 37, 58. *tetradrachmum Atticorum ducenta viginti quatuor millia: ciſtophori trecenta triginta unum millia & ſeptingenti: nummorum aureorum Philippeorum centum quadraginta millia. non nummos aureos Philippeos*, ut editur. Miraris utique quod hic *ciſtophori* legam cum veteribus, non *ciſtophorum*, ut ſuaſu Budei habent recentiores: quod hoc quoque lib. 39, 5, retineam: *Philippei nummi duodecim millia quadringenti viginti duo*: non velim eodem modo reſcribi: *Philippeorum aureorum nummorū.* Edam rationem: videor mihi obſervaſſe ex Livio, quoties numerus ſive ſignati argenti ſive alterius rei millia plura non excedit, tum rem numeratam ſemper efferri patrio caſu: quum vero ſuper millia numerus alius inferior adjicitur, cum non perpetuo rèm numeratam eo caſu pronuntiari, quem exigebat

tò

τὸ *millia*, ſed interdum eo, quem recipit adjectus poſterior numerus. Vt lib. 3, 5. *audet tamen Antias Valerius concipere ſummas: Romanos cecidiſſe in Hernico agro quinque millia ac trecentos.* Vbi diximus perperam Rhenanum *quinquies mille*, reſcribere. Hic ſi Livius attendiſſet τὸ *millia*, debuiſſet utique ponere *Romanorum*. Sed retulit eam vocem ad *trecentos*, perinde ac ſi dixiſſet: *cecidiſſe in Hernico agro quinque millia ac trecentos Romanos*. Sic lib. 33, 27. *ſignati denarios triginta quatuor millia & quingentos quinquaginta.* Scaliger in libro de re nummaria: Neque proba eſt locutio, neque ſumma digna triumpho florentiſſimis rebus Romanis. Legendum: *denarium trecenta quatuor millia.* In poſteriori facile adſentior; non in priore: nam, ut dixi, retulit τὸ *denarios* ad minorem numerum, & perinde eſt, quaſi ſcripſiſſet: *ſignati trecenta quatuor millia & quingentos quinquaginta denarios.* Iterum lib. 37, 58. *tetradrachma Attica triginta quatuor millia ſeptingenta: ciſtophori centum triginta unum millia trecenti.* Non mutabis: *tetradrachmum Atticum*: nam illud reſpondet τῷ *ſeptingenta*. At male in omnibus, *trecenta*; refertur enim ad *ciſtophori*: male in recentioribus, *ciſtophorum*; refertur enim ea vox non ad *millia*, ſed ad *trecenti*. Quamquam in Andreanis Aldinaque videam eſſe: *Ciſtophori trecenta triginta duo millia.* Qui numerus ſi verior eſt, utique *ciſtophorum*, non *ciſtophori*, legendum. Vt eodem libro cap. 46. *ſignati tetradrachmum Atticum centum tredecim millia: ciſtophorum ducenta quadraginta octo.* Etenim & hic intelligitur τὸ *millia* ex membro præcedenti, perinde ut in altero loco hujus cap. 5. libro. 39.

Cap. 7. *quod eis ſolutum antea non eſſet*] Scribe

cum

cum antiquitus ſcriptis cuſiſque: *quod ejus ſolutum antea non eſſet.*

Cap. 8. *eruditiſſima omnium gens invexit: ſed ſacrificulus*] Iiſdem, ſcriptis dico, Andreanis atque Aldinæ abeſt conjunctio; & certe abeſſe debet ex more eleganter loquentium, de quo jam aliquid dictum ad lib. 28, 59, & 36, 19. Noſter lib. 1. de Horatiis & Curiatiis: *nec his nec illis periculum ſuum, publicum imperium ſervitiumque obverſatur animo.* Integrum foret: *ſed publicum.* Seneca de tranquilitate animi cap. 12. *Non induſtria inquietos & inſanos, falſæ rerum imagines agitant. Nam ne illi quidem ſine aliqua ſpe moventur; proritat illos alicujus rei ſpecies, cujus vanitatem capta mens non coarguit.* Hæc ſincera eſt duum mss. apud Gruterum lectio: qui non caperent, *τὸ ſed* ante *τὸ falſæ* interjecerunt: cur non & ante *τὸ proritat?* nam ibidem quoque ſenſus illam particulam intelligit. *Nam ne illi quidem*, intellige, vere & proprie inſani. Noſtros homines, inquit, pererrantes theatra & fora inſanorum more, atque inquietudine inſanos, non exercet induſtria, ſed pravum de rebus judicium: eoque merito pro inſanis habentur: nam & hi revera larvati aut cerriti non moventur ſine concepta atque infixa aliqua imaginatione, quam ſcilicet erroneam & falſam deprehendere turbida & occæcata mente nequeunt: ſic iſtos leves & non dignæ cauſſæ, per inconſiderantiam dignæ viſæ, per urbem circumducunt. Hæc ſententia eſt Senecæ haudquaquam difficilis, in qua tamen ſummi viri ſategerunt. Alii, *non induſtria inquietos, ſed inſanos falſæ rerum*: alii, *non induſtrios, ſed inquietos, & inſanos falſæ*: Pintianus, quod laudavit Lipſius, *Inanis induſtria inquietos, ut inſanos.*

Cap.

Cap. 9. *via una corruptela Bacchanalium erant*] Quaſi non bene ſcripti & Andreanæ: *via una corruptela Bacchanalia erant.* Vnica via ad barathrum, unica ratio corrumpendi & conſcientia flagitii obnoxium ſibi faciendi pupillum erant bacchanalia. Plautus Aſinaria: *Is apud ſcortum corruptelæ & liberis luſtris ſtudet.* Truculento: *niſi ſi clanculum Collapſus eſt hic in corruptelam ſuam.* Pariter iidem cum Aldina quoque: *ſe pro ægro eo voviſſe.* non, *pro ægroto voviſſe.* Cur mutarunt? an hiatum reformidantes, ut præcedenti libro Gelenius? Id Livius curavit ſcilicet. An *ægrum* animi malebant quam corporis: ut Cicero *ægrotationem* & *ægritudinem* diſtinguit. At non ea religio veterum in primitivo. Noſter lib. 25. *quo minus mirum eſſet uno eodemque loco ſtativa eum tandiu habere, ægrũ ſimulabat.* Lib. 41. *Ægri quoque milites, qui in caſtris relicti fuerant.* Et alibi.

Cap. 12. *quæ in luco Similæ*] hic Gelenius ex mss. nam ante illum: *in ludo ſimili.* Opinatur autem Semelem detorta nonnihil voce *Similam* tum vulgo indocto dictam. *Stimulam* vocat Scholiaſtes Iuvenalis ad Satyram ſecundam: *Nam ſacra Bacchanalia ex SC. condemnata ſunt, cum probatum eſſet Senatui honeſtiſſimas fœminas ad Stimulæ deæ lucum fœde adulterari.* Et mentio eſt *Stimulæ* deæ apud Auguſtinum lib. 4. de civitate Dei cap. 11. *de ſtimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur:* & eodem lib. c. 16. *quæ ad agendum ultra modum ſtimularet.* Quod forte non male ad fanaticorum tumultum ac turbinem accommodes. Tamen optime ſacra Bacchi peraguntur in *Semeles* luco. Et ita potius ſcripſiſſe Livium crediderim, non vulgi indocti, ſi qua fuit, pronunciationem expreſſiſſe. Sic *Semo-*

nis Sanci, ſic *Iuventutis* apud noſtrum corrupta ab indoctis olim fuere vocabula. Ibidem: *Iam id ipſum conſul laudare, quod initiatam ſe:* Et hæc corruptio ex Aldina manavit. Scripti omnes & Andreanæ: *laudare, cum initiatam ſe non inficiaretur.* Vſus particulæ perlatinus. Plautus Captivis: *Iovi diiſque gratias ago merito magnas, Quom te reducem tuo patri reddiderunt, Quomque ex miſeriis plurimis me exemerunt.* Menæchmis: *Cum tu liber es, Meſſenio, gaudeo.* Truculento: *Cum tu recte proveniſti, cumque es aucta liberis, Gratulor, cum mihi tibique magnum dediſti decus.* Et ſæpiſſime apud eundem.

Cap. 13. *non quod ſciret quicquam*] Repoſuimus è ſcriptis: *non quo ſciret quicquam.* Non ignota ratio Latine doctis. Cicero ad Atticum: *ſed me non ſane hoc tempore movet reſpublica, non quo aut ſit mihi quicquam carius aut eſſe debeat, ſed deſperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam.* A. Gellius lib. 9, 12. *Itaque Salluſtius in hiſtoria prima metum Pompeji dixit, non quo Pompejus metueret (quod eſt uſitatius) ſed quod metueretur.* Sic mss. nam & hic editur: *non quod.* Neque illud ſcio, à quo ſit: *ut ſe extra Italiam aliquo amandarent.* nam ſcripti, Andreanæ & Aldina: *aliquo ablegarent.* Parum intereſt, ſed noſtrum eſt accipere Livium, qualem antiquitas dedit, non facere. Lib. 24. *nec belli defuturam unquam cauſſam, niſi Hippocrates atque Epicydes, non ab Syracuſis modo, ſed tota procul Sicilia, ablegarentur.* At ubi importunum eſt idem verbum, ibi pertinaciter tenetur, lib. 36, 11. *amore captus virginis Chalcidenſis Cleoptolemi filia quum patrem primo ablegando, deinde coram ipſe rogando fatigaſſet.* Recte enim Gelenius *adlegando* vel *allegando*, neque improbat Glareanus: nam

huic

huic patritio Claronenſi mos eſt perpetuus pro Rhenano aut Gelenio dicere, alii. Eſt autem verbum proprium *allegare*, pro parario atque interceſſore uti. Plautus in Caſina: *Pater allegavit villicum, qui poſceret ſibi iſtam uxorem.* Dein: *Filius autem armigerum allegavit ſuum.* Pœnulo: *Hanc fabricam apparo, Vt te allegemus, qui filias dicas tuas.* Cicero lib. 1. in Verrem: *Cum ſibi omneis ad iſtum allegationes difficiles, omneis aditus arduos ac potius intercluſos viderent.* Philippica quinta: *Cretenſis judex iſque nequiſſimus. quem ad hunc reus alleget? quomodo accedat?* Vides Ciceronem eodem ordine uti, quo Livius: *primo allegando, deinde coram ipſe rogando.* Quintilianus declam. 377. *Quid ergo? rogare non poſſum, ad preces decurrere, iterum allegare amicos non poſſum?* In cujus argumento fuerat: *adhibitis amicis petit à patre.*

Cap. 14. *quæ deinde ab ſe inquiſita forent*] Scripti & Andreanæ: *inveſtigata forent.* Aldina mutavit, credo, quia non longe in eadem re & verbo eodem utitur. Statim: *tum privatim ſuorum quiſque vicem.* Bene Gelenius *vicem* pro *vice*; ut & nos lib. 1. reſtituimus. Sed vide poſſitne ad hæc verba intelligi, *metuere*, aut quid tale? ſecus ſcribendum *quemque*: nam ita cohæret: *Patres pavor cepit, cum publico nomine, tum privatim ſuorum quemque vicem.* Ibidem: *extra ordinem conſulibus mandat: indicibus Æbutio ac Feceniæ ne fraudi ea res ſit, curare & alios indices præmiis invitare jubet.* Primum vetus lectio, *mandavit*, & *jubent.* Scribe igitur: *mandant*, & *jubent.* Quæ mutarunt, quia præceſſit *Senatus*: at id collectivum eſt, & multos complectitur ſenatores: itaque perſæpe Livius, quum illo vocabulo incepiſſet, in pluralia deſinit, ut ſuperius anno-

 tatum.

taium. Deinde omnis etiam vetus ſcriptura membranarum & Andreanarum: *curare, & alios illicere ac pramiis invitare jubent.* Quod haud dubie ſincerum eſt. Grave fuit obſcuritatem Livii querentibus ad vocem *alios* ex præcedentibus *indices* intelligere. Lib. 22. *Legati & ad Philippum regem, & alii in Ligures miſſi.* Porro: *edici praterea in urbe Roma & per totam Italiam edicta mitti.* Eorundem hominum eſt vox *edicta:* quam nec ſcripti illi nec Andreanæ editiones agnoſcunt. In illis ſimpliciter: *& per totam Italiam mitti: Ne quis qui Bacchis* &c. Hoc ab auctore eſſe non dubitabis, recordatus, quæ ſcripſimus ad lib. 8, 22.

Cap. 16. *creſcit & ſerpit quotidie malum*] Cicero lib. 3. in Verrem: *ita ſerpit illud inſitum in natura malum conſuetudine peccandi libera, finem ut audacia ſtatuere ſibi ipſe non poſſit.* At Naudeanus: *conſerpit.*

Cap. 18. *nec earum rerum ullam rem, in quas*] Scripti omnes τὸ *rem* ignorant, ut ſuperius indicatum.

Cap. 19. *Vtique Fecenia Hiſpala datio, deminutio, gentis enuptio*] Veros ſenſus horum verborum pete à Turnebo lib. 30, 25. Cui quia ſe oppoſuit Gutherius lib. 2. de jure pontif. c. 7. tempus eſt, ut illius rationes examinemus. Cauſſatus *dationem* & *deminutionem* verba eſſe generalia, quæ ſine adjectione alicujus ſpeciei non intelliguntur: ſic *dationem dotis* dici & *dationem legum*, & *dationem in adoptionem*; ſic *deminutionem capitis, corporis, legatorum, patrimonii.* Immo verba generalia ſignificant generaliter, & ex ſubjecta materia haud difficulter intelliguntur: neque aliter opus habent modificatione ſpeciei, quam ſi in re certa & anguſtiori adhibeantur. No-

Notum eſt *dare* in genere juriſconſultis eſſe per traditionem dominium transferre, l. 75. §. ult. D. de V. O. Non poſſumus autem transferre dominium, niſi quod ipſi habemus, niſi earum rerum, quæ ſunt noſtræ. Cui ergo permittitur in genere *datio*, ei conceditur, ut eorum, quæ ſunt ejus, nemine vi juris aut poteſtatis aut patronatus intercedente, dominum facere alium traditione liceat: præſertim ſi conſtet ejus antea conditionem ſtatumve illam fuiſſe, ut hanc facultatem liberam ſatis non habuerit. Quare neque de alia re quam de bonis ſive peculio Hiſpalæ exaudiri poteſt illa *datio*, neque *deminutio* cujus ſit, jam ignorari neceſſe eſt: tradendo enim alteri minuimus noſtra: atque ea vox illuſtrandæ & dilatandæ prioris cauſſa additur. At in primis huic interpretationi obſtare putat Gutherius, quod *tutoris optio* eidem Hiſpalæ detur: ſi enim poteſtas alienandi permiſſa eſt, cur poſtea tutoris optio data & auctoritas imaginaria adjecta? Atqui nunquam fuit propoſitum ſenatui Hiſpalam eximere numero mulierum, aut talia ei jura dare, qualia viris tantum civibus, neque omnibus, nedum ſequiori ſexui, conveniebant. Cato apud noſtrum lib. 34. *majores*, ait, *nullam ne privatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluiſſe:* idcirco illis, quæ in manu parentum aut virorum non eſſent, tutoris auctoritas neceſſaria erat in his rebus, *ſi lege aut judicio agerent, ſi ſe obligarent, ſi civile negotium gererent*, Vlpianus tit. 11. Inſtitut. Non igitur propterea negandum eſt dationem deminutionem ſuorum bonorum datam eſſe mulieri, quia tutore ad dandum deminuendum opus habet. Neque enim intelligitur ei facultas alia permiſſa, quam quæ legibus Romanis ingenuæ fœminæ, quæ nullius

in manu erat, competebat. Itaque totum hoc opponitur libertinæ conditioni, quibus ſuperſtite patrono id conceſſum omnibus non fuiſſe, minus autem mulieri, recte ſentit Turnebus. Nam & poſt edictum prætoris, quo jus patronorum in libertos temperamentum accepit, patrono remanſit actio operarum & alimentorum & ſocietatis bonorum nomine, ſi id in pœnam ingrati animi pepigiſſet patronus: (Satis autem credibile eſt, quemque, ut maxime potuit, in futurum ſibi caviſſe) & morientium ſine liberis ab inteſtato patronus hæres erat, contraque teſtamentum, quo liberi hæredes inſtituti non eſſent, bonorum poſſeſſionem à prætore accipiebat. Neque obeſt, quod mortuo patrono nec in manu ullius erat Hiſpala, & tutore ab tribunis ac prætore petito jam teſtamentum fecerat. Nam hoc caſu non abolebatur macula libertinæ conditionis: eoque cautum eſt hoc ſenatusconſulto, ut quod antea jus erat acquiſitum Hiſpalæ per mortem patroni, & maneret libertini ordinis, id jam ei competeret jure privilegii, quo ingenuis æquabatur, tanquam mulieri, quæ mortuo viro in nullius poteſtate eſſet. Nunc & Gutherii ſomnium cognoſcamus. Ille vocem *gentis* aptat *dationi*, *deminutioni*, & *dationem gentis* interpretatur gentilitatem, quaſi eſſet ab ingenuis oriunda: concedi ingenuitatem illi, ut deſineret eſſe libertina. Quia vero ſic *deminutio gentis* intelligi non poteſt, tranſit inde ad aliud, nempe, ut non modo ingenuitatem, ſed novo more patriciam gentem Hiſpalæ dederit populus Romanus: dederit etiam, ut eam gentem minuere, hoc eſt, plebejo in adoptionem ſe dare poſſet. Quin & hoc exemplo refutat Cujacium negantem fœminas ſui juris legibus Romanis adrogari potuiſſe, quod

quod nulla cum fœminis fuerit comitiorum communio. Hiſpalæ exemplum, inquit, hanc opinionem evertit, cui repugnat textus Vlpiani tit. de adoptionibus: nam *fœminæ quidem non adrogant* (emendavit Cujacius, non *adrogantur*) *quia liberos in poteſtate non habent.* Ratio legis perſpicua, quæ minus apta eſſet, ſi legeretur cum Cujacio: non *arrogantur.* Sic ille, & pluribus in hanc mentem. Principio advertendum Latini ſermonis conſuetudinem non ferre, ut dicamus, *gentis dationem eſſe alicui*, hoc ſignificatu, gentem datam eſſe alicui: non ſecus ac, *factionem teſtamenti eſſe alicui*, non poteſt explicari, factum ei teſtamentum eſſe. Sed ut hoc eſt, poteſtaté alicui eſſe teſtamenti faciundi, ita illud Latine foret poteſtatem alicui dandæ gentis eſſe. Quæ poteſtas aut facultas non dabatur ſingulari lege, ſed erat omnium civium Romanorum, immo liberorum hominum: neque admodum bene hæc phraſis de muliere enunciatur. Abſurdum eſt dudum libertæ decreto ſenatus *dari gentem* etiam Latino ſenſu: nam eo ipſo, quod manumiſſa erat, habebat gentem patroni: ſed *gentem dare* eſſe dare ingenuitatem, eſſe deinde in patricios referre, multo minus poteſt probari. Abſurdum eſt etiam, cum dicitur *datio gentis*, voce poſteriore ſignificari ingenuitatem, cum intelligitur eadem ad ſequens *deminutio*, gentem patriciam denotari. Inauditum prorſus eſt fœminas in Patres relatas, aut decreto ſenatus gentem patriciam accepiſſe. Quæ vero eſt illa gens patricia? Feceniane an Hiſpala? an in Claudiam, Fabiam, Corneliam, aut ſimilem tranſiit? Adoptione in Liviam, mox Iuliam familiam tranſiit uxor Auguſti: arrogari, ut vere veramque ob rationem Cujacius, non poterant fœminæ. Itaque recte emendat §. 4.

tit. de adoptionibus apud Vlpianum: *Per prætorem vel præſidem provinciæ adoptari tam maſculi quam fœminæ, & tam puberes quam impuberes poſſunt. Per populum vero Romanum fœminæ quidem non arrogantur: pupilli antea quidem non poterant arrogari; nunc autem poſſunt ex conſtitutione Divi Antonini.* Totum hoc capitulum conceptum eſt de illis, qui adoptantur, non de illis, qui adoptant. Locum autem omnino non habere, quod eſt vulgo, *arrogant*, perſpicuum eſt ex §. 8. ejuſdem tituli: *Fœminæ vero neutro modo poſſunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in poteſtate habent.* Sic fuit jure antiquo nec inficiante Iuſtiniano. Quum hoc tam mox docturus eſſet Vlpianus, quam bene monuiſſet ante paucos verſus de arrogatione? Nam ſi audias: *per populum Romanum fœminæ non arrogant:* intelliges utique, poſſe igitur adoptare. Ergo illudit ſibi Gutherius verba Vlpiani ſic recitando: *fœminæ quidem non arrogant, quia liberos in poteſtate non habent:* indeque argumentando: ratio hæc minus eſſet apta, ſi legeretur cum Cujacio, non *arrogantur*. Non eſt enim ea ratio iſtorum, de quibus dubitatur, verborum Vlpiani, neque hic in Vlpiani contextu inſeritur, ſed inferius, ubi neutro modo poſſe adoptare fœminas ſemel dicit. Illud quoque conſiderandum, minime conveniens eſſe, ut libertæ, quæ corpore quæſtum fecerat, gens patritia, alteri indici Æbutio, certe libere nato & civi, tantum decernatur, ut ei emerita ſtipendia ſint, neve invitus militet, neve cenſor ei equum publicum adſignet. Fruſtra inducitur verbo *enuptionis*, quia eſt apud Livium, *enubere è Patribus*. Quid enim opus hanc poteſtatem dare, quum poſt legem Canulejam de connubio Patrum & plebis cuivis patri-

tia-

tiarum virginum liceret voluntate parentum, aut quorum in poteſtate erant, plebejo nubere? quem nodum facit ipſe ſibi, nec tamen ſolvit Gutherius. Ita quidque ſolvi ait, ut eſt colligatum, ex regula juris: patriciam factam lege curiata Hiſpalam; eadem lege è patriciis exire permitti illi debuiſſe. Ergo quæ gentes poſt acceptam Canulejam legem in Patres ſunt lectæ, ex iis fœminam, niſi nova lectione, enubere non quiviſſe putandum eſt: lectione enim facti erant patricii omnes illius gentis: ergo & lectione enubendum habuit virgo, quia ita quid ſolvitur, ut eſt colligatum. Ridicula ſunt hæc & plena joci. Cui novus ordo datur, ei utique commune jus omnium ejus ordinis ſimul acquiritur. Sed & privilegia ſtricte ait interpretanda: nempe ne extendantur ultra conceſſum favorem: interim quemlibet favori pro ſe introducto poſſe renuntiare, nota regula eſt. M. Annæus in excerptis: *Quidquid honoris nomine datur, in utramque partem licet: alioquin deſinit præmium eſſe, cui neceſſitas injungitur.* Gens libertorum non erat alia quam patroni, à quo nomen accipiebant, & ejuſdem gentis novam familiam humiliorem ordiebantur. Sic *Tullius Tiro*, ſic *Pompeja Macrina* deſcendens à Theophane liberto Magni Pompeji: ſic plures alii. In his mirum non eſt moribus introductum fuiſſe, ut ex auctoritate patroni ejuſdem gentis liberti ducerent uxores, libertæ nuberent, æque ab eodem patrono illi manumiſſas, hæ manumiſſis. M. Porcius Cato clientem habuit ſcribam Salonium, cujus filia ducta Catonem Salonium genuit. Quum illum appellaret, rogaretque an filiam elocaſſet, reſpondit Salonius: *ὡς οὐδὲ μέλλει, μὴ πρότερον ἐκείνῳ κοινωσάμενος.* Pergente Catone, noſſe

reipublica eo anno conſules geſſerant. Qui minus igitur *ſummam?* Dent, age, manus libris veteribus & rationi, & Latinitatem hac locutione locupletiorem patiantur.

Cap. 52. *L. Scipio, morbum cauſſa eſſe, cur abeſſet*] Neque hanc reprehendo phraſin. Cæſar lib. 3. de civili: *non illi paucitatem noſtrorum militum, non iniquitatem loci* &c. *cauſſa fuiſſe cogitabant.* Sed ajo veterem lectionem male repudiatam Gelenio fuiſſe: *morbum cauſſam eſſe.* Vt & infra: *Quum L. Scipio excuſet, morbum eſſe cauſſam fratri.* Servaverunt Andreanæ & Aldina. Tuetur auctor lib. 24. *ſingulos jurejurando adigam, niſi queis morbus cauſſa erit, non aliter quam ſtantes cibum potumque, quoad ſtipendia facient, capturos eſſe.* Eodemque libro: *qui quadriennio non militaſſent, quibus neque vacatio juſta militia, neque morbus cauſſa fuiſſet.* Lib. 34. *ut cauſſas cognoſcerent eorum, quibus aut emerita ſtipendia aut morbus cauſſa eſſent.* Nam ne errent tirones, *cauſſa* hic plurativo numero dicuntur. Duodecim tabulæ: *ſi morbus ævitaſve vitium eſcit.*

Cap. 59. *Vbi ergo eſſe regium aurum?*] Nimis excandeſcit Gelenius ſuppoſititio ſcribæ, qui pronomen *Id* in fronte hujus membri adjecerit. Servant illud omnes calamo exarati, non veteres tantum editiones, & meo judicio etiam ornatum addit orationi. Nihil igitur moratus ſum, quin reſtituerem: *Id ubi ergo eſſe regium aurum?*

A D

AD
LIB. XXXIX.

CAP. 1. *inter magnorum intervalla bellorum*] Barber. Naud. Mediceus: *ad continendam per intervalla magnorum bellorum Romanis militarem diſciplinam erat.* Petav. & Andreanæ: *ad continendam per intervalla bellorum:* prorſus eodem modo ſcilicet, niſi quod omiſerunt vocem *magnorum.* Quam non puto commode abeſſe, ideoque mediam lectionem ſequendam. Ibidem: *itinera ardua, anguſta, infeſta inſidiis.* Scripti omnes cum Andreanis. *infra ardua accepta* (Naud. *acſepta*) *infeſta ab inſidiis.* In prima voce mendum non inſolens jam meminimus ex Lib. 25, 9. ubi in mss. omnibus melioris notæ: *dimittit Tarentinos & infra*: quum legi debeat: *dimittit cum Tarentinis, & itinera quam maxime frequentia occupare jubet.* Cætera ſic ſcribe: *itinera ardua obſepta, infeſta ab inſidiis.* Cicero pro Muræna: *Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſepiebant.* Plauto *ſaltus obſeptus.* lib. 25. *alii ruunt ad portas, alii obſeptis itineribus ſuper vallum ſaliunt.*

Cap. 2. *qui caſtris ſe tenuerant circumſeſſi & expugnati ſunt*] Recte notat Sigonius copulativam ſuperfluam eſſe. Neque ſcripti noſtri neque Andreanæ eam ferunt. Et ſic ſæpe loquitur Livius. Vt infra hoc libro: *Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum ſequuti ſunt.* Lib. 15. *Caudinæ legiones, quæ ſine armis redierant Romam, armatæ remiſſæ in Samnium.* Lib. 35. *nam & caſtra conſulis oppugnata ægre ſunt defenſa.* Adde quæ ad lib. 10, 35.

Cap.

Cap. 4. *quum ſint notiſſima ſibi cum conſule inimicitia*] Scripti omnes & Andreanæ: *nobiliſſima*. Et videtur mutandum non fuiſſe. Lib. 17. *Inimicitia ante nobiles inter eos erant, & acerbiores eas indignioreſque Livio ſua calamitas fecerat.* Lib. 40. *Inter hos viros nobiles inimicitia erant, ſæpe multis & in ſenatu & ad populum atrocibus celebrata certaminibus.* Plauto *peregrina facies hominis atque ignobilis.*

Cap. 5. *nec alieni momentis animi circumagi*] Citantur hæc verba à Priſciano lib. 8. ex quo patet fuiſſe ſcriptum olim: *tribunum plebei*: etſi corrupte illic editur: *tribuno inde plebei.*

Cap. 5. *tetradrachma Attica centum octodecim millia.* Vt inferius in triumpho Cn. Manlii: *tetradrachmum Atticum centum viginti ſeptem millia, ciſtaphorum ducenta quinquaginta* (intellige *millia*) *Philippeorum aureorum nummorum ſedecim millia trecentos viginti.* Lib. 37, 58. *tetradrachmum Atticorum ducenta viginti quatuor millia: ciſtophori trecenta triginta unum millia & ſeptingenti: nummorum aureorum Philippeorum centum quadraginta millia. non nummos aureos Philippeos*, ut editur. Miraris utique quod hic *ciſtophori* legam cum veteribus, non *ciſtophorum*, ut ſuaſu Budei habent recentiores: quod hoc quoque lib. 39, 5, retineam: *Philippei nummi duodecim millia quadringenti viginti duo*: non velim eodem modo reſcribi: *Philippeorum aureorum nummorũ.* Edam rationem: videor mihi obſervaſſe ex Livio, quoties numerus ſive ſignati argenti ſive alterius rei millia plura non excedit, tum rem numeratam ſemper efferri patrio caſu: quum vero ſuper millia numerus alius inferior adjicitur, tum non perpetuo rem numeratam eo caſu pronuntiari, quem exigebat

τὸ

τὸ *millia*, ſed interdum eo, quem recipit adjectus poſterior numerus. Vt lib. 3, 5. *audet tamen Antias Valerius concipere ſummas: Romanos cecidiſſe in Hernico agro quinque millia ac trecentos.* Vbi diximus perperam Rhenanum *quinquies mille,* reſcribere. Hic ſi Livius attendiſſet τὸ *millia,* debuiſſet utique ponere *Romanorum.* Sed retulit eam vocem ad *trecentos,* perinde ac ſi dixiſſet: *cecidiſſe in Hernico agro quinque millia ac trecentos Romanos.* Sic lib. 33, 27. *ſignati denarios triginta quatuor millia & quingentos quinquaginta.* Scaliger in libro de re nummaria: Neque proba eſt locutio, neque ſumma digna triumpho florentiſſimis rebus Romanis. Legendum: *denarium trecenta quatuor millia.* In poſteriori facile adſentior; non in priore: nam, ut dixi, retulit τὸ *denarios* ad minorem numerum, & perinde eſt, quaſi ſcripſiſſet: *ſignati trecenta quatuor millia & quingentos quinquaginta denarios.* Iterum lib. 37, 58. *tetradrachma Attica triginta quatuor millia ſeptingenta: ciſtophori centum triginta unum millia trecenti.* Non mutabis: *tetradrachmum Atticum:* nam illud reſpondet τῷ *ſeptingenta.* At male in omnibus, *trecenta;* refertur enim ad *ciſtophori:* male in recentioribus, *ciſtophorum;* refertur enim ea vox non ad *millia*, ſed ad *trecenti.* Quamquam in Andreanis Aldinaque videam eſſe: *Ciſtophori trecenta triginta duo millia.* Qui numerus ſi verior eſt, utique *ciſtophorum*, non *ciſtophori*, legendum. Vt eodem libro cap. 46. *ſignati tetradrachmum Atticum centum tredecim millia: ciſtophorum ducenta quadraginta octo.* Etenim & hic intelligitur τὸ *millia* ex membro præcedenti, perinde ut in altero loco hujus cap. 5. libro. 39.

Cap. 7. *quod eis ſolutum antea non eſſet*] Scribe cum

cum antiquitus ſcriptis cuiſque: *quod ejus ſolutum antea non eſſet.*

Cap. 8. *eruditiſſima omnium gens invexit: ſed ſacrificulus*] Iiſdem, ſcriptis dico, Andreanis atque Aldinæ abeſt conjunctio; & certe abeſſe debet ex more eleganter loquentium, de quo jam aliquid dictum ad lib. 28, 39, & 36, 19. Noſter lib. 1. de Horatiis & Curiatiis: *nec his nec illis periculum ſuum, publicum imperium ſervitiumque obverſatur animo.* Integrum foret: *ſed publicum.* Seneca de tranquillitate animi cap. 12. *Non induſtria inquietos & inſanos, falſæ rerum imagines agitant. Nam ne illi quidem ſine aliqua ſpe moventur; provitat illos alicujus rei ſpecies, cujus vanitatem capta mens non coarguit.* Hæc ſincera eſt duum mss. apud Gruterum lectio: qui non caperent, τὸ *ſed* ante τὸ *falſæ* interjecerunt: cur non & ante τὸ *provitat?* nam ibidem quoque ſenſus illam particulam intelligit. *Nam ne illi quidem*, intellige, vere & proprie inſani. Noſtros homines, inquit, pererrantes theatra & fora inſanorum more, atque inquietudine inſanos, non exercet induſtria, ſed pravum de rebus judicium: eoque merito pro inſanis habentur: nam & hi revera larvati aut cerriti non moventur ſine concepta atque infixa aliqua imaginatione, quam ſcilicet erroneam & falſam deprehendere turbida & occæcata mente nequeunt: ſic iſtos leves & non dignæ cauſſæ, per inconſiderantiam dignæ viſæ, per urbem circumducunt. Hæc ſententia eſt Senecæ haudquaquam difficilis, in qua tamen ſummi viri ſategerunt. Alii, *non induſtria inquietos, ſed inſanos falſæ rerum:* alii, *non induſtrios, ſed inquietos, & inſanos falſa:* Pintianus, quod laudavit Lipſius, *Inanis induſtria inquietos, ut inſanos.*

Cap.

Cap. 9. *via unà corruptela Bacchanalium erant*] Quaſi non bene ſcripti & Andreanæ: *via una corruptela Bacchanalia erant*. Vnica via ad barathrum, unica ratio corrumpendi & conſcientia flagitii obnoxium ſibi faciendi pupillum erant bacchanalia. Plautus Aſinaria: *Is apud ſcortum corruptela & liberis luſtris ſtudet*. Truculento: *niſi ſi clanculum Collapſus eſt hic in corruptelam ſuam*. Pariter iidem cum Aldina quoque: *ſe pro ægro eo voviſſe*. non, *pro ægroto voviſſe*. Cur mutarunt? an hiatum reformidantes, ut præcedenti libro Gelenius? Id Livius curavit ſcilicet. An *ægrum* animi malebant quam corporis: ut Cicero *ægrotationem* & *ægritudinem* diſtinguit. At non ea religio veterum in primitivo. Noſter lib. 25. *quo minus mirum eſſet uno eodemque loco ſtativa eum tandiu habere, ægrũ ſimulabat*. Lib. 41. *Ægri quoque milites, qui in caſtris relicti fuerant*. Et alibi.

Cap. 12. *quæ in luco Similæ*] hic Gelenius ex mss. nam ante illum: *in ludo ſimili*. Opinatur autem Semelem detorta nonnihil voce *Similam* tum vulgo indocto dictam. *Stimulam* vocat Scholiaſtes Iuvenalis ad Satyram ſecundam: *Nam ſacra Bacchanalia ex SC. condemnata ſunt, cum probatum eſſet Senatui honeſtiſſimas fœminas ad Stimulæ deæ lucum fœde adulterari*. Et mentio eſt *Stimulæ* deæ apud Auguſtinum lib. 4. de civitate Dei cap. 11. *de ſtimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur*: & eodem lib. c. 16. *quæ ad agendum ultra modum ſtimularet*. Quod forte non male ad fanaticorum tumultum ac turbinem accommodes. Tamen optime ſacra Bacchi peraguntur in *Semeles* luco. Et ita potius ſcripſiſſe Livium crediderim, non vulgi indocti, ſi qua fuit, pronunciationem expreſſiſſe. Sic *Semo-*

huic patritio Claronenſi mos eſt perpetuus pro Rhenano aut Gelenio dicere, alii. Eſt autem verbum proprium *allegare*, pro patario atque interceſſore uti. Plautus in Caſina: *Pater allegavit villicum, qui poſceret ſibi iſtam uxorem.* Dein: *Filius autem armigerum allegavit ſuum.* Pœnulo: *Hanc fabricam apparo, Vt te allegemus, qui filias dicas tuas.* Cicero lib. 1. in Verrem: *Cum ſibi omnêis ad iſtum allegationes difficiles, omneis aditus arduos ac potius interclusos viderent.* Philippica quinta: *Cretenſis judex iſque nequiſſimus. quem ad hunc reus alleget? quomodo accedat?* Vides Ciceronem eodem ordine uti, quo Livius: *primo allegando, deinde coram ipſe rogando.* Quintilianus declam. 377. *Quid ergo? rogare non poſſum, ad preces decurrere, iterum allegare amicos non poſſum?* In cujus argumento fuerat: *adhibitis amicis petit à patre.*

Cap. 14. *quæ deinde ab ſe inquiſita forent*] Scripti & Andreanæ: *inveſtigata forent.* Aldina mutavit, credo, quia non longe in eadem re & verbo eodem utitur. Statim: *tum privatim ſuorum quiſque vicem.* Bene Gelenius *vicem* pro *vice*; ut & nos lib. 1. reſtituimus. Sed vide poſſitne ad hæc verba intelligi, *metuere*, aut quid tale? ſecus ſcribendum *quemque*: nam ita cohæret: *Patres pavor cepit, cum publico nomine, tum privatim ſuorum quemque vicem.* Ibidem: *extra ordinem conſulibus mandat: indicibus Æbutio ac Feceniæ ne fraudi ea res ſit, curare & alios indices præmiis invitare jubet.* Primum vetus lectio, *mandavit*, & *jubent.* Scribe igitur: *mandant*, & *jubent.* Quæ mutarunt, quia præceſſit *Senatus*: at id collectivum eſt, & multos complectitur ſenatores: itaque perſæpe Livius, quum illo vocabulo incepiſſet, in pluralia deſinit, ut ſuperius anno-

tatum. Deinde omnis etiam vetus ſcriptura membranarum & Andreanarum: *curare, & alios illicere ac præmiis invitare jubent.* Quod haud dubie ſincerum eſt. Grave fuit obſcuritatem Livii querentibus ad vocem *alios* ex præcedentibus *indices* intelligere. Lib. 22. *Legati & ad Philippum regem, & alii in Ligures miſſi.* Porro: *edici præterea in urbe Roma & per totam Italiam edicta mitti.* Eorundem hominum eſt vox *edicta:* quam nec ſcripti illi nec Andreanæ editiones agnoſcunt. In illis ſimpliciter: *& per totam Italiam mitti: Ne quis qui Bacchis* &c. Hoc ab auctore eſſe non dubitabis, recordatus, quæ ſcripſimus ad lib. 8, 22.

Cap. 16. *creſcit & ſerpit quotidie malum*] Cicero lib. 3. in Verrem: *ita ſerpit illud inſitum in natura malum conſuetudine peccandi libera, finem ut audaciæ ſtatuere ſibi ipſe non poſſit.* At Naudeanus: *conſerpit.*

Cap. 18. *nec earum rerum ullam rem, in quas*] Scripti omnes τὸ *rem* ignorant, ut ſuperius indicatum.

Cap. 19. *Utique Feceniæ Hiſpalæ datio, deminutio, gentis enuptio*] Veros ſenſus horum verborum pete à Turnebo lib. 30, 25. Cui quia ſe oppoſuit Gutherius lib. 2. de jure pontif. c. 7. tempus eſt, ut illius rationes examinemus. Cauſſatus *dationem* & *deminutionem* verba eſſe generalia, quæ ſine adjectione alicujus ſpeciei non intelliguntur: ſic *dationem dotis* dici & *dationem legum*, & *dationem in adoptionem*; ſic *deminutionem capitis, corporis, legatorum, patrimonii.* Immo verba generalia ſignificant generaliter, & ex ſubjecta materia haud difficulter intelliguntur: neque aliter opus habent modificatione ſpeciei, quam ſi in re certa & anguſtiori adhibeantur.

No-

Notum eſt *dare* in genere juriſconſultis eſſe per traditionem dominium transferre, l. 75. §. ult. D. de V. O. Non poſſumus autem transferre dominium, niſi quod ipſi habemus, niſi earum rerum, quæ ſunt noſtræ. Cui ergo permittitur in genere *datio*, ei conceditur, ut eorum, quæ ſunt ejus, nemine vi juris aut poteſtatis aut patronatus intercedente, dominum facere alium traditione liceat: præſertim ſi conſtet ejus antea conditionem ſtatumve illam fuiſſe, ut hanc facultatem liberam ſatis non habuerit. Quare neque de alia re quam de bonis ſive peculio Hiſpalæ exaudiri poteſt illa *datio*, neque *deminutio* cujus ſit, jam ignorari neceſſe eſt: tradendo enim alteri minuimus noſtra: atque ea vox illuſtrandæ & dilatandæ prioris cauſſa additur. At in primis huic interpretationi obſtare putat Gutherius, quod *tutoris optio* eidem Hiſpalæ detur: ſi enim poteſtas alienandi permiſſa eſt, cur poſtea tutoris optio data & auctoritas imaginaria adjecta? Atqui nunquam fuit propoſitum ſenatui Hiſpalam eximere numero mulierum, aut talia ei jura dare, qualia viris tantum civibus, neque omnibus, nedum ſequiori ſexui, conveniebant. Cato apud noſtrum lib. 34. *majores*, ait, *nullam ne privatam quidem rem agere fœminas ſine auctore voluiſſe:* idcirco illis, quæ in manu parentum aut virorum non eſſent, tutoris auctoritas neceſſaria erat in his rebus, *ſi lege aut judicio agerent, ſi ſe obligarent, ſi civile negotium gererent*, Vlpianus tit. 11. Inſtitut. Non igitur propterea negandum eſt dationem deminutionem ſuorum bonorum datam eſſe mulieri, quia tutore ad dandum deminuendum opus habet. Neque enim intelligitur ei facultas alia permiſſa, quam quæ legibus Romanis ingenuæ fœminæ, quæ nullius

 in

in manu erat, competebat. Itaque totum hoc opponitur libertinæ conditioni, quibus ſuperſtite patrono id conceſſum omnibus non fuiſſe, minus autem mulieri, recte ſentit Turnebus. Nam & poſt edictum prætoris, quo jus patronorum in libertos temperamentum accepit, patrono remanſit actio operarum & alimentorum & ſocietatis bonorum nomine, ſi id in pœnam ingrati animi pepigiſſet patronus: (Satis autem credibile eſt, quemque, ut maxime potuit, in futurum ſibi caviſſe) & morientium ſine liberis ab inteſtato patronus hæres erat, contraque teſtamentum, quo liberi hæredes inſtituti non eſſent, bonorum poſſeſſionem à prætore accipiebat. Neque obeſt, quod mortuo patrono nec in manu ullius erat Hiſpala, & tutore ab tribunis ac prætore petito jam teſtamentum fecerat. Nam hoc caſu non abolebatur macula libertinæ conditionis: eoque cautum eſt hoc ſenatusconſulto, ut quod antea jus erat acquiſitum Hiſpalæ per mortem patroni, & maneret libertini ordinis, id jam ei competeret jure privilegii, quo ingenuis æquabatur, tanquam mulieri, quæ mortuo viro in nullius poteſtate eſſet. Nunc & Gutherii ſomnium cognoſcamus. Ille vocem *gentis* aptat *dationi*, *deminutioni*, & *dationem gentis* interpretatur gentilitatem, quaſi eſſet ab ingenuis oriunda: concedi ingenuitatem illi, ut deſineret eſſe libertina. Quia vero ſic *deminutio gentis* intelligi non poteſt, tranſit inde ad aliud, nempe, ut non modo ingenuitatem, ſed novo more patriciam gentem Hiſpalæ dederit populus Romanus: dederit etiam, ut eam gentem minuere, hoc eſt, plebejo in adoptionem ſe dare poſſet. Quin & hoc exemplo refutat Cujacium negantem fœminas ſui juris legibus Romanis adrogari potuiſſe, quod

quod nulla cum fœminis fuerit comitiorum communio. Hiſpalæ exemplum, inquit, hanc opinionem evertit, cui repugnat textus Vlpiani tit. de adoptionibus: nam *fœminæ quidem non adrogant* (emendavit Cujacius, non *adrogantur*) *quia liberos in poteſtate non habent*. Ratio legis perſpicua, quæ minus apta eſſet, ſi legeretur cum Cujacio: non *arrogantur*. Sic ille, & pluribus in hanc mentem. Principio advertendum Latini ſermonis conſuetudinem non ferre, ut dicamus, *gentis dationem eſſe alicui*, hoc ſignificatu, gentem datam eſſe alicui: non ſecus ac, *factionem teſtamenti eſſe alicui*, non poteſt explicari, factum ei teſtamentum eſſe. Sed ut hoc eſt, poteſtatẽ alicui eſſe teſtamenti faciundi, ita illud Latine foret poteſtatem alicui dandæ gentis eſſe. Quæ poteſtas aut facultas non dabatur ſingulari lege, ſed erat omnium civium Romanorum, immo liberorum hominum: neque admodum bene hæc phraſis de muliere enunciatur. Abſurdum eſt dudum libertæ decreto ſenatus *dari gentem* etiam Latino ſenſu: nam eo ipſo, quod manumiſſa erat, habebat gentem patroni: ſed *gentem dare* eſſe dare ingenuitatem, eſſe deinde in patricios referre, multo minus poteſt probari. Abſurdum eſt etiam, cum dicitur *datio gentis*, voce poſteriore ſignificari ingenuitatem, cum intelligitur eadem ad ſequens *deminutio*, gentem patriciam denotari. Inauditum prorſus eſt fœminas in Patres relatas, aut decreto ſenatus gentem patriciam accepiſſe. Quæ vero eſt illa gens patricia? Feceniane an Hiſpala? an in Claudiam, Fabiam, Corneliam, aut ſimilem tranſiit? Adoptione in Liviam, mox Iuliam familiam tranſiit uxor Auguſti: arrogari, ut vere veramque ob rationem Cujacius, non poterant fœminæ. Itaque recte emendat §. 4.

tit. de adoptionibus apud Vlpianum: *Per prætorem vel præſidem provinciæ adoptari tam maſculi quam fœminæ, & tam puberes quam impuberes poſſunt. Per populum vero Romanum fœminæ quidem non arrogantur: pupilli antea quidem non poterant arrogari; nunc autem poſſunt ex conſtitutione Divi Antonini.* Totum hoc capitulum conceptum eſt de illis, qui adoptantur, non de illis, qui adoptant. Locum autem omnino non habere, quod eſt vulgo, *arrogant*, perſpicuum eſt ex §. 8. ejuſdem tituli: *Fœminæ vero neutro modo poſſunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in poteſtate habent.* Sic fuit jure antiquo nec inficiante Iuſtiniano. Quum hoc tam mox docturus eſſet Vlpianus, quam bene monuiſſet ante paucos verſus de arrogatione? Nam ſi audias: *per populum Romanum fœminæ non arrogant:* intelliges utique, poſſe igitur adoptare. Ergo illudit ſibi Gutherius verba Vlpiani ſic recitando: *fœminæ quidem non arrogant, quia liberos in poteſtate non habent:* indeque argumentando: ratio hæc minus eſſet apta, ſi legeretur cum Cujacio, non *arrogantur*. Non eſt enim ea ratio iſtorum, de quibus dubitatur, verborum Vlpiani, neque hic in Vlpiani contextu inſeritur, ſed inferius, ubi neutro modo poſſe adoptare fœminas ſemel dicit. Illud quoque conſiderandum, minime conveniens eſſe, ut libertæ, quæ corpore quæſtum fecerat, gens patritia, alteri indici Æbutio, certe libere nato & civi, tantum decernatur, ut ei emerita ſtipendia ſint, neve invitus militet, neve cenſor ei equum publicum adſignet. Fruſtra inducitur verbo *enuptionis*, quia eſt apud Livium, *enubere è Patribus*. Quid enim opus hanc poteſtatem dare, quum poſt legem Canulejam de connubio Patrum & plebis cuivis patritia-

tia-

tiarum virginum liceret voluntate parentum, aut quorum in poteſtate erant, plebejo nubere? quem nodum facit ipſe ſibi, nec tamen ſolvit Guthe-rius. Ita quidque ſolvi ait, ut eſt colligatum, ex regula juris: patriciam factam lege curiata Hiſpalam; eadem lege è patriciis exire permitti illi debuiſſe. Ergo quæ gentes poſt acceptam Canulejam legem in Patres ſunt lectæ, ex iis fœminam, niſi nova lectione, enubere non quiviſſe putandum eſt: lectione enim facti erant patricii omnes illius gentis: ergo & lectione enubendum habuit virgo, quia ita quid ſolvitur, ut eſt colligatum. Ridicula ſunt hæc & plena joci. Cui novus ordo datur, ei utique commune jus omnium ejus ordinis ſimul acquiritur. Sed & privilegia ſtricte ait interpretanda: nempe ne extendantur ultra conceſſum favorem: interim quemlibet favori pro ſe introducto poſſe renuntiare, nota regula eſt. M. Annæus in excerptis: *Quidquid honoris nomine datur, in utramque partem licet: alioquin deſinit præmium eſſe, cui neceſſitas injungitur.* Gens libertorum non erat alia quam patroni, à quo nomen accipiebant, & ejuſdem gentis novam familiam humiliorem ordiebantur. Sic *Tullius Tiro*, ſic *Pompeja Macrina* deſcendens à Theophane liberto Magni Pompeji: ſic plures alii. In his mirum non eſt moribus introductum fuiſſe, ut ex auctoritate patroni ejuſdem gentis liberti ducerent uxores, libertæ nuberent, æque ab eodem patrono illi manumiſſas, hæ manumiſſis. M. Porcius Cato clientem habuit ſcribam Salonium, cujus filia ducta Catonem Salonium genuit. Quum illum appellaret, rogaretque an filiam elocaſſet, reſpondit Salonius: ὡς οὐδὲ μέλλει, μὴ πρότερον ἐκείνῳ κοινωσάμενος. Pergente Catone, noſſe

illi ſe generum idoneum, modo ne diſpliceret ætas, ultro rogavit alter ταῦτα φροντίζειν αὐτὸν, καὶ διδόναι τὴν κόρην, ὃ περιαιρεῖται, πελάτιν οὖσαν αὐτοῦ καὶ δεομένην τῆς ἐκείνου κηδεμονίας, ut eſt apud Plutarchum. Qui ne de liberis quidem, quos in poteſtate habebant, inſcio patrono conſulerent, ii de ſe maritandis illum auctorem ſpernere eſſent auſi? Nec leve argumentum ejus rei præbet Tacitus lib. 6. annalium. ubi quum Pompejam Macrinam & maritum ejus Argolicum, ſocerum Laconem, patrem item fratreſque appellaſſet, ſubjungit: *Datum erat crimini, quod Theophanem proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet.* Communis omnium proavus Theophanes, quia ex eadem gente perſonæ junctæ connubiis. Recte ergo Turnebus gentis enuptionem conceſſam hoc ſignificare ſentit, ut aliis quam libertis ſui patroni aut libertis gentis illius, cujus erat liberta, ei nubere liceret. Et eapropter additur inſuper: *utique ei ingenuo nubere liceret:* quod ſcilicet illis verbis non erat ſatis expreſſum. In cæteris ibidem nihilo felicior Gutherius. Vt quum in oratione D. Marci, qua cavetur, *ut ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet, nec nuptiæ eſſent*, l. 16. de ritu nuptiarum, lego audacter, inquit, *enupſiſſet*. Vero, audacter. nam *enubere alicui*, non facile uſpiam inveniet: ſed *enubere ex gente, ex ordine ſuo*: Lib. 26. etiam *enupſiſſe* dicuntur, quæ nubendo è domo paterna in alienam domum tranſierunt: ut è contrario *innubere*. Vt cum legem curiatam de Hiſpalæ patriciatu latam fingit: nam quia Livius refert conſules cum tribunis plebis egiſſe, ut ad plebem ferrent; credibilius utique eſt tributis comitis de præmiis utriuſque indicis actum, & plebiſcitum ex auctoritate ſenatus factum. Superat omnem admirationem, quod liber-

libertos patriciorum, quia accepto nomine gentiles patronorum dicebantur, patricios tradit factos, & ut numerarentur inter patricios pulchri iſti liberti, lege curiata opus fuiſſe, quæ vere gentem daret. Hæc piget refutare: & tamen radiant in eo ſcripto, quo ab inferis quaſi revocatam dignitatem morientis Critices judicat vir magni nominis ad hunc ipſorum auctorem.

Cap. 23. *Nec ab ipſo Perſeo cauſſa cepit*] Scribe cum antiquis: *cauſſas cepit*. Inferius quoque Andreanæ cum ſcriptis: *Haud magno certamine & Amy nandrum Athamania expulerat, & urbes aliquot receperat*. Nec puto juſte mutatum. Nam & alibi Livius *recipere urbem* pro ſimplici *capere* uſurpat. Lib. 28. de P. Scipione: *parvum inſtar eorum, quæ ſpe ac magnitudine animi concepiſſet, receptas Hiſpanias ducebat*.

Cap. 24. *Quibus quandocumq; data fortuna eſſet, ad bellum uteretur*] Andreanæ atque Aldina: *quibus quando data fortuna eſſet*. Quod ut facile tolerem, ita vereor, ne ſcriptum olim fuerit: *quibus quandoque data fortuna eſſet*. Viſe ad lib. 1, 24.

Cap. 26. *Alterum mores ſuos reſpuere*] Barberin. & Petav. *alterum mores pueros uos*. Naud. *alterum moleſtum pueros uos*. Significant tranſpoſitionem vocum duarum: *alterum mores reſpuere ſuos*. Ibidem tranſlatione eleganti: *velut ex diutina ſiti nimis avide meram haurientes libertatem*. Cicero pro domo: *ſi utile reipublicæ fuit, haurire me unum pro omnibus illam indigniſſimam calamitatem*. Naudæanus quidem non inepte *ſeram*. Sed tamen vulgatum non moverim: indicat enim nimiam & non temperatam. Sic Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei cap. 30. *eaque ipſa libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani meracior inerat univerſo populo Romano*. Sic Mss. non *immodera-*

moderatior, quod illius eſt interpretatio. Arnobius lib. 1. *ô meraco ſapientiæ tincti & ſaturi potu.* Eunapius in vita Maximi: ὥσπερ οἱ κατὰ τὸν μῦθον τῆς διψάδος δηχθέντες, χανδὸν καὶ ἀμυστὶ τῶν μαθημάτων ἕλκειν.

Cap. 27. *Veterem viam regiam, quæ ad Thraciæ Paroreiam ſubeat*] Ab Sigiſmundo Gelenio correctus, ut vulgo nunc habetur, locus. Vetus lectio editionum & membranarum à nobis inſpectarum: *veterem regiam quæ Thraciæ paroreiam ſub ea nuſquam ad mare ferentem deflexiſſe. viam.* Hic bene *ſubeat* repoſuit Gelenius, bene *Philippum* immiſit, quæ vox, aut certe relativum, abeſſe non poteſt. At male interpoſuit *viam*, quod ellipſi familiari ex ſequentibus voluit auctor intelligi: male pro *ferentem* facit *declinantem*, quod omnino gloſſema ſapit. Lib. 25. *tumulus eſt in extrema parte urbis verſus à mari, viaque imminens ferenti in agros.* Lib. 26. *Patefacta deinde porta, eos quos in via ferente ad caſtra hoſtium inſtruxerat, mittit.* Lib. 41. *via quæ Aquilejam fert.* Neque noſtris in ullis comparuere duæ voces aliæ: *novam poſtea*: quibus neque opus eſſe puto, immo ipſas fartores habuiſſe parentes. Sinceram proxime ad apices ſcripturæ veteris accedentem hanc habe: *Q. Fabium Labeonem, quum in regione ea fuiſſet, direxiſſe finem Philippo veterem regiam, quæ Thraciæ Paroriam ſubeat, nuſquam ad mare ferentem: Philippum deflexiſſe viam, qua Maronitarum urbem agroſque amplectatur.* Quam viam? regiam utique, abolita; quæ prius habita regia fuerat, ſeu obſtruendo ſeu limitibus interſecando, ſeu quocumque modo impediendo. Sic finalium quæſtionum obſcurandarum cauſſâ faciem locorum converterat, ut loquitur Calliſtratus L. 3. de termino moto.

Cap.

Cap. 30. *Conſilioque parati rem gerere.*] Barberin. Petav. & Andreanæ: *in Carpetaniam progreſſi ſunt; communi animo conſilioque rem geſſerunt.* Quod meis auribus multo magis altero Livianum ſonat. Ibidem in fine omnes ſcripti & Andreanæ: *id robur toto exercitu erat.* non *totius exercitus.* Quod non video, qua ſpecie veteri lectione præſtet, quum utrovis alibi Livius utatur. Lib. 26. *longe fortiſſimi equitum toto Punico exercitu erant* lib. 27. *Ab Annibale Hiſpani primam obtinebant, frontem, & id roboris in omni exercitu erat.* lib. 37. *hoc & roboris in regiis copiis erat.* Vtrũque mutatum ex ſcripto Moguntino. Etenim hæc cum maxime ſcribenti quaſi divina virgula offertur editio Moguntina, cui variæ lectiones à quarto & trigeſmo ad quadrageſimum librum ex mss. codice ædis metropolitanæ ibidem adjectæ ſunt. Eadem prima omnium librorum tertii & trigeſimi quadrageſimique partes poſteriores typis deſcriptis exhibuit. Et tandem didici, quod adhuc ignorabam, quodq; tot editores commentatoreſque non ſine negligentiæ crimine ſiluere, qua auctoritate in his libris toties ab Andreanis ſit diſceſſum. Eæ namque diverſitates omnes, præterquam quæ à Gelenio ſunt, ex uno illo ſcripto manarunt, pleræque imprudenter receptæ ab illis, quibus quum aliorum ſcriptorum copia non eſſet, neque ſatis induſtrii lectores Livii fuiſſent, quicquid in unico illo libro perſæpe malam manum paſſo repertum eſt, ſine diſcrimine contextui inſeruerunt.

Cap. 31. *Et Hiſpanis recenti victoria inflatis*] Quis ſollicitaret, ſi ex libris antiquis vel pluribus vel melioribus deſumtum eſſe conſtaret? Sed ſolus habuit ſcriptus Moguntinus: nam editio veterem ſervavit. Andreanæ autem & membranæ

noſtræ

noſtræ : *& Hiſpanis recenti victoria ferocibus.* Quod nobis repudiare nefas. Lib. 21. *quum alterius ingenium fama prius, deinde re cognitum, percitum ac ferox ſciret eſſe, ferociuſque factum proſpero cum prædatoribus ſuis certamine crederet.* lib. 25. *calentes adhuc ab recenti pugna, feroceſque victoria.* Perſæpe ſic Livius.

Cap. 33. *Principio inſequentis anni, quo P. Claudius*] Hunc quoque locum & mutaverunt & adjectis particulis inſtruxerunt perverſi correctores. Andreanæ nec *quo* habent, nec *quum* membri proximi, hoc modo: *anni P. Claudius L. Portius conſules erant Q. Cæcilius :* deinde, *renuntiaverunt*, non *renuntiaſſent.* Atque hæc plane ſecundum ſcriptas membranas, niſi quod illæ etiam τὸ *erant* reſpuunt omnes. Integerrimum puto ſervatum in Naudæano : *Principio inſequentis anni P. Claudio L. Porcio conſulibus, Q. Cæcilius, M. Bæbius & Tib. Sempronius, qui ad diſceptandum inter Philippum & Eumenem reges Theſſalorumque civitates miſſi erant, legationem renuntiarunt: regum quoque eorum civitatumque legatos in ſenatum introduxerunt.*

Cap. 36. *Cadem primum ad conflictum factum eorum*] Scribe : *factam.* & ſic Andreanæ & Aldina. *Ad primum conflictum*, idem eſt quod ad primum occurſum, primo cætu. Ibidem: *Hoc ego crimen non modo non à vobis Romani.* Alteram negativam reſecandam eſſe ſuperius monuimus.

Cap. 37. *Ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos ademiſſe arbitror*] Hanc quidem Gelenius antiquam & ſinceram ait eſſe lectionem, ſed ego vehementer ambigo. Erat ante illum : *Quod ad leges ademtas attinet, nego antiquas Lacedæmoniis leges Achæos ademiſſe, quas non habebant, ſed noſtras leges dediſſe, nec male conſuluiſſe civitati.* In

quo

quo qui putabant illa, *dediſſe conſuluiſſe*, non poſſe referri ad *τὸ nego*, neque aliud finitum verbum in proximo interjecerunt, *arbitror*, & fecerunt *ego* & *tyrannos:* quum judicarent iidem, *Achæos ademiſſe*, deinde *noſtras dediſſe*, non ſatis bene conjungi, addiderunt, *nos non ſuas ademiſſe*. Sed mihi in altera nihil obſcuri: nam *τὸ nego* in *ajo non* dividit ſenſus; *Achæos* autem *ademiſſe* valet Achæos nos ademiſſe: ut in illis quæ notavimus ad lib. 32, 21. *Achæi ſuſtinebimus*. Hæc igitur ſententia eſt: Quod ad leges ademtas, adfirmo vel dico non Lacedæmoniis leges antiquas nos Achęos ademiſſe, quippe quas jam perdiderant ſub dominatu tyrannorũ ſed noſtras dediſſe. Ibidem recte Gelenius: *molliter agendo dignitatem ſuam tenere Romanos non poſſe*. Male & contra ſenſum, *apud Romanos*.

Cap. 38. *ii ſe interceſſuros ſenatuſconſulto*] Lege: *hi ſe interceſſuros*. quamvis referatur ad tribunos. Nam non eſſe inſolens, ut in diſtributione tali hoc relativum etiam de remotiore intelligatur diximus lib. 3. obſer. 16.

Cap. 40. *Nec is tantum cujus eloquentia*] Andreanæ: *nec iſta tantum cujus*. Aldina; *nec ita tantum ut cujus*. Barberin. & Petav. *nec ejus tantum cujus*. Naud. *nec iſta tantum ejus*. Qua varietate inducor, ut probem codicum Gelenianorum ſcripturam: *nec tantum cujus*.

Cap. 41. *Ita tum petentem premebat nobilitas: coierantque*] Gelenius fecit: *conſenſerantque*. Sed recte Sigonius reduxit: *coierantque:* ut plane ſcripti noſtri cum veteribus editis. Petavianus quoque *præſentem ἀντὶ τοῦ petentem* cum codice Lipſii: unde bene ille: *prenſantem*. Sed etiam Lipſianus codex: *cogerant à populo præter L. Flaccum*. Vnde conjicit *coierant propalam præter*. In quo puto doctiſſimum virum falli, nam Barb. *coierant*

rant L. Flaccum apud prætorem, qui collega. Nandæanus: *coegerant apud prætorem L. Flaccum.* Pet. Andreanæ & Aldina: *coierant apud prætorem L. Flaccum.* Vides τὸ *à populo*, quod in Lipſiano erat, corruptum eſſe ex æque corrupto *apud*: hoc autem factum ex *que* non ſatis cohærente cum præcedenti verbo, genuiſſe mox *prætorem* ex *præter.* Integrum eſt: *Hunc ſicut omni vita, tum prenſantem premebat nobilitas: coierantque præter L. Flaccum.* Nam illud quoque ſciendum, τὸ *ita*, quod Aldina & deinceps vulgatæ addunt, neque ſcriptos neque Andreanas habere. Et ſolent omittere poſt brevem protaſin veteres. Sic lib. 34, 9. *quam ſicut minoribus viribus, pari colebant fide.*

Cap. 43. *Vnum ex illis miſeris attrahi juſſum*] Sic quidem Gelenius: ſed noſtri omnes ſcripti cum Andreanis, Moguntinis & Aldina: *unum ex damnatis attrahi juſſum.* Statim cum Andreanis ſcripti: *Facinus atrox, ſive eo modo, quo cenſor objecit, ſive ut Valerius tradit, commiſſum eſt: inter pocula atque epulas.* Quod mutatum ex Moguntino.

Cap. 44. *In equitatu recognoſcendo L. Scipioni Aſiatico ademtus equus*] Legendum eſſe ex ſcriptis, *L. Scipioni Aſiageni*, defendimus in Obſervationibus. Ibidem: *Cato atria duo, Mænium & Titium in latomiis.* Andreanæ: *latumiis.* Scribe omnino: *Lautumiis.* Vt & lib. 37, 3. *Romam deducti & in Lautumias conjecti ſunt.* Ita in Digeſtis, Plauto, Cicerone optimos habere libros dudum ſummi viri obſervarũt. Et probat in primis jocus Sabini apud M. Senecam. lib. 4. contr. 27. *Idem cum reus rogaret, ut in lautumias transferretur: non eſt, inquit, quemquam veſtrum decipiat nomen ipſum. Lautumiæ illæ minime lauta res eſt.* Hanc Pal. codicis ſcripturam, probo cum Grutero. Amolitur invidiam, & occurrit opinioni, quæ iniquis eſſe pote-

poterat, quia Lautumias roget, mitem nimis illum carcerem eſſe. Sed hunc opportunum tempori ſuo ſenſum corrumpit inepto luſu ex ſimiliter incipientibus & cadentibus vocabulis petito. Ne putetis nimium ſqualoris mihi demi mutatione loci, aut parum pœnæ in altero carcere eſſe: ne vos decipiat vocabulum *Lautumiarum* propinquum vocabulo *lautitiarum:* non profecto lauta res Lautumiæ. Non autem noviſſet ita ludere, ſi Romani *Latomiæ* pronuntiaſſent.

Cap. 46. *L. Iulius proficiſci mature eſt juſſus*] Sic Aldina, ſed membranæ cum Andreanis & Moguntinis ſcripto editoque: *L. Iulius maturare eſt juſſus.* Quid hic diſplicuit? lib. 37. *Profectus quum quantum accelerare poterat, maturaſſet, ad portum, quem Megiſten vocant, prægreſſos conſequitur.* Sed minus miror hoc verbum ineptis hominibus hic offendiculo fuiſſe, quum cogito multo elegantiorem Latiniſmum à viro docto tantopere explodi apud Salluſtium in Iugurthino cap. 36. *Igitur Albinus, renovato bello, commeatum, ſtipendium, aliaque, quæ militibus uſui forent, maturat in Africam portare.* Quibus ille ſic inſultat: Vox poſtrema à nemine patienter legi poteſt: adeo & viſu & odore eſt deformitatis nothæ. Quid ita? an *portare commeatum, ſtipendium,* reprehendit? Recordaretur Plauti in Epidico: *ut importem in coloniam hunc auſpicato commeatum.* Salluſtius eodem libro c. 104. *Cum Octavio Rufone, qui quæſtor ſtipendium in Africam portaverat.* Quod etiam perperam ex uno defecto codice mutari exiſtimo. Immo potius diſplicuit illa compoſitio: *maturat portare:* quam tantopere adamavit Livius noſter. lib. 29. *quod niſi omni vi perficere maturaſſet.* lib. 34. *nuntium ad collegam mittit, ut ſi videretur ei, maturaret venire.*

Lib.

Lib. 40. *ſi conſules maturaſſent in provinciam ire.* lib. 44. *inſtabat tribunis militum, ut maturarent inſtruere.* Tacitus 4. hiſtor. *hoſtem ſi ſtatim impellere curſumque rerum ſequi maturaſſet.* Eodemque libro: *Ne Tutor quidem maturavit ſuperiorem Germaniæ ripam & ardua Alpium præſidiis claudere.* Lib. 5. *Debellatum eo die foret, ſi Romana claſſis ſequi maturaſſet.* Pari infelicitate eodem Iugurthino c. 79. *Igitur Carthagine miſſi duo fratres, quibus nomen Philanis erat, maturavere iter pergere*: vox poſtrema, inquit ille, abundat. Meo judicio haudquaquam. Atque his omnibus inducor, ut & apud noſtrum lib. 32, 16. cum Andreanis malim: *juſſis cæteris, quantum maxime poſſent, maturare ſequi.* Vbi Moguntina ſuffecit, *maturate.* Nec ſecus hoc lib. 39, 21. *nuntiaretque ſenatum æquum cenſere, ne ſine imperio provincia eſſet, maturare eum proficiſci.* Quod & nunc fere habent vulgatæ: nam antiquiores *maturate.* Sic lib. 21. *poſtquam ipſi ſtetit ſententia peregre ire.* Ibidem ſcripti: *Id eos ut prohiberet, quod ejus ſine bello poſſet, prætori mandatum eſt.* non *quoad ejus.* Vtrique rectius, & de talibus jam ſupra. Mox lectionē Lipſiani codicis confirmant ſcripti noſtri immo & Andreanæ: *Extremo prioris anni comitia habita erant in Cn. Cornelii locum auguris ſufficiendi.* Nuſpiam *Lentuli.* Sequitur: *Hujus principio anni P. Licinius Craſſus pontifex maximus mortuus eſt: in cujus locum M. Sempronius Tuditanus pontifex eſt cooptatus. Pontifex maximus eſt creatus C. Servilius Geminus.* Ita Gelenius è Moguntio. Bene delevit in ſequenti periodo, *ludos fecit*, in eoque noſtros habet ſcriptos conſentientes. Neque de altero repugno, ſi quis omnino malit: verum quia non modo in editionibus Andreana Aldinaque, ſed ſcriptis membranis etiam

non

non reperiuntur illa verba : *pontifex eſt cooptatus:* videtur brevius ſic poſſe reſtitui : *in cujus locum M. Sempronius Tuditanus pontifex , pontifex maximus eſt creatus C. Servilius Geminus.* Denique : *quum undique conſerenaſſet* ; annotatum ex Moguntino Gelenius voluerat, *ſerenaſſet* ; ante illum editi , *differenaſſet.* Id quod & membranacei ſervant , & reponendum judico : ſignificat enim diſpulſas eſſe nebulas & ſerenum factum. Naudæanus alludens : *deſerenaſſet.*

Cap. 48. *Et Meſſenii deſciverant à conſilio Achaico*] Et hoc è Moguntino ſcripto. Andreanæ cum ſcriptis : *& Meſſene deſciverat à concilio Achaico.* Quis neget reſtitui debere ? & eodem jure mutatum, quo libro præcenti cap. 29. *Quatuor menſes obſidionem Same ſuſtinuit.* Et animadvertit jam, ut video , Glareanus.

Cap. 49. *Itaque clauſerat portam turba , dum pro ſe quiſque*] Barberinus : *clauſerant.* Petav. *Itaque clauſerant turbandum.* Naudæanus , Andreanæ & Moguntini : *Itaque clauſerant portam turba, dum.* Quod verum puto. *Turba* ſunt diverſi globi hominum concurrentium , manipuli hominum per intervalla , ut fit ejuſmodi in motu ac tumultu , conglobatorum. Prima hoc Aldina perperam mutavit. Vt & mox : *vix pro comperta tantam rem habiturus videretur.* Sic enim recte & Andreanæ : non *comperto* , ut Aldina & deinceps editiones. Pari audacia capite eodem : *eſſe quæ pertinentia ad ſummam belli percontari eum magiſtratus vellent, inde adducto eo in curiam, & ſenatu vocato, conſultari cœptum.* Tò *inde* ut & pronomen *eo* neque membranæ habent ullæ neque Andreanæ. Sed etiam Barberin. Petav. Naud. *abducto.* Vt reſtituimus etiam lib. 27, 28. *exercitum, cui collega præfuerat, M. Marcellum tribunum militum*

litum Venuſiam abducere juſſit. Et lib. 30, 14. *abductum in ſecretam Maſaniſſam.* Sic *abducere domum.* Incontaminata ſcriptura eſt: *magiſtratus vellent. Abducto in curiam & ſenatu vocato, conſultari cœptum.* Scriptor Moguntini, à quo iſta ſunt profecta, abruptam nimis putavit orationem; qui error mille centonibus interponendis cauſſa fuit, nudumque ablativum participii non explere ſenſum abſque pronomine credidit. At ita noſter lib. 2, 53. *Ob hæc advenientibus gratia acta.* Sic mss. non *iis advenientibus*, ut vulgo lib. 34. *Vnam ſpem fuiſſe, ſi qua admoventibus exercitum diſſenſio inter ipſos ac ſeditio excitari poſſet.* Lib. 36. *Ducere tum porro in ſinum Maliacum cœpit. Appropinquante faucibus, ſuper quas ſiti Thaumaci ſunt, deſerta urbe juventus omnis armata, ſilvas & itinera inſedit.*

Cap. 51. *Et Romanorum inexpiabile odium in ſe cernens*] Satis commode ſic Moguntinus, indeque Aldina, lib. 2. *in quos Aurunci magis jam inexpiabili odio quam ſpe aliqua aut occaſione coorti.* Sic & lib. 33. *an quia victus prælio foret, inexpiabile bellum factum.* Et eodem libro de Annibale: *in pacem Carthaginienſibus datam eſſe, ut inexpiabile bellum adverſus ſe unum maneret.* Scripti tamen omnes cum Andreanis: *inexplicabile odium.* Quod conſideres, velim, an ſit omnino rejiculum. Certe *inexplicabilis facilitas*, quæ finem non habet, lib. 37. *quum aliquamdiu hinc indulgentia, hinc modeſtia, inter permittentes invicem, non mutua magis quã inexplicabili facilitate certatum eſſet.* Puta ſic, ut ipſi finem negotii reperire non poſſent. Lib. 40. *profectos à domo inexplicabiles continuis imbribus viæ & inflati amnes tenebant.* Et Cicero in epiſtolis ad Atticum *legatio inexplicabilis.* Quid ni ergo odium dici poſſit *inex-*

inexplicabile, cujus ordo, modus & terminus haud queat explicari, id eſt, expediri, iniri, finiri? Iterum lib. 40. *ſi forte implacabilis furor iris implicaret animos veſtros.* Ibidem ſcripti: *ſeptem exitus è domo fecerat; ex his quoſdam occultos, ne cuſtodia ſepirentur.* Haud ſcio quis vulgatis intulerit copulativam: *& ex iis.* Nam Andreanæ quoque, Moguntini & Aldina: *fecerat. ex iis quoſdam.* Nobis ad guſtum priſca lectio.

Cap. 52. *Alius princeps in locum ejus electus non eſſet.*] Hoc quoque Latinius ſcripti Andreanæ, Moguntini & Aldina: *in locum ejus lectus non eſſet.* Vt vitiaverant lib. 21., 42. *ſe quiſque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret.* Lib. 28, 42. *dux tumultuarius quidem ille L. Martius & militari ſuffragio ad tempus lectus.* lib. 29, 23. *ipſe legeret, quos in Africam ſecum trajiceret.* lib. 40, 35. *loca pacata ad hibernacula me lecturum.* Ita ſcribe ex Moguntino, non *electurum.* Symmachus lib. 10. epiſtolar. *Bonorum virorum vena fœcunda eſt. Melius urbi noſtræ in poſterum conſuletis, ſi legatis invitos.* Erravit Lectius jubens legi: *ſi eligatis.*

Cap. 53. *Avertendos etiam animos à ſuſpicione*] Sic quidem Gelenius. At ante illum editi non diſſentientibus Barberin. Naudæ. & Petav. *prævertendos etiam animos à ſuſpicione talium conſiliorum ratus.* Variis uſibus ejus verbi quare non hunc liceat adjungere? Quid eſt enim hoc aliud, niſi ante, quam expediret hæc conſilia publicari, vertendos ad alia hominum animos ab ſuſpicione illorum? In fine ſcribe cum Aldina: *ut is filio majori haberetur honos.*

Cap. 54. *Neque illos recte feciſſe, quum in Italiam venirent*] Neque Moguntinæ curatores recte feciſſe arbitror, quod immutavere lectionem vete-

veterem ſcriptorum & Andreanarum : *Neque illos recte geſſiſſe.* Dicemus alibi. Lib. 40. *ſive caſi ab Romanis forent Baſtarnæ, Dardanos tamen ſublatos* &c. *ſolatio fore : ſive proſpere geſſiſſent, Romanis averſis* &c.

AD

LIB. XL.

EPITOME : *Ipſa etiam ſe interemit*] Membranaceus Barberin. *ſuaſit iis, ut imminens ludibrium morte effugerent. quod quum perſuaſiſſet, ipſa ſe cum viro in mare præcipitavit.*

Cap. 2. *In poſticis parietibus Cereris templi adfixit*] Barber. & Naudæ. *poſticis partibus.* Petav. *in poſtibus poſticis partibus.* Mediam lectionem probo argumento illius lib. 25. 8. *hortus erat poſticis ædium partibus.* Sic Put. & omnes Gallicani integre, ſatis fidi & locupletes hic auctores contra Andreanas & Pall. (quamquam de his excerptor ſilet) quorum inſtinctu Gruterus τὸ *partibus* ejecit. Varro lib. 1. de vita populi Romani : *in poſtica parte erat culina, dicta ab eo, quod ibi colebant ignem.* Idem ταφῇ Μενίππȣ: *perrexit in interiores partes domuis poſtica.* Valerius Maximus lib. 5. cap. 7. *cum domo poſtica clam eſſet egreſſus.* Suetonius Othone : *proripuitque ſe poſtica parte palatii ad conſtitutum.* Quibus omnibus firmatur apud Tacitum tertio hiſtoriarum : *Vitellius capta urbe per averſam palatii partem Aventinum in domum uxoris ſellula defertur.* Vbi deleta voce *partem* prævivit intempeſtivam correctionem ἄερσις ἀείσω Grutero Lipſius.

Cap.

Cap. 5. *Ex compoſito ſermones ad ſpem Romanorum trahebant*] An *ſpem Romanorum* quam Demetrius habebat politam in Romanis? Immo merito Glareanus, qui τὸ *ſpem* hic repoſuerint Moguntinæ editionis curatores, eos compoſitionem feciſſe, quam nemo intelligat. Sigonius *ſpeciem*, ut ſit eos de dignitate Romanorum ſermonem intuliſſe. Nihilo melius. Reſtituatur antiqua lectio: *ad ſpretionem Romanorum*, quam omnino ſententia requirit. Nec videatur vox inſolens, cujus analogia proba eſt, & haud dubie alia exempla exſtarent, ſi locupletior ad nos perveniſſet antiquitas. Qui *ſpretio* minus dicatur quam *contemtio*, qua voce optimi auctores, Livius ipſe lib. 6. Cicero & Cæſar uſi? Ita *terriculis*, *inceramentis*, *rebellio* uſum noſtrum conſtat, quæ etſi ſpiſſe alibi reperiantur, tamen ei manent, & analogia tuta ſunt. Ibidem: *nec regem ſe alium habituros ajunt, quam quem Romani dediſſent.* Hoc Gelenii eſt, cui tamen nos non facimus ſecundas, ſed tenemus prius editum: *nec regem ſe alium rentur habituros eſſe, quam quem Romani dediſſent.* Idem verbum bis alibi Livio reſtituimus, & eſt ex illis, quæ amavit auctor. Neque ignoro, quod libro præcedenti: *Ad hoc Romanos Demetrium in paterno ſolio locaturos, Perſei nullam apud eos gratiam eſſe. Hæc vulgo loquebantur.* Nimirum ſermones hujuſmodi indicio erant, quid cenſerent.

Cap. 7. *Ad has accipiendas voces ſpeculator ex conviviis Perſei miſſus*] Scribo: *ad has excipiendas voces.* Sic dicuntur, quæ in hoc accipiuntur, ut ſerventur, ut earum aut in honorem aut injuriam dicentis recordere. Tacitus in vita Agricolæ: *auget mæſtitiam, quod adſidere valetudini, fovere deficientem, ſatiari vultu, complexu non contigit: excepiſ-*

cepiſſemus certe mandata voceſque, quas penitus animo figeremus. Idem lib. 6. annalium, ubi narravit Tiberium in Druſum Germanici filium etiam defunctum ſævum recitari dictorum factorumque ejus deſcripta per dies juſſiſſe: *quo non aliud atrocius viſum, adſtitiſſe tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent.* Sed & proprium verbum eſt inſidiarum. Lib. 9. *ſi qua licentia populando effuſus exercitus excipi ac circumveniri poſſet.* Lib. 27. *ſi quos vagos pabuli aut lignorum cauſſa longius a caſtris progreſſos poſſent excipere.* Lib. 33. *alios vagos per hiberna milites ad varios commeantes uſus excipiebant.* Video Moguntinam quoque editionem haud dubie ex ſcripto & hanc ſecutas Aldinam, Cervicorni, Pariſienſem tueri: *excipiendas:* quod ſpreverunt, cum vitia omnia ejus libri fideliter expreſſerint. Mox ſcribes: *male mulcatur.*

Cap. 8. *Cui pater, ſatin ſalvæ? & quænam ea mæſtitia*] Andreanæ, Moguntini & cæteræ: *cui cum pater.* Haud ſcio, quis particulam deleverit: ea enim neceſſaria eſt, ſuperfluum pronomen. Deinde veteres edd. *de ludicro tibi inquit.* Sigonius præclare, *de lucro:* ſed quod pro *tibi* reponit *pater*, id neque confirmant libri noſtri ullo veſtigio, & *τὸ tibi*, ut ſæpe apud optimos ſcriptores, eleganter *παρέλκει*. Naudæanus hic omnium integerrimus: *interrogaret, de lucro tibi, inquit:* ejecto etiam pronomine *eum*, & meo judicio recte. Veram ſcripturam puta: *perturbato vultu in conſpectu patris tacitus procul conſtitit. Cum pater, ſatin ſalvæ? &, quænam ea mæſtitia eſſet? interrogaret: de lucro tibi, inquit, vivere me ſcito.*

Cap. 9. *Per te patriumque nomen, quod utri noſtrum*] Scribendum eſſe: *Per, te, patrium nomen:* diximus, &, puto, probavimus doctis ad

lib.

lib. 29, 18. Vbi propoſitam verſuum in Civi emendationem admodum firmant verba Curtii lib. 9. *Per, vos, gloriamque veſtram, qua humanum faſtigium exceditis, perque & mea in vos & in me veſtra merita, quibus invicti contendimus, oro quæſoque, me humanarum* &c. Vt enim ibi conceptam à Poëta diximus ſic evolvendam orationem: *te, te, mea alumna, & per tuum amorem & per ſacra perque lumina Ilithyæ precor:* ita prorſus apud Curtium: *Vos & per gloriam veſtram perque & mea in vos & veſtra in me merita oro quæſoque.* Inferius: *Quid enim? negat ſe cum multitudine veniſſe ad januam meam?* Diſtinctione & una litera mutata animandam orationem exiſtimo: *Nihil ego tanquam accuſator crimino ſe, nec dubia argumentis colligendo ago. Quid enim neget? ſe cum multitudine veniſſe ad januam meam? an ferro ſuccinctos ſecum fuiſſe?*

Cap. 10. *Petitum inſidiis xxx noxium huic eſſe caput*] Poſtrema verba aut vacant, inquit Sigonius, aut aliquid deſideratur, quemadmodum cenſet Glareanus. Locum non mutavi, aſteriſco tantum ſignavi. Sic ille. Sed videtur ſine lacunæ ſuſpicione conſtare, ſi ſcribas perlevi mutatione: *diſcerne & diſpice inſidiatorem & petitum inſidiis innoxium hoc caput.* Vltimis verbis ad miſeratio-nem flexis ſeipſum deſignat.

Cap. 11. *Superſtes ei ita ſim, ſi merebor*] Scopæ diſſolutæ. Lege: *Vnus ante me pater eſt, & ut diu ſit, deos rogo. Superſtes (& ita ſim, ſi merebor, ut ipſe me eſſe velit) hæreditatem regni, ſi pater tradet, accipiam.* Hæc Barberini, Petaviani, Naudæani duumque Florentinorum ſcriptura eſt: diſtinctionem nos addidimus. Et ſane ſi vel mera conjectura eſſet, ſatis ſe probaret intelligentibus.

Cap. 13. *Vt quibus aliis deinde ſacris*] Nulla poteſt hic fingi deſtinatio vel finalis cauſſa, quam particula *ut* explicet. Nemo enim unquam hac fini, ut expiaretur, propoſuit ſibi, ſe hominem occiſurum, nedum parricidium commiſſurum. Lege: *venena, gladios, in comiſſationem præparatos, volutabam in animo. Et quibus aliis deinde ſacris contaminatam omni ſcelere mentem expiarem?*

Cap. 14. *Miſeria hæc & metus crapulam facile excuſſerunt, quæ*] Glareanus: quid ſibi velit hæc vox *miſeria*, neſcio. Fortaſſe fratris invidiam intelligit, & patrem ſcire vult, quæ domi ſuæ ſint acta, quæ item in domo Perſei. Ego minus ſcio, quid his ambagibus velit Glareanus. An ulla res magis propria reorum quam miſeria? *Miſeros ut tueare reos*, inquit ille. Ergo *miſeria hæc & metus* nihil eſt aliud quam reatus & periculum capitis.

Cap. 15. *Id enim vitiis meis, non cedendo cui jus faſque eſt*] Ingenua confeſſio Glareani ſumma ratione nititur: qui eum docere ſperat vir doctus, facit intelligendo, ut nihil intelligat. Senſum ait eſſe: regnum enim vitiis meis, id eſt, non cedendo fratri, conſequar, ut autem te dignus habear, modeſtia: ideoque legendum: *hoc modeſtia conſequar.* Inſanum bene profecto: ut accuſatus majeſtatis & cogitati in fratrem patremque parricidii fateatur in ipſa defenſione, etiam nunc ſe exiſtimare, vitiis & non cedendo fratri ſe poſſe regnum conſequi. Nihil vidi acutius. At, ut ſerio agamus, quem promtiorem ad ipſum ſe induendum laqueum Demetrio vel Perſeus optare poſſet? Quis judex tam probus & ſimplex eſſet, ut quem audiret ita ſermocinantem, eum dubitaret regno potius inhiare quam conſectari æſtimandam minimi laudem imperii cupido, patre dignum

gnum

gnum videri? Nihil eſt tota accuſatio Perſei: non tot delatores, tot ſuſpicionum ipſius patris cauſſæ nocebunt Demetrio: hoc unum dictum ad peragendum & condemnandum eum ſufficit. Non ſic excidere Livius ſolet, neque innocentes reos utique tam manifeſta verborum imprudentia ſeipſos jugulantes inducere. Ergo alia quæramus. Et mihi quidem non hæc modo vitio ſcripta, ſed & proxime præcedentia videntur. Quid eſt enim: *indignus te patre, indignus omnibus?* Haud dubie *τὸ indignus* intelligit *τὸ regno*: nam de illo ſermo præcedens, & hæc reſponſio eſt ad illos propoſitos arcanos Perſei ſenſus: *Cur uſquam regni, tui ſit mentio, Demetri? cur dignior patris fortunæ ſucceſſor quibuſdam videris, quam ego?* Ad hæc reſpondet Demetrius: ſe quidem in ſecundo gradu ſiſtere & ſiſtere debere; non tamen debuiſſe ſe filium tanti regis committere, ut regno indignus omnino videretur. Cui? & patri & omnibus. Hoc autem, ut indignus regno videretur, ignavia & flagitiis & conſpirando cum hoſtibus, eaque agitando, quorum accuſetur, quidem conſequi ſe potuiſſe: non idem potuiſſe conſequi modeſtia & eum locum ordinemque tenendo, quem eum ipſe pater tenere velit, hoc eſt, cedendo fratri majori, cæteris omnibus præſtando. Quo ſignificat hanc ipſam generoſo cum animo conjunctam modeſtiam, ut ſcilicet ſoli fratri cedere velit, in cauſſa eſſe, cur ipſe quoque regno dignus habeatur. Et ſic ſolet. Tacitus lib. 3. hiſt. de Iunio Blæſo: *ſanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, ut parum effugeret, ne dignus crederetur.* Hæc ſana & integra ſententia eſt hujus loci, quem ſuppeditabit verba recte conſtituta hoc modo: *Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc ſperare regnum, nec ambi-*

gere unquam de eo forſitan debeam, quia minor ſum, quia tu me majori cedere vis: ſic illud nec debui facere, nec debeo, ut indignus tibi, pater, indignus omnibus videar. id enim vitiis meis, non cedendi, cui jus faſque eſt, modeſtia conſequar. Barberinæ & Mediceæ membranæ clare habent *cedendi:* cætera conjecturæ noſtræ debentur. In Naudæano erat: *ut te patre indignus omnibus videar:* altero *indignus* omiſſo. Quæ lectio hac parte etiam non ineptum efficiet ſenſum, & ſi malis, τὸ *id*, quod ſequitur, interpretabere: ut te patre, & propterea ſucceſſione in regnum, indignus omnibus videar.

Cap. 18. *Quatuor legiones conſulibus, quæ quina millia*] Ab Gelenio additum τὸ *quæ*, ſine ulla mentione, librorum veterum. Certe nobis inſpecti membranacei omnes una cum Andreanis aliiſq; prius editis id non agnoſcunt. Nihil certius quam Livium more ſuo ſcripſiſſe: *Exercitus inde decreti. quatuor legiones conſulibus: quina millia ducenos Romanos pedites, trecenos haberent equites, & quindecim millia ſocium ac Latini nominis, octingentos equites.* De quo ut minus dubites, recognoſce quæ ſcripſimus ad lib. 34, 36.

Cap. 20. *Regum prima Eumenis & Ariarathis Cappadocis*] Scribe cum antiquioribus: *primus*, ut omnes tres includat numerus ille: ſequitur enim: *Lacedæmoniorum deinde exulum & Achæorum legati introducti ſunt.* Eſt tamen illud vitium ſcripti Moguntini. Ibidem: *Demetrius omnium, præterquam fraterni ſceleris, ignarus, primo neque magnam neque nullam ſpem habebat.* Haud ſcio, cujus ſit: nam ſcripti omnes Andreanæque, Moguntini & tres eam ſecutæ, *præterquam fraterno ſcelere* Quo ſignificatur omnium, quæ de ſe patrem, fratrem, totam aulam agita-

agitare poſſet ſuſpicari, inſcium fuiſſe, præterquam quantum ex ſcelere fraternæ accuſationis colligeret.

Cap. 22. *Qui triduo aſcenderat, biduo eſt degreſſus*] Conjectura Sigonii eſt, quum antea legeretur: *quatriduo aſcenderat.* Vbi nulla mutanda litera, tantum dividenda vox erat: *qua triduo aſcenderat.* nempe, via.

Cap. 24. *Demetrium iterum ad patrem accuſavit Perſeus*] Quam Gelenius lectionem corrigit, eam in Maguntina & tribus alteris reperio: *accuſavit Perſeus fuga per Pæoniam præparata, arguebant & corrupti quidam.* Hic Gelenius: *iterum ad patrem accuſavit Perſeus. Fuga per Pæoniam præparata arguebatur, & corrupti quidam.* Pro quo Sigonius, quia veteres libri ſervarent, *arguebant*, ſubſtituit vulgatum: *accuſavit Perſeus de fuga per Pæoniam præparata. Arguebant eum corrupti.* Fatendum tamen illud Gelenianum multo eſſe decentius: inprimis τὸ *eum*, quum & contra mss. quos fruſtra prætendit Sigonius, ſit, tum inertiæ ſoporiſque plenum eſt. Vera lectio reperta nobis in Barberin. & Petav. membranis, quibuſcum conſentiunt editiones Andreanæ: *Demetrium iterum ad patrem accuſavit fuga per Pæoniam præparata: arguebant & corrupti quidam, ut comites itineris eſſent: maxime falſæ literæ T. Quinctii urgebant.* Haud differt Naudæanus, niſi quod *arguebantur.* Nulla opus hic Perſei opera: ipſa illa fugæ deſtinatio, Didæ proditione cognita Philippo, ſatis grave crimen miſero fuit, & apud patris animum accuſationem peregit. Talia nobis facile ſatisfaciunt: Sigonio, etſi vidiſſet in libris veteribus vix approbaſſent ſeſe, quippe qui nec ferre poteſt *dictaturam dici leges tuliſſe*, quæ in dictatura alicujus ab illo latæ ſunt, neque *le-*

gem ab inopia & miſeria civitatis ſcriptam, cui cauſſam dedit inopia & miſeria civitatis. Salvianus de ſuo Timotheo ad Eccleſiam Catholicam: *Nam ſicut Theophili vocabulo amor, ſic Timothei honor divinitatis exprimitur. Itaque quum legis Timotheum ad Eccleſiam ſcripſiſſe, hoc intelligere debes, pro honore Dei ad Eccleſiam ſcriptum eſſe, immo potius ipſum honorem Dei ſcripta miſiſſe: quia recte ipſe ſcripſiſſe dicitur, per quem factum eſt, ut ſcriberetur.* Q. Aurelius, reperto ſe inter proſcriptos, apud Plutarchum in vita Sullæ: *οἴμοι τάλας, διώκει με τὸ ἐν Ἀλβανῷ χωρίον.*

Cap. 25. *Æmilius quum & venturos ſciſſet, & ducere in aciem copias potuiſſet*] Scripti omnes: *& educere in aciem potuiſſet, intra vallum ſuos tenuit.* Nuſpiam *copias.* Quod profecto gloſſema eſt: nam ut τὸ *venturos* reſpicit ex præcedenti *Ligures*, ita *educere* (quod & Andreanæ tenent Moguntinaque cum tribus proximis) ex ſequenti *ſuos.* Sed & per ſe intelligitur & prorſus eodem modo adhibet eam phraſin auctor lib. 21. de Hannone: *itaque priusquam alienarentur omnia, obviam eundum ratus, caſtris in conſpectu hoſtium poſitis, in aciem eduxit. Nec Romano differendum viſum.*

Cap. 26. *Romæ magnam trepidationem literæ Bæbii*] Suſpicor, immo pœne pro certo habeo τὸ *magnam* adjectitium eſſe & diſtinctionem mutandam. Nam præterquam quod inficeta prorſus eſt gradatio ex *magnam* in *majorem*, pleniſſimi ſenſus eſt: *Romæ trepidationem literæ Bæbii fecerunt eo majorem, quod paucos poſt dies Marcellus* &c. Ibidem: *permiſſum eſt, ut qua irent protinus ſubitarios milites ſcriberet, duceretque ſecum.* Omnibus ſcriptis & Andreanis τὸ *ut* exeſt,

Libra-

Librarius Moguntinus addidit. Inferius: *Matienoque cujus ad Gallicum ſinum provincia erat, imperatum.* De his duumviris ita ſuperius noſter: *Nec rei navalis cura omiſſa. duumviros in eam rem conſules creare juſſi &c. Inter duumviros ita diviſa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium iis Minervæ, velut cardo, in medio eſſet: alter in dextram partem uſque ad Maſſiliam, lævam alter uſque ad Barium tueretur.* Cæterum iſtam lectionem ſine mentione antiqui codicis exſtruxiſſe videtur Gelenius ex iis quæ exſtant c. 28. *Et à Matieno duumviro naves ejus generis in Liguſtina ora duæ ac triginta captæ ſunt.* Ex qua tamen intelligi Livium voluiſſe putamus, non mutari debere, priſcam omnium membranarum, Andreanarum, Moguntinorum, Aldinæ, Cervicorniæ, & Pariſienſis lectionem: *Duumviri navales creati C. Matienus & C. Lucretius, naveſque iis ornatæ ſunt: cujuſque ad Gallicum ſinum provincia erat, imperatum, ut claſſem primo quoque tempore duceret in Ligures.* Verbum *imperatum* intelligit pronomen *illi*, exquiſito ellipſeos genere, quæ offendit Gelenium, mihi maxime veterem lectionem pro genuina probat. Plautus Pænulo a. 3, 5. *Ita mihi renuntiatum eſt, quibus credo ſatis.* hoc eſt, ab illis quibus credo ſatis. Vbi fuit, qui conjectaret: *ibus.* Trinummo: *Pater cum peregre veniet, in porta eſt locus.* Fruſtra Douza: *patri.* Noſter lib. 4. *civis Romanus ſi ſit ex plebe, præciſa conſulatus ſpes erit.* Intelligis, ei præciſa erit. Lib. 10, 25. *hodierno & craſtino die qui nomina dederitis, mecum ducam.* Vbi perperam Sigonius, *dederint.* lib. 20, 45. *imperiumque in annum prorogaretur, cui ea provincia eveniſſet.* Sic omnes ſcripti. Vulgo: *ei prorogaretur.*

Cap. 27. *M. Servilius & L. Sulpitius tribuni militum*] Vetus lectio Andreanis quoque, Moguntinis & cæteris ſervata: *principes ex eadem legione in ſubſidiis poſuit, M. Servilio & L. Sulpitio tribunis militum his præpoſitis.* Quod neſcio quis nugator mutavit ob concurrentes plures ablativos: quam etiam ob cauſſam vitiarunt lib. 2, 23. *tributo iniquo ſuo tempore imperato æs alienum feciſſe*: & lib. 35., 36. *frequentibus inde retentis in armis Ætolis.* Nubem exemplorum ex noſtro dabimus alibi. Inferius: *Ad hac conſentiens reddebatur militum clamor, nullam militum culpam eſſe, quibus nemo ad erumpendum ſignum dediſſet. daret ſignum.* Vocem *militum* priore loco neque ſcripti ulli neque Andreanæ agnoſcunt. Itaque deleatur, invito quamvis Moguntino ſcripto, quem Aldus & deinceps alii ſecuti.

Cap. 28. *Ingaunorum omne nomen obſidibus datis in deditionem venit*] Sic etiam Aldina. Tu vero ſcribe cum membranis & Andreanis: *in ditionem*: quod male Moguntini mutarunt.

Cap. 29. *Triumviri deduxerunt, C. Calpurnius Piſo*] Barber. & Petav. *treſviri deduxerunt.* Neque aliter iidem, immo omnes præcedenti libro cap. 44. *coloniaſque deduxerunt iidem treſviri Q. Fabius Labeo & M. & Q. Fulvii, Flaccus & Nobilior.* Quod retinuerunt Andreanæ, Moguntinus mutavit. Sic & cap. 34. hoc libro Barber. *treſviri deduxerunt, P. Cornelius Scipio Naſica* &c.

Cap. 31. *Vbi primum fremitum equeſtrium audivit*] Haud dubie, *fremitum equeſtrem.* Sic alibi, *procella equeſtris.*

Cap. 34. *Quæ prima omnium in Italia ſtatua aurata eſt*] Scio apud Manilium lib. 4. *Quum vitreum findens aurato vellere pontum*: in Gemblacenſi & Venetis membranis, unde aliquot lo-

ca ſcriptoris ejus reſtituimus, legi: *auravit vellere pontus.* Nihilominus ſcripſiſſe Livium ſuſpicor: *ſtatuam que auratam, quæ prima omnium in Italia ſtatuta aurata eſt, patri Glabrioni poſuit.* Plautus Curculione: *Tibi næ ego, ſi fidem ſervas mecum, Vineam pro aurea ſtatua ſtatuam, quæ tuo Gutturi ſit monumentum.* Cicero Philipp. 9. *ut eam baſin ſtatuamque faciendam & in Roſtris ſtatuendam locent.* Inferius: *pacem cum iis populus Romanus non ab ſe tantum, ſed ab rege etiam Maſaniſſa præſtitit.* Neque ignoro illa Plautina: *ſervare cum aliquo fidem, cavere, captare cum aliquo:* tamen præpoſitionem *cum* hic apud noſtrum delendam eſſe cenſeo.

Cap. 35. *Etiam prope neceſſarium eſſet*] Scripſit Livius: *quod fieri, præterquam quod ita deberet, etiam prope neceſſarium eſſe. Ita enim obſtinatos eſſe milites* &c. Qualiter cum alibi tum lib. 31, 8 & 11, lib. 35, 49. reſtituimus.

Cap. 36. *Q. Fabio Buteoni prorogatum in Gallia imperium eſt*] Et hic Sigonius: *in Galliam:* ex ſuis veteribus libris, (quibuſcum non certe faciunt noſtri) & utramque locutionem eſſe Livio uſitatam obſervat. In quo etiam fallitur: nam, ut dixi, imperium populus Romanus non dabat magiſtratibus in provincias, ſed in exercitus in provinciis: neque aliud erat *imperium* hoc ſenſu quam poteſtas exercitum habendi & ei imperandi, remve bellicam adminiſtrandi. Sic lib. 26. *Et prætoribus prioris anni M. Iunio in Etruria, P. Sempronio in Gallia, cum binis legionibus, quas habuerant, prorogatum eſt imperium.* Sic utique ſine ulla varietate & veteres & vulgati libri. Eodem c. 18. *omnes non centuriæ modo, ſed etiam homines P. Scipioni imperium eſſe Hiſpaniæ juſſerunt.* Sic mss. Lib. 27. *his quoque eſt enim prorogatum in*

Sicilia imperium. Lib. 30. *latum ad populum eſſe, cujus vellent imperium in Africa eſſe*. Nec longe ibidem: *P. Scipioni cum exercitibus, quos haberet, in provincia Africa prorogatum imperium.* Iterumque: *M. Servilio in Etruria prorogatum imperium*. Denique: *cui juberent in Hiſpania imperium eſſe*. Lib. 31. extremo: *plebes Cn. Cornelio Lentulo ex L. Stertinio proconſulibus imperium eſſe in Hiſpania juſſit*. Videntur induxiſſe Sigonium illa lib. 2. 6. *quem cum imperio mitti placeret in Hiſpaniam ad eum exercitum, cui Cn. Scipio imperator præfuiſſet*. Lib. 42. *C. Sicinius prætor deſignatus cum imperio in Apuliam miſſus*. Et ſi quæ ſimilia. Sed hæc alius, atque ſuperiora, generis eſſe nemo non videt.

Cap. 40. *Advehitur ad legionarios equites, &, ecquid auxilii*] Conjicio ſcribendum: *& ni quid in vobis auxilii eſt, actum jam de hoc exercitu erit*. Et ſane ſenſus dictat non aliter concepiſſe auctorem.

Cap. 41. *Literæque ei datæ ſunt à conſule ad P. Manlium*] Gelenio debemus, quum prius editum eſſet: *remitteretque ei datæ ſunt*. Et criminatur ille quidem editores non ſatis intentos oculos in veterem librum habuiſſe. Quicquid ſit, fieri non poteſt, quin ambigua veſtigia illius lectionis, aliter, quia ſenſu caret, non placituræ, apparuerint: eaque ſuſpicor ſignificaſſe: *SC. literæque ei datæ ſunt à conſule*. Ita namque ſimili in re ſolet Livius. Vt lib. 26. *eques citus ab Roma venit, literaſque à C. Calpurnio prætore Fulvio & ſenatuſconſultum tradit*. Lib. 37. *Hoc ſenatuſconſultum literæque à Sp. Poſtumio prætore in Etruriam miſſa ſunt*. Lib. 41. *& C. Claudius literis Tib. Claudii & ſenatuſconſulto accepto ex Iſtria legiones in Ligures traduxit*. Quæ & valde fir-

mant

mant conjecturam noſtram lib. 22, 26. *acceptiſque in ipſo itinere literis ſenatuſque conſulto de æquato imperio.*

Cap. 42. *De his rebus ſe legatos miſiſſe, nec conveniendi*] In unico codice Germanico, unde pars hæc libri hujus publicata eſt, non fuit τὸ *ſe*, ut apparet ex prima editione & Aldina, & quotquot eas fideliter expreſſerunt: recentiores ex lubitu adjecerunt: itaque nobis religioni non ſit tollere. Lib. 4, 47. *tum Ahala Servilius tribunus militum, tacuiſſe tam diu, ait, non quia incertus ſententiæ fuerit.* Sic Fulvianus, Cujacianuſque codices. Vulgo: *tacuiſſe ſe tamdiu.* Lib. 23, 13. *Quum id neſcire Mago diceret.* Vt nos ibi ex melioribus. Et eodem lib. cap. 34. *deinde ubi celeritate vinci ſenſerunt, tradunt ſe Romanis.* Quod inprimis firmatur illo lib. 3, 27. *ut ſenſere jam prope hoſtes eſſe, ſigna conſtituunt.* Vbi Pal. quidem & Andreanæ: *ſenſere ſe jam prope hoſtes eſſe:* ſed eorum auctoritate hic non utimur. Lib. 25, 26. *Acradinam inde, trinis caſtris per idonea diſpoſitis loca, ſpe ad inopiam omnium rerum incluſos redacturum, circumſedit.* Ita ſcripti, non *redacturum ſe.* Et habes pariter lib. 22. *edoctus a peritis regionum, ſi eum ſaltum occupaſſet, exitum Romano ad opem ferendam ſociis interclusurum.* Lib. 27, 21. *eo die quo pugnatum cum Romanis eſſet, inſcio avunculo clam armis equoque ſumto in aciem exiſſe.* Lib. 30, 22. *nec meminiſſe per ætatem dicerent legati.* Quæ duo loca vulgo eadem labes inſederat. Lib. 29. *Duos exercitus Romanos, unum in Gallia, alterum in Etruria eſſe, ſatis ſcire.* Lib. 34. *Ad ea conſul, moveri quidem vel periculo eorum vel metu dicere.* Vbi Andreanæ invitis ſcriptis, *moveri ſe.* Hoc libro cap. 44. *voviſſe, quo die poſtremum cum Celtiberis pugnaſſet,*

ludos

ludos Iovi optimo maximo & ædem equeſtri Fortunæ ſeſe facturum : in eam rem ſibi pecuniam collatam ab Hiſpanis. Sic prima editio, Sic Aldina: Recentiores nec quid nec quare: *vouiſſe ſe* : & deinde : *in eas res.*

Cap. 45. *Et ad populum atrocioribus celebratæ*] Vetus exemplar unicum : *& ad populum civibus atrox celebratæ.* Scribe : *ſæpe multis & in ſenatu & ad populum atrocibus celebrata certaminibus.*

Cap. 46. *Niſi forte implacabiles veſtræ iræ implicaverint*] Non optime ſic Glareanus, ut cuivis videre pronum. Conſultiſſime forſan Sigonius, qui adpoſito aſteriſco deſperat. In ſcripto fuit : *implacabiles fueritis implicaverint.* Vide an potuerit fuiſſe : *multa ſuccurrunt, quæ dicerentur, ſi forte implacabiles furiæ irarum implicarent animos veſtros.* Vel, *implacabilis furor iris implicaret animos veſtros.* Certe *ſi* ſcribendum eſt, non *niſi.* Nam ideo, quia ſperant facile illos hoc daturos precibus principum ſenatus, ut bona fide inter ſe reconcilientur atque in concordiam redeant, pericula reipublicæ ex diſcordia imminentia pluribus enarrare parcunt & ſuperſedent ; ſecus, ſi pertinaces crederent, multis eadem exaggeraturi.

Cap. 47. *Seſtertium nummum quater & vicies ab iis eſt exactum*] Prima editio & Aldina: *Numum quater & vicies*, omiſſa prima voce. Æque corrupte. Non potuit aliter ſcribere Livius quam : *Seſtertium quater & vicies ab iis eſt exactum.* Vidit primus Scaliger: nos luculente probavimus.

Cap. 49. *Quoniam illos ad me propiunt ſuſpicere*] Hæc citra controverſiam corrupta ſunt. Refert Glareanus emendaſſe quoſdam ; *prodeunt ſuſpicere,*

ſpicere, alios, *piguit ſuſpicere*: ſed neutrum ſibi placere. At, puto, fuit: *quoniam illos ad me piguit reſpicere*. Etenim *reſpicere* non tantum eſt auxilium exſpectare aliorum, ſed etiam nonnunquam alterius miſereri, curam habere, eique auxilium parare. Ibidem: *nec aliud magnopere victores fuiſſe Romanos, niſi quod poſtero die manentes intra vallum prælio laceſſierint*. In primo exemplari Germanico exſtabat: *nec aliud magnopere berbice crederes fuiſſe Romanos, niſi qui poſtero die arceſſierint manentes prælio ſpolia intra vallum per totum diem legiſſet*. Quæ quidem mirifice & corrupta & turbata ſunt. Primum ergo Sigonius: *magnopere Ergavicæ credere ſe feciſſe Romanos*: eaq; verba includit parentheſi. Sed ſi legeris apud ipſū omnia, quæ huc pertinent, facile animadvertes, non admodum inepte iſta quæ vult, interjecta huc loci applicari. Neque convenit illos, quos auctores refert Livius, dicere, *credere ſe nihil aliud feciſſe Romanos*: non eſt hic hiſtoricorum in tali re ſermo. Si ſcirent certo verumque eſſet, adfirmarent, non dicerent *credere ſe*: ſi dubitarent, famam fuiſſe, ſic à pluribus relatum creditumque ſcriberent. Iam cum legimus, *manentes intra vallum*, de caſtris utique, non de urbe, agi audimus: idque haud dubie de Celtiberorum vallo, non de Ergavicenſium mœnibus, intelligendum. Denique uſus hujus formulæ, *nec aliud*, omnino hic aliud requirit quam *feciſſe*. Scio quidem lib. 28. *nihil aliud quam tumultum ac trepidationem ſimul militum ac nautarum fecerunt*. Et vulgare eſt. Sed exquiſitius hic, *nec aliud*, eſt, non alia re. Vt lib. 23. *nihil aliud quam ad probra audienda nominatos*. Lib. 27. *nihil aliud quam via impediti*. Quæ jam citavimus ad lib. 31, 24. ubi de hac deamata Livio formula, quibus hæc licet

addas.

addas. Interiſſe eandem puto elegantiam. lib. 5, 17. *Inventumque tandem eſt, ubi neglectas ceremonias intermiſſumve ſolenne Dii arguerent. Nihil profecto aliud eſſe, quam magiſtratus vitio creatos latinas, ſacrumque in Albano monte non rite concepiſſe.* Verbum *eſſe* valde mihi ſuſpectum, putoque adjeciſſe, qui neſcirent, *nihil profecto aliud*, dixiſſe Livium pro, nulla alia in re profecto, neglectas nimirum ceremonias. lib. 26, 2. *milites, qui nihil aliud peccaverint, quam quod imperatoris ſimiles fuerint, relegatos prope in exilium.* Nimis metuo ne ab Livio fuerit: *quod nihil aliud quam imperatoris ſimiles fuerint.* Eſt autem vetuſtiſſimum mendum, quod & ſcriptos libros omnes occupavit. Eadem labe fœdatum credo lib. 39, 50. *Accepto poculo nihil aliud locutum ferunt, quam quæſiſſe.* Non facile perſuadebor τὸ *locutum* eſſe Livii: qui quidem meo judicio ita ſcripſerat: *Accepto poculo, nihil aliud ferunt quam quæſiſſe, ſi incolumis Lycorthas (is alter imperator Achæorum erat) equiteſque evaſiſſent?* Noli de his conjecturis judicare priuſquam exempla, quæ dedimus dabimuſque, etiam atque etiam conſideraveris. Sic lib. 2. *donec nil aliud quam in populationibus res fuit.* Lib. 26, 20. *Martium ſecum habebat cum tanto honore, ut facile appareret, nihil minus quam vereri, ne quis obſtaret gloriæ ſuæ.* Quod ab eadem ignorantia vulgo vitiaverant: *nihil minus eum vereri quam ne quis.* Lib. 45. Stratius medicus ad Attalum Eumenis fratrem: *nec aliud eum quam ne frater in regno moriatur; ſibi ipſi ſpem propinquam regni erepturum.* Quod eſt, nec alia re effecta. Eodem libro in oratione Rhodiorum: *Rhodios qui nihil aliud, quam quieverunt hoc bello, hoſtes ex ſociis facturi eſtis?* Senſum vides: qui nihil aliud peccaverunt,

runt, quam quod quieverunt. Perinde ut illic: *quod nihil aliud quam imperatoris ſui ſimilis fuerint.* Vel ſi mavis: *qui nihil aliud quam imperatoris ſui ſimiles fuerunt.* Tale compendium fecerunt etiam in illo: *ſi nihil aliud,* lib. 2. *gradum accelerare, aut ſi nihil aliud, inſtare inſtructos.* lib. 30. *ac ſi nihil aliud, vulneribus ſuis ferrum hoſtile habetarent.* Iterum lib. 45. *non triumphum impedire debuit, quem ſi nihil aliud, ſenatus juſtum eſſe judicaverat.* Petronius: *Tres enim erant muliercula, ſi quid vellent conari, infirmiſſima, ſcilicet contra nos: ſi nihil aliud, virilis ſexus eſſet.* In quo laborarunt eruditi, dum ſemiplenas ejuſmodi orationes intelligendo potius integrari debere quam verbis adjectis non cogitant. Alii voluere: *ſcilicet contra quas ſi nil aliud:* quidam impudentiſſime: *contra nos, quibus ſi nil aliud, virile ſexus eſſet quod auxiliaretur* Quum hæc exempla edantur hodieque in tanta luce literarum, quid putas ante centum aliquot annos factum? quid miraris tot centones auctoritate vetuſtiſſimi codicum ex Livio reſectos eſſe nobis? Nihil autem Petronio vitii eſt: ſed ut apud Livium perinde eſt ac ſi explicatum eſſet: quem triumphum ſi alia omnia deficerent, ſi nihil aliud ornaret, aut juvaret, ſi nihil aliud eſſet, quo mereretur Paullus: ſic apud Petronium eadem formula valet: ſi nihil aliud haberemus potius aut firmius, virilis ſexus eſſet, nempe nobis: ſive malis à principio τὸ *quibus* intelligere. Habes Lib. 22. *Canuſii ſeſe eſſe reliquias tanta cladis velut ex naufragio colligentem: ad decem millia militum ferme eſſe incompoſitorum inordinatorumque.* Potes & hic ſubaudire: eas reliquias ad decem millia eſſe: aut: ſibi, vel ſecum eſſe ad decem millia militum. Petronius iterum: *Si nihil aliud, certe diutius, inquit, juncta*

ſta nos mors feret. Sed revertamur ad principem locum. Cenſeo vulgatæ lectionis auctorem, non Sigonium, penetraſſe omnino in Livii mentem. Nihil de Ergavica hic voluit: totum eſt de prælio cum Celtiberis: & hæc quidem narratio non ſoli illi de Ergavicenſium deditione, ſed toti narrationi præcedenti capitis hujus opponitur, tanquam diverſa de illis omnibus, quæ retulerat, quorundam ſcriptorum traditio. Volunt autem illi, non Ergavicæ modo, ſed etiam Alces centumque trium illorum oppidorum deditionem haud cum fide factam: ſed qua eorum ex regione legiones abduxiſſet, inde extemplo rebellatum: ita coactum denuo ingenti prælio cum Celtiberorum copiis contractis de ſumma rerum diſcrimen facere: ex prælio pares fere partes diſceſſiſſe: una re viſos fuiſſe Romanos potiores, quod die inſequenti rurſus in aciem proceſſerint, & obtulerint ſe certamini, tenentibuſque ſe intra munimenta caſtrorum hoſtibus ſpolia pridie cæſorum legerint, & quæ porro. Itaque præſtat omnino vulgata Sigonianæ, quæ omnem ſenſum trucidat: ſed propius veſtigia ſcripturæ veteris ita, licebit, repones: *ſignis collatis pugnaſſe: multos utrinque cecidiſſe: nec aliud magnopere ſuperiores fuiſſe Romanos, niſi quod poſtero die laceſſierint prælio manentes intra vallum: ſpolia per totum diem legiſſe.* Lib. 27. *Poſtero die Romani ab ſole orto in multum diei ſtetere in acie, ubi nemo hoſtium adverſus prodiit, ſpolia per ocium legere.* Et inferiùs: *Romanus in aciem copiis eductis, poſteaquam neminem ſigna contra efferre vidit, ſpolia legi cæſorum hoſtium, & ſuorum corpora collata in unum ſepeliri juſſit.* Ibidem: *ad triginta & quinque millia hominum occidiſſe, & caſtra oppugnaſſe.* Lego: *expugnaſſe.*

Cap.

Cap. 51. *Privatamque plublicæ rei impenſam inſuerat.*] Cui perſuaſerit Palmetius Salluſtium in Catilinario bello ſcripſiſſe: *plurimos cuique generu homines adfuiſſe ſibi dicitur:* & iterum: *ſicut multa conſuerat;* à *conſuo*, non à *conſueſco*: eidem & *inſuere impenſam* placere poſſe puto. At noli dubitare, quin vera lectio ſit: *privatamque publicæ rei impenſam injunxerat.* Quo verbo inter alia delectatur Livius. Addam unum alterumque exemplum, quæ proprie ad hunc uſum pertinent. Lib. 26. *privatis id ſeu æquum ſeu iniquum onus injungendum eſſe: nam unde, quum pecunia in ærario non eſſet, petituros navales ſocios.* Lib. 42. *Erant quibus vel ſtipendium pendendum, ſi injungeretur, vel agri parte cedendum, ſi mulctarent, videretur.*

Cap. 54. *Eique ea fides nequaquam amicum Perſea inimiciſſimum fecerat*] Scripſiſſe Livium exiſtimo: *neque ante amicum Perſea.* Ibidem: *Eas falſas eſſe & à ſcriba vitiatas, ſignumque adulterinum, vulgo in regia fremebant.* Non prima editio, non Aldina, non Cervicorni nec Pariſienſis habent τὸ *eas*: eſt ergo recentiorum, non Livii. Adde quæ ad lib. 34, 56.

Cap. 55. *Primo audacter negantem, poſtquam*] Prima & eædem proximæ editiones: *audaciter.* Idem reſtituimus lib. 22, 5. *audaciter ſe laturum fuiſſe de abrogando Q. Fabii imperio.*

Cap. 57. *Et commeatus Baſtarnis ut Philippus præſtaret*] Et hic audacter recentiores: nam veteres illæ, ut fuit in unico libro; *ut Philippus daret.*

AD

LIB. XLI.

CAP. 1. *In Iſtriamque ſuum præſidium*] Scribe: *& quo id tutius fieret, ſtationes ab omnibus caſtrorum partibus circumdatæ ſunt: in Iſtriam verſum præſidium ſtativum, repentina cohors Placentina, oppoſita inter caſtra & mare.*

Cap. 2. *Eſſe pro caſtris, eorum turba inermis frequens inter*] Nemini obſcurum eſt hæc quoque corrupta admodum verba eſſe. Lego: *Poſtquam ſtationes invalidas eſſe pro caſtris, cum turba inermi frequente inter caſtra & mare mercantium, ſine ullo terreſtri munimento, viderunt.* Quia dictum eſt ſupra: *in portu emporium brevi perfrequens factum*, poteſt tolerari illud *mercantium*. Malim tamen, *commeantium*. Lib. 33, *alios vagos per hiberna milites ad varios commeantes uſus excipiebant.* Lib. 34. *Idem Carthaginienſibus & Tyri & in aliis emporiis, in quæ frequenter commeant, eventurum.* Ibidem obſerva formulam: *Una vox audiebatur ad mare vocantium: id forte temere ab uno exclamatum paſſim totis perſonabat caſtris.* Sic noſter & lib. 23. *nec quicquam raptim aut forte temere egeritis.* Lib. 25. *nec hujus occaſionis ſpem, milites, forte temere, ſed ex re ipſa conceptam habeo.* Lib. 39. *Majores veſtri ne vos quidem forte temere coire voluerunt.* Eandem reddendam exiſtimo lib. 10, 45. *Eo ipſo loco forte temere ſub armis ſtrati paſſim, inquietum omne tempus noctis exſpectando timendoque lucem egere.* Vulgo: *prope temere.* Hoc meminiſſe vellem virum doctum ad Curtium lib. 5. *Eludant licet, quibus forte temere huma-*

humana negotia volvi perſuaſum eſt. Sic Modius è Mss. neque abeunt quondam Gruteri codices. Ille nobis regeſſit interpolatum: *forte ac temere.*

Cap. 3. *Et Gallorum præſidium venit*] Vox *venit* non erat in ſcripto unico, neque in editis eſt ante Sigonium, ut & verbo monet Gruterus. Sed illi duæ minimum voces, ſi non multo plures, abeſſe viſæ, hæ nempe: *opprimendum venit:* ut ſit: *& Gallorum præſidium opprimendum venit.* Si ſatis capio Livium in præcedentibus, Galli ſteterunt à parte Romana: ideoque non debuerunt ab Romanis opprimi, ſed in auxilium vocari. Deinde quid eſt, *nuntius venit ad opprimendum præſidium Gallorum?* Ad tertiam legionem nuntius venit, ut eam revocaret: hoc Latine dicitur, *ad tertiam legionem revocandam:* haud ſcio quo ſenſu idem nuntius veniſſe dicatur ad Gallos, ut illos opprimeret. Sin accepit, nuntium revocaſſe tertiam legionem hac fini, ut Gallorum illa præſidium opprimeret; primum neque ſatis bene hic ſenſus illis verbis exprimitur: deinde Iſtri erant, non Galli, qui caſtra ceperant; denique non hoc *præſidium* dixiſſet Livius. Quæ aut omnia aut in parte occurrerunt editoribus poſt Sigonium, qui omiſſo importuniſſimo *opprimendum* alteram vocem receperunt. Nos vero ſanum eſſe locum ſtatuimus, ut conceptus olim fuit: *Tum demum nuntius ad tertiam legionem revocandam & Gallorum præſidium: & ſimul ex omnibus locis ad caſtra recipienda demendamque ignominiam rediri cœptum eſt.* Illud, *venit* quod docti viri deeſſe putarunt, ex ſenſu ſupplendum in compendio orationis ſatis eleganti. Plinius lib. 6. ep. 20. *nobis tamen ne tunc quidem, quamquam & expertis periculum & exſpectantibus, abeundi conſilium, do-*

nec

nec de avunculo nuntius. Sic ſcripti vetereſque editiones, & ex illis Gruterus. nam recentiores hic quoque adjecerant de ſuo *veniret*. Statius lib. 5. Thebaid. *Cauſſa viæ genitrix. nec inhoſpita tecta Lycurgi Præbuerant aditus. & protinus ille tyranno Nuntius exſtincta miſerando vulnere prolis.* Noſter lib. 44. *Eodem tempore & ad Eumenem & ad Antiochum communia mandata, quæ ſubjicere conditio rerum poterat.* Vbi intelligitur, dedit, vel miſit per Telemaſtum Perſeus: ſic enim vocatur legatus apud Polybium vel certe dici aut nuntiari. Adde quæ ad lib. 37, 10. notavimus. Gallos exiſtimo feciſſe cum Romanis: & ideo ad eos mille paſſus à conſule caſtra habentes nuntius miſſus, qui edoceret ſociorum periculum. Ea re mox etiam: *& ſimul ex omnibus locis.* Quæ illa omnia? nempe, à mari & navibus, qui è caſtris aufugerant, tum à via, quæ ferebat Aquilejam, legio tertia cum pabulatoribus, denique à præſidio Gallorum, etſi horum poſtea mentionem omittat, ſive non adfuerint in tempore, ſive operam eorum non ducens tanti: ſecus non *ex omnibus locis*, ſed *utrimque*, dixiſſet. Quod ſi omnino conſtaret Gallos hic Romanis adverſos fuiſſe, facile foret corrigere: *ad tertiam legionem revocandam & pabulatorum præſidium*: etenim tertia legio cum præſidio pabulatoribus erat profecta. Sed illud teneo, donec ex aliquo auctore alio doceatur, Gallos Iſtrorum ſocios fuiſſe.

Cap. 4. *Quo celerius fieret, facturum dixit*] Quid apertius quam ſcribendum: *notæ fortitudinis virum inferre ſignum juſſit. Ille ſi unum ſe ſequerentur, quo celerius fieret, jacturum dixit.* Non modo ſcilicet inlaturum, quod jubebatur. Lib. 26. *ſecundi haſtati ſignum ademptum ſignifero in hoſtem infert: jacturum in medios eos minitans, ni*

ſe

ſe propere ſequantur milites. Sic & lib. 34, 46. reſtituimus ex ſcriptis membranis: *ſigna ademta ſigniferis in hoſtes jecerunt.* Ibidem Aldina: *Et parte alia:* non *E parte alia*, ut recentiores. Statimque: *longe plurimos hoſtium occidit.* non *plurimum.* Et capite ſequenti: *Ariminum convenire juberet.* non *Arimini.* Quæ recentiores ſubjecerunt.

Cap. 6. *Ad differendas res quas geſſiſſent*] Scribo: *ſenatus iis à M. Titinnio prætore datus in æde Bellonæ ad ediſſerendas res, quas geſſiſſent, poſtulandoſque honores meritos, & ut diis immortalibus haberetur honos.* Verbum *ediſſerere* & lib. 22, 54 & lib. 27, 7. reſtituimus. Copulativæ autem interpoſitæ auctor nobis ipſe Livius, cum alibi, tum lib. 39. *ut æquum cenſerent ob rempublicam bene ac feliciter geſtam & diis immortalibus honorem haberi jubere & ſibi triumphum decernere.* Ibidem: *nec ullos alicui, quam qui nati liberi ſint, in ſervitutem dari placere.* Ignorantia vocis antiquæ induxit audaculos, ut diviſione ejus & prava diſtinctione locum corrumperent. Scripſit auctor, ut fuit in ſcripto ſervatque Aldina: *Nec Lyciis Rhodiis nec ullos alicuiquam, qui nati liberi ſint, in ſervitutem dari placere. Lycios ita ſub Rhodiorum ſimul imperio & tutela eſſe.* Vox proba, *aliquiſquam*, ut *aliquiſpiam* apud Ciceronem in oratione pro Sextio: *atque ille, ſi aliquapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facile pateretur.* Iam alii obſervarunt.

Cap. 8. *Neque eo minus aut hos aut illos in delectum*] Itane & ratio eſt, cur Fregellani, ad quos quatuor millia familiarum tranſierant, propterea minus in delectum darent? Haudquaquam: ſed procul omni dubio excidit τὸ *plus* inſerendum hoc modo: *Fregellas quoque millia quatuor familia-*

miliarum tranſiſſe ab ſe, Samnites Pelignique querebantur: neque eo aut minus hos aut plus illos in delectum militum dare. Ibidem: *Lex ſociis ac nominis Latini qui ſtirpem ex ſeſe domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent.* Quæ ſequuntur, omnino volunt: *qui ſtirpem ex ſeſe domi non relinquerent.* Neque illud prætereundum, mox in membranis fuiſſe: *quibus ſtirpes deeſſet*: ut ſervavit Aldina. Quod non video cur non æque antiquitus potuerit dici, cur non Livius uſurpare, quam *plebes.* Inferius: *ne quis quem civitatis mutandæ cauſſa ſuum faceret, neve alienaret.* Sigonius arbitratur τὸ *ſuum* eſſe mendoſum pro *ſervum*, in librum ſecundum emendationum Robortelli cap. 39. caviſſe enim legem, ne quis filium mancipio daret, vel ſervum faceret. Verum duæ partes ſunt hujus capitis, altera contra accipientem mancipio, altera contra dantem: itaque prior recte dicitur *ſuum facere*, quem mancipio accipit, poſterior *alienare* quem tradit. Huc pertinet, quod eſt apud Appulejum lib. 7. metam. *Piſtor ille, qui me pretio ſuum fecerat.* Plautus Amphitr. *nam pugnis uſu feciſti tuum.*

Cap. 9. *In libertatem vindicaretur, jusjurandum daret*] Liber vetus habebat: *ut jusjurandum daret.* Eam particulam Sigonius tranſpoſuit prope illa, quæ integrandæ ſententiæ cauſſa addidit, *darent operam.* Sane vix aliud deeſſe videtur: ſed particula aut duplicanda aut ſuo loco relinquenda eſt. Nempe aut reponendum: *darent operam, ut qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret.* Aut etiam: *darent operam, qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret.* Neque enim vel in minimis recedendum exiſtimo ab iis, quæ bene nec contra rationem aut conſuetudi-

nem veterum habent boni aut unici ſcripti codices.

Cap. 10. *Principio veris in fines Iſtrorum exercitum introduxerunt*] Putem rectius *induxerunt*. Ibidem: *C. Claudius conſul, veritus ne forte ea res provinciam exercitumque ſibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus praeceps in provinciam abiit.* Imperatorum *paludamenta* eſſe propria & *paludatos exiiſſe* dictos, cum in expeditionem ab urbe proficiſcerentur magiſtratus Romani, nemo ignorat. Livio ſolo utar. lib. 36. de Manio Acilio Glabrione: *ipſe ante diem quintum nonas Majas paludatus urbe egreſſus eſt.* Lib. 37. de L. Cornelio Scipione: *& omnibus jam paratis, paludatus ab urbe eſt profectus.* Lib. 40. *Conſules non tamen potuerunt ſuſtinere conſenſum ſenatus, quin paludati exirent.* Lib. 42. *Ad omnia praeparata Cn. Sicinius praetor, paludatus ex urbe profectus, Brunduſium venit.* Eodemque: *Per hos forte dies P. Licinius conſul, votis in Capitolio nuncupatis paludatus ab urbe profectus eſt.* Cicero centies, & alii. Lictores autem paludatos unicus hoc & 45. libro Livii librarius in ſcenam produxit: quos, tanquam perſonatos hiſtriones Agamemnone aut Creonte deſalrato, tempus eſt tandem indumento imperatorio ſpoliari & in ſua ſaga redire. Bis praeterea hoc loco oſtentatur idem error. Vt mox: *ſecundum vota nuncupata lictoribus paludatis profectus ab urbe eſſet.* Et deinde: *paludatis lictoribus votiſque in Capitolio nuncupatis.* Habetur & lib. 45, 39. in concione M. Servilii. Quibus adverſatur agmen ingens & infinitum locorum apud veteres, ubi perpetuo imperatores, nuſquam lictores, niſi hic, *paludati* dicuntur. Obſtat & nomen veſtimenti, à quo *paludati*

ludati appellantur, quod ſine controverſia uſu recepto imperatoribus tribuitur ſolis apud attentius locutos. Vt noſter lib. 9. *Tum à conſulibus abire lictores juſſi, paludamentaque detracta.* Et lib. 25. dat Tiberio Sempronio Graccho proconſuli: *paludamento circa lævum brachium intorto.* At lictorum ſunt ſagula. Cicero in Piſonem: *togulæ lictoribus ad portam præſto fuerunt, quibus illi acceptis ſagula rejecerunt, catervam imperatori ſuo novam præbuerunt.* Obſtat vero illud maxime, quod ineptiſſimum ſit, ſummi ducis egredientis pompam, tacito ipſius habitu & ornatu, ab amictu lictorem deſcribi. Sed & quum *lictores paludatos* volunt, oportet explicent nobis aliquid ſingulare in illis, non ſimpliciter militarem habitum ſic denotari nos doceant: ſecus non modo lictores, ſed totam cohortem ad bellum proficiſcentis, omnes immo milites quoque *paludatos*, quia militariter haud dubie ornati fuerunt, dici conveniret. Qui ergo tam conſpecti lictores, ut pro cæteris horum ſaga inciderentur *paludamenta*? Quæ ſtultitia fuit lictoribus paludamentum dare, quum tumultu decreto ſagis ſenatus, tot cenſorii, tot conſulares, prætorii viri eſſent contenti; *ſaga parare, ad ſaga ire, in ſagis eſſe* dici non dedignarentur, *paludamenta* imperatoribus populi Romani relinquerent? Scilicet hi non adſpirarent ad eam dignitatem veſtis, qua conſpicuus incedebat minimus inter liberos adſecla imperatoris. Adverſatur denique, quod in locis certæ integritatis ac ſcriptorum codicum & vetuſtate & multitudine longe munitiſſimis aliter multo Livius loquitur, & illis, qui naſum habent, facile ſubjicit, quæ dubiis iſtis verba concepiſſe debeat credi. Vt lib. 21. extremo de C. Flaminio: *ne auſpicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus*

inde

inde cum lictoribus ad provinciam iret, lixæ modo, ſine inſignibus, ſine lictoribus profectum, clam, furtim. Vt lib. 31. *Tum Sulpitius, ſecundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus, cum lictoribus profectus ab urbe Brunduſium venit.* Vbi non mediocriter me confirmat, quod Andreanæ editiones & ſcripti etiam quidam habeant ſimiliter; *paludatis lictoribus.* Sed ratione & melioribus ſcriptis auctoribus abſurda lectio eſt à doctis viris mutata: cur hic minus liceat? Repone igitur ſine ſcrupulo: *non votis nuncupatis, non paludatus, ſine lictoribus.* Deinde: *quum is more majorum, ſecundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus, profectus ab urbe eſſet.* Iterumque: *non ultra triduum moratus Romæ, paludatus, cum lictoribus, votiſque in Capitolio nuncupatis, in provinciam æque ac prius præcipiti feſtinatione abiit.* Nam ita quoque ſenſus legendum dictat: non *æque amplius præcipiti*: Gruterus pro gloſſemate eam vocem delebat. Sic etiam lib. 45. ſcribe: *Conſul proficiſcens prætorve paludatus cum lictoribus in provinciam & ad bellum vota in Capitolio nuncupat.* Neque me fugit virum multæ lectionis in nupero ad Ciceronis orationes commentario colores & ſplenia vulgatæ præparaviſſe. Varro producitur lib. 6. de L.L. *Paluda à paludamentis. Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci: quæ propterea, quod conſpiciuntur, qui ea habent, & fiunt palam, paludamenta dicta.* Ἔτυμον palam ineptum, cum Paluda viragine, & à paludamentis dicta, illi remitto. Sed etſi dicat lictores *mutare veſtem*, non tamen dicit eos amiciri paludamentis, aut fieri paludatos, aut paludatis iis imperatorem proficiſci; verum dicit *paludatum*

imperatorem proficiſci. Ergo ſi integer locus eſt, lictores veſtem mutant ipſi ſumtis ſagulis loco rogularum: forte mutant & veſtem imperatori præbito & circumjecto paludamento pro prætexta: neque enim mirum hac in re lictorum, non ſervorum, miniſterio uſos, ut magis omnia publice fieri ſignificaretur. Obtenditur & Feſtus: *Paludati in libris auguralibus ſignificat, ut ait Veranius, armati, ornati; omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici.* Equidem non negabo originem dare his vocibus genericam ſignificationem: ſed uſum magiſtrum loquendi eam ad imperatorium cultum arctaſſe & aptaſſe ajo. Sic quoque verum eſt, quod ſentiunt illi, modo non promiſcue de vulgo militum, ſed de imperatoribus audiantur. Concedamus & intelligi de quibuſvis, ſed meminerimus id eos obſervare ex auguralibus libris, in quibus ſermo vetuſtiſſimus & originibus propior, nec dum pro varietate rerum per artem inventarum diſtinctis vocabulis, ut ætas curioſa poſtea voluit. Vbi niſi foret ſingulare, quid opus allegare libros augurales? quis ferret hoc frigus & jejunitatem in Veranio & Feſto, quum tot celeberrimi & politiſſimi ſcriptores eaſdem voces toties iterarint, quum in ore omnium quotidie verſaretur occaſione ducum ad bellum exeuntium? Videtur autem *paludamentum* dictum quaſi *pallulamentum*. *Palla*, ut & *pallium*, originaria ſignificatione quodvis amiculum tam virorum quam mulierum; etſi uſus poſtea mulieribus & hiſtrionibus ac citharœdis attribuerit: inde *pallula*, & hinc *pallulamentum*, ut à *penis*, *peniculus*, mox *peniculamentum*. Ob ingratam repetitionem liquidam medio loco juſſerunt liqueſcere: & ſic prima ſyllaba, natura brevis, poſitione longa, in naturam ſuam rediit:

(eſſe

(eſſe autem primæ ſyllabæ *A* breve ex origine apparet: eamque quantitatem oſtendunt, in quibus ſervata eſt *ſupparus* & *ſiparium*: nam qui poſt inventam divine proditamque ab Salmaſio omnium horum ſcaturiginem venaſque *pallam à* πάλλειν cum Servio derivant, ignoſcat mihi genius ipſorum βαλλαντηφαγοῦσι) vis vero liquidæ producentis antecedentem ſyllabam brevem, liqueſcente ea in proxime ſequentem vocalem V transfunditur, unde ſyllaba antea brevis in *pallula* fit longa: poſtremo loco etiam liquidam mutarunt in *D*, quarum literarum tranſlatitia variatio erat. Vt *impelimenta* pro impedimenta apud Feſtum, *Melicæ aves* pro Medicis, *Delicare* pro dedicare: ſic & *dacrimas* pro lacrimis dixit Livius Andronicus, & *dautia* pro lautia: deſcendit enim ab δώτιον. cum in multis *AV* & *O* promiſcue uſurparent, maluerunt *lautia*, ut diſtinguerẽt à *lotium*. ſic à μελετῶ fecerunt *meditor*, ſic *odeſacit*, *dingua*, *capitodium* dixerunt, pro quibus poſteriores, *oleſacit*, *linguam*, *capitolium* maluerunt. A paludamento porro quum deberent dicere *paludamentati*, ut rotundius aptiuſque eſſet, maluerunt extrita ſyllaba *paludati*: quod dictum accipiemus non quod olim *paludare* fuerit, ſed quaſi fuiſſet, ut in pluribus à vocabulis indumentorum denominatis accidit. Sic *palliolatus*, *crepidatus*, *amethyſtinatus*, *ſardonychatus*. Eandem proprietatem vocis reſpexit Lucilius, quum ſcripſit lib. 10. *Pone paludatus ſtabat rorarius velox.* At etiam *Curiatii paludamentum* memoratur apud noſtrum lib. 1. Qui profecto non fuit lictor, ſed quamvis non imperator, inſtar tamen & imperatoris & exercitus, homo illuſtriſſimus, in quo ſimul cum fratribus ſumma belli, ſumma rei Albanæ, ut in Horatiis Romanæ, periclitaretur. Eos

Ff 2 vero

vero ab utraque parte inſignitius ornatos fuiſſe quid miri? Annon ex ſacra hiſtoria novimus, Davidem pari pœne ſorte certamen cum Palæſtino Goliato initurum à Saulo rege Hebræorum & veſtimentis & armis regiis ornari juſſum? Non igitur Curiatii cultus habituſque promiſcuum imperatori & lictoribus faciet paludamentum. De Agrippina meminimus ex duodecimo annali Taciti: *Ipſe inſigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurata præſedere.* Hoc narrando & Plinius ſi recte dicitur & mulieri paludamentum tradere, dicatur & Suetonius peltam & galeam mulieri tradere, quum narrat in Caligula: *ut ſæpe chlamyde peltaque & galea ornatam* (Cæſoniam ſuam) *& juxta adequitantem militibus oſtenderet.* Sane Hieronymus paludamentum dat lictori, neque conſulem ad bellum comitanti, ſed ſupplicium à damnato exigenti: itaque illum ſuo jure interdum diſertum in aliis admirantes hic cum Livio comparare mittamus.

Cap. 14. *Non conſularem tantum exercitum Romam adductum*] Scribe ut pluribus aliis locis, *abductum.*

Cap. 20. *Rhodiis nihil unum inſigne*] Fuit: *Rhodiis ut nihil unum inſigne, ita omnis generis, ut quæque uſus eorum poſtulaverat, dona dedit.* Ibidem probabiliter Gerardus G. F. Voſſius: *Sed & Delon aris inſignibus ſtatuarumque copia exornavit.*

Cap. 21. *L. Veturius Gracchus Sempronius*] Nominandi ratio minime Romana: ſunt enim duæ gentes, Veturia & Sempronia. Lege igitur cum Aldina fideliore imitatrice codicis unici. *T. Veturius Gracchus Sempronianus.* Intellige Sempronio natum patre & in Veturiam gentem adoptione tranſiiſſe. Sic P. Cornelius Scipio,

Q. Fa-

Q. Fabius Maximus, uterque Æmiliani; P. Licinius Craſſus Mutianus, Q. Fabius Maximus Servilianus, T. Cæcilius Atticus Pomponianus, C. Iulius Cæſar Octavianus.

Cap. 22. *Sibi conciliare: ſed aut legatos aut literas dimiſit*] In veteri codice defuit τὸ *ſed*, quod Sigonius de conjectura addidit. Videntur plura deeſſe: ſin, ne hoc quidem adjecto opus eſt.

Cap. 23. *Manereque id decretum voluimus, ſcilicet ne legatos*] Verbum *voluimus* iterum eſt ex additione Sigonii. Tu vero mitius ita reſtitue, *Nam qui regibus Macedonum Macedonibuſq; ipſis finibus interdixiſſemus, maneretque id decretum, ſcilicet, ne legatos, ne nuntios admitteremus regum.* Perinde eſt, ac ſi dixiſſet: *cumque maneret id decretum.* Ibidem: *Perſea quem populus Romanus prius pœnæ quam regni hæredem futurum ſciebat, regem fecit.* Cujus pœnæ? & unde ſciret populus Romanus de hac pœna, quam nemo, credo, unquam ſcivit: Aldus: *quem P. R. prius pœnæ.* Parum juvat. Emendo tamen haud abſurde: *quem in populum Romanum prius odii quam regni hæredem futurum ſciebat.* Senſus haud dubie Livii eſt, nec verborum aut apicum violenta mutatio. Poſt paullo: *Dolopiam armis ſubegit, nec provinciis de controverſis ad diſceptationem populi Romani revocantem audivit.* Provincias controverſas ab auctore non eſſe arbitror, τὸ *revocantem* vero ſpurium eſſe certo ſcio: neque fuit enim in ſcripto, ſed ſupplementum eſt Sigonii, qui dum ſenſum quærit, non animadvertit orationem ſe minus Latinam reddidiſſe. Quid eſt enim ſimpliciter *revocantem*? aut quam bonum, *revocare de controverſo ad aliquem?* Nam quem allegat ad firmandam conjecturam ſuam locum, non ibi-

verbum ponitur ſine caſu : *quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, diſceptationem ab rege ad Romanos revocabant.* In quo citando clarus Sigonius τὸ *diſceptationem*, memoriæne vitio an judicii errore, quum in omnibus habeatur libris, omittit. Vt ergo Latinum eſſet, dicendum erat : *provinciis de controverſis diſceptationem ad populum Romanum revocantem.* Sed tamen melius puto : *Dolopiam armis ſubegit, nec provocantem de controverſiis ad diſceptationem populi Romani audivit.* Inferius : *Ego nihil novi cenſeo decernendum, ſervandaque omnia integra, donec ad certum dirigatur, vanuſne hic timor noſter an verus fuerit.* Tribus mutatis literis ſcribendum teneo : *donec ad certum redigatur.* Ea enim vere Latina phraſis, non *dirigere ad certum*, hoc certe ſenſu. Sic lib. 26. *ab L. Martio tumultuario duce ad vanum & irritum victoriam redactam eſſe.* Lib. 28, 31. *ſpem ad irritum redactam, qua veniſſent.* Vbi contra meliores fruſtra Rhenanus, *in irritum.* Lib. 44. *&, ſi id ante dubium fuiſſet, legatorum paullo ante verba ad certum redegiſſe.* M. Seneca controv. 9. *dum inſanos imitatur, dum lenocinium ingenii furorem putat, quod ſimulabat, ad verum redegit.* Noſter iterum lib. 5. *Eum prædam Vejentanam publicando ſacrandoque ad nihilum redegiſſe.* Cicero pro Cæcina: *cui perſpicuum non ſit, ad incertum revocari bona, fortunas, poſſeſſiones omnium.*

Cap. 24. *Quæ futura fuerant, ſi Philippus vixiſſet*] Donatus & Priſcianus jubent reponi: *quæ futura fuerint.* Ibidem : *At ſcimus Perſea regno accepto ad legatos Romanos veniſſe.* Id neſcit hiſtoria Livii : ſed memorat libro præcedente, ſtatim potitum regno, dum firmaret res, legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam, petendum-

tendumque ut rex ab ſenatu appellaretur, miſiſſe. Ita ergo hic lege: *Ac ſcimus Perſea regno accepto legatos Romam miſiſſe ac regem Perſea à populo Romano appellatum: audimus legatos Romanos veniſſe ad regem, & ab eo benigne exceptos.* Infe-tius: *Ne id, quod agitur, Callicrates, ſimulaverimus: nemo novæ ſocietatis aut novi fœderis, quo nos temere illigemus, conſcribendi eſt auctor.* Immo: *Ne id, quod non agitur, Callicrates, ſimulaverimus.*

Cap. 25. *Literis paucorum verſuum imperaret*] Non imperabat utique, nec aut jus id ejus aut tanta auctoritas. Scribe: *impetraret.* Ibidem Aldina: *inter cæteram multitudinem Eupolemus etiam obvius exierat.* Vulgatæ particulam omittunt.

Cap. 26. *Et exæquari cornibus hoſtibus, quibus circumibantur*] Video quid ſpectaverint, quibus hæc tolerata lectio: *cornibus* auferendi, *hoſtibus* dandi caſu acceperunt. Nec ſic tamen cohæret: *quibus circumibantur.* Aut enim manente illo inſerenda præpoſitio: *ut pandere aciem & exæquari cornibus hoſtibus, à quibus circumibantur, poſſent*: aut legendum: *cornibus hoſtium, quibus circumibantur.*

AD
LIB. XLII.

EPIT. *De agro fuit dies ad diſceptandum*] Membr. Barber. *de agro fuit arbiter ad diſceptandum a ſenatu datus.*

Cap. 1. *Et ſupplementum Hiſpaniæ tria millia peditum*] Sic & lib. 26. *milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ, profectos audivit.* Solet alias dicere: *in Hiſpaniam.* Infra: *Poſtulantibus deinde, ut novos exercitus ſcribere aut ſupplementum veteribus liceret, utrumque negatum eſt. Prætoribus quoque in Hiſpaniam ſupplementum petentibus negatum, M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem.* Lib. 29. *ad novas ſcribendas in Bruttios legiones, & in cæterorum exercitum ſupplementum.* Lib. 43. *in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res deſideraret, ſupplementi decerni.* Quod ne cui fraudi ſit, prioribus duobus locis τὸ *Hiſpaniæ* accipiat dandi caſu.

Cap. 4. *Inter ſe ſortirentur, uter citeriorem Hiſpaniam*] Locus ſine dubio mancus Sigonio, quod ex diuturna obſervatione Livianæ orationis intelligi poſſit. Sexcentis locis ita loquutum Livium: *compararent inter ſe aut ſortirentur.* Unde quum conſtet, non conſueviſſe dicere, *ſortiri inter ſe*, ſed *comparare*; non eſſe dubium quin legendum ſit: *inter ſe compararent aut ſortirentur.* Fateor equidem *comparare inter ſe* frequentius auctori noſtro eſſe, & ſæpe hæc duo conjungi, *compararent aut ſortirentur:* non tamen video, quare *ſortiri inter ſe* non æque dicere potuerit, ac divinus

nus Poëta: *Vis ergo, inter nos, quid poſſit uterque, viciſſim Experiamur?* Aut ipſe lib. 23. *Conſules inter ſeſe juſſerunt, Fabio exercitum tradi, cui M. Iunius Pera dictator præfuerat, Tib. Sempronio volones, qui fierent, & ſociorum viginti quinque millia.* Non video deinde quare non poſſit aliquibus præcipi ſortitio ſine comparatione æque ac comparatio poteſt præcipi ſine ſortitione, aut verbum *ſortiri* ſolum poni ſine mentione alterius perinde ut *comparare* poteſt poni ſine mentione alterius. Hujus autem teſtimonium eſt apud noſtrum lib. 26. *Romam duobus alter & exercitus pars mitti poſſet, ut ab reliquo & duce & exercitu Capua recte obſideretur; inter ſe compararent Claudius Fulviuſque, utri obſidenda Capua, utri ad prohibendam obſidione patriam, Romam veniundum eſſet.* Et lib. 40. *Eodem anno in Hiſpania L. Poſtumius & Tib. Sempronius comparaverunt ita inter ſe, ut in Vacceos per Luſitaniam iret Albinus, inde in Celtiberiam reverteretur.* Sed & lib. 23. *qui, quum poſt paucos dies magiſtratum initurus eſſet, de exercitibus ſcribendis comparandiſque in annum, Patres conſuleret.* Cur non & hic ſexcentis illis locis abutitur, & hæc ſine dubio manca ſtatuit? Iam manifeſtus eſt error, quod verba, quæ proxime ſequuntur: *Sors opportuna fuit*: in ſuam ſententiam detorquet, & interpretatur: ex duobus propoſitis rationibus, ſortitionis nempe vel comparationis, una oportuna fuit. Quis enim non videat rectius interpretari illa verba Livium ipſum, quum ſubjungit; *P. Furius idem, cujus ea provincia fuerat, remaneret.* Fuit ergo ideo ſors opportuna; quod non Cn. Servilium ex ulteriore provincia tranſire in citeriorem juſſit, ſed P. Furium, in qua jam erat, retinuit. Sed in primis auctor ſe ſalvum præſtat illis, quæ dixerat;

lib. 28, 45. *hi & ſortirentur inter ſe compararentve, uter in Bruttiis duabus legionibus, quas conſul reliquiſſet, rem gereret.* Vbi iterum Sigonius urget ſexcenta ſua loca, ut perſuadeat, quod profert ex vet. lib. *ſortirentur inter ſeve compararent.* Poteſt ita fuiſſe in libro illo depravato toties: neque enim fidem tanti viri ſuſpectam reddere velim: ſed certe omnes noſtri Gallici Palatinique ſartam tectam ſervant vulgatam. Neque eſt, cur Latinitatem ejus in dubium vocemus. Cæterum de hoc loco plura in addendis: nam ibi quoque ſupplementum Sigonii, quod dudum ubique receptum eſt, è libris noſtris falſi convicimus.

Cap. 10. *Conſules ob ea irati ſenatui, Latinis feriis.*] Non moverem, ſi hæc verba cauſſis irarum ſtatim ſubjicerentur, non interjectis, quæ de provinciis prætorum proxime præcedunt. Nunc ſuſpicor ab Livio relictum: *Conſules obirati ſenatui.* Quo verbo uſus & lib. 1. *aut Romana ſacra ſuſceperat, aut fortuna, ut fit, obirati cultum reliquerant deum.* Seneca de tranquillitate animi: *& ex hac deinde averſatione alienorum proceſſuum & ſuorum deſperatione obiraſcens fortunæ animus, & de ſæculo querens.* Appulejus in Apologia: *cum etiam hi, qui ſibi delicti alicujus conſcii ſunt, tamen cum male audiunt, commoveantur & obiraſcantur.* Eſt & apud Ciceronem ad Atticum *obiratio.* Prorſus τὸ *ea* inſitum ab ignorantibus id verbum videtur.

Cap. 12. *Vt decem millia mercenariorum militum*] Quem fugere poteſt ſcribendum eſſe: *decem millibus.*

Cap. 13. *Dolopiæ bella intulit*] Quot quæſo? Haud dubie *bellum.*

Cap. 17. *Vt aut ſatis efficacia ad rem peragendam aut tuta ad rem celandam dentur*] Non ſit religio

ligio delere *τὸ rem* poſteriore loco: quod ſæpius jam & ex veterum librorum auctoritate fecimus. Non ovum ovo ſimilius atque præſentibus verbis illud lib. 33, 28. *Non tam idoneum ad celandam rem eum videri ſibi quam ad agendam rem fuerit.* Sic enim prima editio. Gelenius recte alterum delevit.

Cap. 18. *Hoc copiarum in Hiſpania cum prætoribus novis*] Sic Gruteri ultima cum ex ea deſcriptis: aliæ vulgares, *Hiſpanis.* Male; debebant enim tenere, quod ex unico libro ortum ſervavit Aldina, *Hiſpanias.*

Cap. 21. *Et pacatos ad rebellandum incitaſſet*] Et hoc ab ultima Gruteri inolevit. Priores omnes, ut & fuit in unico codice: *ad rebellium incitaviſſet.* Quod doctiſſimo viro diſplicuiſſe nollem, ſi tamen ab ipſo hæc mutatio eſt. Vt *contagium* & *contagio*, *conſortium* & *conſortio*, *oblivium & oblivio*, *obſidium & obſidio: ſed & rebellium* & *rebellio* commodiſſime dicuntur.

Cap. 22. *Exercitumque à M. Popillio ceperunt*] Captus una ſyllaba locus. Scribe: *à M. Popillio acceperunt.* Sic enim Latine loquimur. lib. 36. *M. Æmilius Lepidus à L. Valerio, cui ſucceſſurus eſſet, ſimul provinciam exercitumque accipere juſſus.* Nihil frequentius noſtro. Cicero lib. 13. ad Atticum, epiſtola ad Pompejum: *vidi T. Ampium delectum habere diligentiſſime, ab eo accipere Libonem.* Curtius lib. 3. *ut omnes peregrinos milites, in quis plurimum habebat ſpei, à Pharnabazo acciperet.* Ibidem grave mendum è Gruteriana propagatum ſic corrige: *Huic detrectationi ejus tribuni plebis alterius rogationis denunciatione occurrerunt: ut ſi non ante idus Novembres in urbem Romam introiſſet.* Quod utique infidis operis, non ipſi, imputabis.

Cap.

Cap. 25. *Sua ſponte infeſtum Perſeo ſenatum accenderunt*] Sic prave recentiores: nam in ſcripto fuit, ut in Aldina: *infeſtum Perſi ſenatum.* Eadem fraus innexa capite ſequenti: *Illyrios ſpeculatores Romæ eſſe Perſe auctore miſſos.* Cap. 52. *diu meditatum Philippo primum, deinde & Perſi Romanum bellum.* Lib. 43, 7. *patienda eſſe ducant potius quam ſe dedant Perſi.* Et iterum ſequente: *bellum Perſi & ante Philippo patri ejus intuliſſe populum Romanum.* Sic ubique Aldina, ſequens primam editionem, ubi nunc vulgo habemus: *Perſeo.* Lib. 45, 19. *altero nec Romanis nec Perſi fido ſocio.* Vbi fecerunt, *Perſei.* Auguſtinus lib. 3. de civitate Dei cap. 11. *Retulerunt tale prodigium & Antiochi & Perſidis bello in eodem apparuiſſe figmento.* Pró *Perſidis* alii *Xerxis,* Lud. Vives *Perſæ:* ſed membranæ Noricæ: *Perſis.* quod verum eſt. Etenim & *Perſes* & *Perſa* dicimus, non tantum *Perſeus,* à quo & patrio caſu *Perſi* Salluſtius lib. 1. Hiſtor. *Bellum Perſi Macedonicum.* Vt *Achilli, Vlyſſi* apud Virgilium. *Euripidi, Theodecti, Mithridati, Sophocli* (quod è mss. & reſtituendum lib. 13, 17. *& in Tragœdia Sophocli ſcriptus eſt*) apud A Gellium: immo & *Themiſtocli, Ariſtoteli, Theophani, Ariobarzani* eodem caſu apud Ciceronem. Ibidem in fine ſcribe: *ut uter eorum poſſet, Romam ad magiſtratus creandos veniret.* non *eſſet.*

Cap. 27. *Et ſocios Latini nominis quatuor millia peditum*] Solet Livius dicere: *ſocium.*

Cap. 28. *Diem in ante diem Kalendas Martias*] Corruptiſſime & male Latine ſic Gruteri ultima, ex qua in citeriores eadem labes deſluxit. Repone cum Aldina: *Comitia conſularia, in quam edicta erant diem, ante diem duodecimum Kal. Martias ſunt habita.* Ibidem: *& Sicilia &*

& Sardinia, ut uni ſors integra eſſet, quo ſenatus cenſuiſſet. Scribe: *& ut uni ſors:* Sunt enim duæ provinciæ diſtinctæ, unde infra: *L. Furius Philus Sardiniam, C. Lucretio Gallo, quo ſenatus cenſuiſſet, ſors evenit.* Secus poſſet defendi illo lib. 28, 10. *Bruttii ambobus, ut cum Annibale bellum gererent, provincia decreta.* Etſi ibi quoque Sigonius ex vet. lib. *ambobus, & ut cum Annibale.* Quod videtur firmari lib. 26. *ut alteri conſulum Italia bellumque cum Annibale provincia eſſet.* Et eodem lib. 28. inferius: *alteri Bruttii, & bellum cum Annibale cum eo exercitu, quem L. Veturius aut Q. Cæcilius.* Noſtri tamen libri omnes tenent vulgatam, eique fulcrum eſt lib. 30. in principio: *uter Bruttios adverſus Annibalem, uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet.*

Cap. 29. *Quo vindicarunt Cœleſyriam*] Parvum eſt, ſed in priſco fuit: *Cœlemſyriam.* Sic lib. 32, 5. Petavianæ membranæ: *ad condendam Megalempolin.* Niſi utrobique mavis: *Cœlenſyriam, Megalenpolin.* Vt lib. 37. *ad portum; quem Magiſten vocant.* Statim etiam vetus: *Miſagenenque filium.*

Cap. 30. *Pacem ex eo manere*] Lego: *ſed illibatis potius viribus utriuſque partis, pacem ex æquo manere.* Liberius vertit Polybium: ὧν μίαν μὲν ἦν τῶν οὐχ ἡδέως μὲν ὁρώντων κεκρινόμενα τὰ ὅλα, καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἐξουσίαν ὑπὸ μίαν ἀρχὴν πίπτουσαν, οὔτε δὲ συνεργούντων οὔτ᾽ ἀντιπραττόντων ἁπλῶς Ρωμαίοις οὐδέν.

Cap. 34. *Vt ſemper ita feciſſe me*] Corrige: *& ſemper ita.*

Cap. 36. *Ita dimiſſu P. Licinio conſuli mandatum*] Poteſt ferri: malim tamen: *Ita dimiſſos* ut referatur ad verbum *excedere.*

Cap. 39. *Vel ſi tantum agmen traduceret, obſides*

des daret] Scribe tuto: *legati vel cum tribus venire jubebant, vel ſi tantum agmen traduceret obſides dare, nihil fraudis fore in colloquio.* Nam τὸ dare pendet à τῷ *jubebant.* Monitum ſæpius, & proxime ad lib. 40, 35.

Cap. 42. *Queratur unuſquislibet militis mei injuriam*] Et hoc leve, mutatum tamen: nam Aldina: *unuſquilibet.* Lib. 9, 17. *Id vero erat periculum, ut ſolertius quam quilibet unus ex iis quos nominavi, caſtris locum caperet.* Ita tres Pall. cum membranis Thuanæis, Vulgo: *quivis unus.*

Cap. 48. *Præmiſſus à pretore eſt frater Lucretius*] Excidit prænomen una litera deſignatum. Scribe: *frater M. Lucretius.* Sic appellatur infra c. 56.

Cap. 50. *Poſtremo ita bello & pace quæri*] Quin potius: *ita bellum & pacem quæri.* Lib. 1. de Metio: *Igitur ut prius in bello pacem, ſic in pace bellum quærens.*

Cap. 51. *Omneſque armatos in campo ſtruxit*] Cur non *inſtruxit?* Statim erratum in ſumma copiarum Macedonicarum: non enim *quadraginta millia*, ſed *quadraginta tria millia* poſuit Livius, quum non longe poſt: *Summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, quatuor equitum.* Rotundius Plutarchus: ἱππεῖς μὲν τετρακισχίλιοι, πεζοὶ δὲ εἰς φάλαγγα τετρακισμυρίων οὐ πολλοῖς ἀποδέοντες.

Cap. 52. *Cum duabus legionibus Romanis, quæ trecenos equites*] Locus defectus, quem miror non integraſſe Sigonium, cum ſub manu haberet monens *trecenos* ſcribendum pro *tricenos*, ut male erat in antiquis, cumque id illi facillimum eſſet. Quid enim certius quam Livium ſcripſiſſe: *Conſulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quæ ſingulæ ſena millia peditum & trecenos equi-*

equites habeant, & pari numero ſociorum peditum equitumque. Quo enim equitem annumerare niſi & peditum copias expreſſiſſet? Fuit autem, ut ſupra cap. 31, id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod quum alterius conſulis legionibus quina millia & duceni equites ex vetere inſtituto darentur in ſingulas legiones, in Macedoniam ſena millia peditum ſcribi juſſa, equites treceni æqualiter in ſingulas legiones.

Cap. 53. *Concione dimiſſa, ad audiendas*] Muta diſtinctionem: *tantum juſſis ad iter parari, jam enim dici movere caſtra ab Nymphæo Romanos; concione dimiſſa, ad audiendas legationes civitatum Macedoniæ ſe contulit.*

Cap. 54. *In faucibus ſunt, quæ Tempe adeunt*] Lege: *quæ Tempe adeuntur.*

Cap. 58. *Patrocles Antigonenſis hic & Pæoniæ præfectus Didas*] Lege: *his.*

Cap. 59. *a lævo cornu brevi ſpatio disjunctus*] Aldina: *dijunctus.*

Cap. 61. *humeris gerentes ante ora ſua audivere*] Bifrontes utique fuere hoc genus hominum, qui quæ humeris gerebant, ante ora ſua habuere. Expiemus hoc monſtrum ſcribendo: *Et qui vicerant, alacres; ſpolia cæſorum hoſtium humeris gerentes, facinora ſua audivere.*

Cap. 62. *Miraculo ignaris ** moris pertinacia*] Tolle aſteriſcos: nihil enim prorſus abeſt: *Hac quum renuntiaſſent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum eſſe.* Nihil eſt difficultatis, niſi quod τὸ *Romanorum*, quaſi bis poſitum, accipiendum eſt, hoc ſenſu: miraculo erat pertinacia Romanorum ignaris moris eorundem Macedonibus.

Cap. 64. *Nequicquam primæ ſtationes oppreſſæ*] Sigonius: Duas puto voces deeſſe huic ſenten-

ſententiæ, quod apparebit, ſi ita legeris: *Atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggreſſus falleret, nequicquam tentavit. nam primæ ſtationes oppreſſæ* &c. Aliter, ſi legas, nullum elicies ſenſum. Sic ille ſtyli hiſtorici perſæpe non adſecutus acumina. Nos omnino aliter legimus; nihil addi patimur, tantum diſtinguimus: *Atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggreſſus falleret. Nequicquam; primæ ſtationes oppreſſæ tumultu ac terrore ſuo cæteros exciverunt.* Hoc compendium loquendi agnoſce in auctore lib. 8. de bello Gallico: *equites tamen & auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quaſcumque petiſſe dicebantur hoſtes. Nec fruſtra: nam plerumque magna præda potiti noſtri revertuntur.* Idem ibidem: *Hoſtes concidunt animis, atque itineribus diverſis fugam quærunt. Nequicquam; nam quibus difficultatibus locorum Romanos claudere voluerant, iis ipſi tenebantur.* Cornelius Nepos Alcibiade: *At Alcibiades victis Athenienſibus non ſatis tuta eadem loca ſibi arbitratus penitus in Thraciam ſe ſupra Propontidem abdidit, ſperans ibi facillime ſuam fortunam occuli poſſe. Falſo; nam Thraces poſtquam eum cum magna pecunia veniſſe ſenſerunt, inſidias ei fecerunt.* Florus lib 4, 11. *Regina ad pedes Cæſaris provoluta tentavit oculos ducis. Fruſtra; nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit.* Ita diſtinguendum. Amat & Lucretius. Lib. 4. *Quæ violare fidem quaſi ſenſibus omnia quærunt. Nequicquam; quoniam pars horum maxima fallit.* Eodemque libro: *junguntque ſalivas Oris & inſpirant preſſantes dentibus ora. Nequicquam; quoniam nihil inde abradere poſſunt.* Moxque: *unguenta coronæ, ſerta parantur. Nequicquam; quoniam medio de fonte leporum Surgit amari aliquid.* Lib. 5. *Nam tranverſa fe-*

res-

ros exibant dentis adactus iumenta, aut pedibus ventos erecta petebant. Nequicquam; quoniam ab nervis ſuccisa videres Concidere. Neque offendat quemquam, quod in his exemplis ubique compareret particula *nam*, apud Livium non comparet. Poſſemus multa dare exempla orationum cauſſalium ſine particula cauſſali, quemadmodum auctoritate veterum librorum compluribus eam locis ejecimus. Eorum nonnulla recordabitur lector. Sed pro omnibus opportunum ſit hic illud Valerii Flacci lib. 6. *Contra autem geminis fidens thoracibus ictum Suſtulit, & gladio Sibotes ferit ultima teli. Nequicquam; jam cuſpis ineſt, nec fragmina curat Ambenus.* Ejus particulæ, quia proditam à quoquam legiſſe non memini, origo & ratio hæc eſt. *Nequicquam* breviter dicitur pro *ne*, quod eſt non, vel *nec ad quidquam*: eo modo, ut *nec aliud*, *nihil aliud* interdum pro nec vel nihil ad aliud aut ad nihil aliud poſitum notavimus ad lib. 31, 24. & ad lib. 40, 37. Quod autem non ſit vel juvat ad quidquam, id fruſtra & incaſſum ſit: ideo *nequidquam* idem eſt quod incaſſum. Sed & poteſt intelligi verbum *facere*, cum dicimus *Nequicquam*: ut ſit, *fecit: fecerunt, facit, faciunt*, prout contextus orationis requirit. Nam & juriſconſultis qui non jure agit, ſic ut irritum reddi poſſit, quod agit, *nihil egiſſe* dicitur. Hinc apparet quid ſentiendum ſit de ſcriptura, quam Giffanio Schoppioque auctoribus omnia fere hodie præla receperunt: *nequiquam*. Vetuſtiſſimi, utique dixerunt *nequidquam* vel *necquidquam*: poſtea molliores auriculæ fecerunt *nequicquam*. Si quibus amplius placuit *nequiquam*, ut ſcribi in pleriſque vett. lib. ſcio, non intercedo: ſed mihi legem aut edictionem, ut ſequar, inhiberi non patior.

A. D.

A D

LIB. XLIII.

CAP. 3. *Latinam eam coloniam fuiſſe*] Quando ? aut ex quo? Immo cum maxime fiebat, deductis eo quatuor millibus hominum, qui ex militibus Romanis & Hiſpanis mulieribus, quibuſcum connubium non eſſet, erant nati. Lege igitur: *Latinam eam coloniam eſſe*, (hoc eſt, in poſterum eſſe vel haberi) *Libertinorumque appellari.*

Cap. 4. *Spatium petierunt, quo de ea re*] Latinius: *petierint.*

Cap. 6. *Hoc Lampſaceni octogintorum pondo*] Scribe: *Hoc & Lampſaceni, octoginta pondo coronâ adferentes petebant.* In Aldina per notas ſignatus numerus, *LXXX. Hoc &*, nempe, ut donum in Capitolio ponere & ſacrificare liceret. Ibidem: *& ſi pax cum Perſeo fieret, exciperentur, ne in regiam poteſtatem reciperentur.* Poſtremum mendoſum tinnit. Malim: *reciderent.* Lib. 44. de Genthio: *vix gladiatorio accepto, decem talentis ab rege rex, ut in eam fortunam recideret.* Exſtat lib. 3, 37. *avide ruendo ad libertatem, in ſervitutem elapſos juvare nolle.* Guilelmius *relapſos.*

Cap. 13. *Alter in æde Primigenæ Fortunæ*] Sic & Aldina: ſed ſcribendum: *Primigeniæ*: ut habent Lapides antiqui, & ipſe Livius alibi. Ibidem: *Publicorum prodigiorum cauſſa libri a decemviris aditi, quadraginta majoribus hoſtiis, quibus diis conſules ſacrificarent, & addiderunt, ut ſupplicatio fieret.* Locus haud dubie mendoſus, quem ſic reſtituendum putamus: *Publicarum prodi-*

prodigiorum cauſſa libris decemviri aditis, quadraginta majoribus hoſtiis quibus diis conſules ſacrificarent, ediderunt, &, *ut ſupplicatio fieret*. Hæc reſtitutio confirmatur fere quot locis negotii ſimilis fit mentio. Lib. 36. *Eorum prodigiorum cauſſa libros Sibyllinos ex SC. decemviri quum adiſſent, renuntiatum* &c. & *unum diem ſupplicatio fieret; coronati ſupplicarent, & conſul P. Cornelius, quibus diis quibuſque hoſtiis edidiſſent decemviri, ſacrificaret*. Lib. 37. *Supplicatio quoque earum religionum cauſſa fuit; quibus diis, decemviri ex libris, ut fieret, ediderunt*. Lib. 40. *Ob ea decemviri juſſi adire libros edidere, quibus diis & quot hoſtiis ſacrificaretur: & ob fulminibus complura loca deformata ad ædem Iovis ut ſupplicatio diem unum eſſet*. Lib. 41. *Syracuſanumque prodigium expiatum, editis ab aruſpicibus diis, quibus ſupplicaretur*. Lib. 42. *Ob hæc prodigia libri fatales inſpecti, editumque ab decemviris eſt, & quibus diis quibuſque hoſtiis ſacrificaretur, & ut ſupplicatio prodigiis expiandis eſſet*.

Cap. 14. *Quicumque cenſores magiſtratum habebunt*] Hæc lectio ab Sigonio eſt: quam vel ideo repudiamus, quod credibile non eſt cenſores de bello, quod in manu erat, tam male ominatos, ut proximis quoque cenſoribus & pluribus deinceps eum magiſtratum gerentibus reipublicæ parem neceſſitatem fore delectus acerrime habendi animis præciperent. Vetus lectio erat: *quem his cenſores*. Ita ſcilicet reddiderunt librarii vel editores, quod fuit olim: *quem his cenſſ.* hoc eſt: *& quotieſcumque delectus erit, quem his cenſoribus magiſtratus habebunt, ſi miles factus non eris, in delectu prodibis*. Refertur ergo τὸ *quem* ad *delectum*: & ſic hi cenſores tempus ſui magiſtratus non egrediuntur. Sic omnino ſcripſit Livius.

Cap.

Cap. 15. *Indigne patiente prætorum arbitrio conſulem ſubjectum*] Illud *patiente* nullo modo cohæret cæteræ orationi. Scribe: *Decrevere Patres, ut C. Sulpitius M. Claudius prætores ex his, quas ſcripſiſſent, legionibus, quas videretur, conſuli darent. Indigne patiens prætorum arbitrio conſulem ſubjectum, dimiſſo ſenatu ad tribunal prætorum ſtans poſtulavit.* Ante τὸ *indigne* intelligitur vel relativum *is* aut *ille*, vel ſubſtantivum *Conſul* aut *Q. Servilius Cæpio.* De qua ellipſi jam ſæpius egimus. Non poſſum vel inprimis ad confirmandam ſcripturam veterem, quam ſupra attigimus lib. 37, 20. addere inſigne exemplum ex lib. 25, 35. quod imperitis hujus rei non poteſt non eſſe obſcuriſſimum: *Et inde una nocte ignaris hoſtibus, & ob id quietis, aliquantum emenſus eſt iter. Luce, ut ſenſerunt profectos hoſtes, præmiſſis Numidis quam poterant maxime citato agmine ſequi cœperunt: ante noctem adſecuti Numidæ nunc ab tergo, nunc in latera incurſantes. Conſiſtere cœperunt ac tutari agmen quantum poſſent.* Hic *emenſus eſt* dicitur de Cn. Scipione: *ſenſerunt* & *cœperunt* de Pœnis: dein iterum *cœperunt* de Romanis: quum tamen nuſquam compareant nominativi: ſed placuit auctori ſic attentum lectorem ſuum facere. Mirum eſt nimis, fartores hoc loco manum abſtinuiſſe. Statim: *Prætores conſuli in eligendo arbitrium fecerunt.* Tuto corrige: *conſulis.* Sic lib. 27, 8. reſtituimus: *Senatus populi poteſtatem fecit.* Vbi vulgo erat, *populo.* Lib. 42. *nec tribuni eo anno ſuffragiis crearentur, ſed conſulum prætorumque in eis faciendis judicium arbitriumque eſſet.*

Cap. 17. *Adverſus amentiam eorum, qui ad Macedonicam*] Repone: *qui ad Macedonas gentem trahebant.* Sic lib. 23. *princeps factionis ejus, qua traxerat rem ad Pœnos.* Cap.

Cap. 18. *Et duobus millibus levium armatorum*] Scribe: *levium armorum*. Lib. 44. *præcipue qui gravium armorum erant, ſpectatores pugnæ ſtabant*. Mendum, quod & alibi ſuſtulimus. Lib. 25, 34. *Fuga confeſtim ex acie duce amiſſo fieri cœpta eſt. cæterum ut ad erumpendum inter Numidas leviumque armorum auxilia haud difficilis erat*. Sic mss. cum vulgo ſit: *Numidas aliaque levium armatorum auxilia*. Lib. 42, 66. *Ipſe velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adjectis ad tumulum præcedit*. Hoc non eadem modo ratio jubet, ſed & ſic fuiſſe in unico codice Aldina mihi eſt argumento. Neſcio quis nugator in poſt ſecutis (habent enim, quas video) auctor fuerit τοῦ *armatorum*.

Cap. 21. *Ab utraque gente ſine tumultu exigi*] Scribe: *exegit*. Vel potius, *exacti*.

Cap. 23. *Rex cum minore vexatione jumentorum hominumque*] Immo: *Rex non minore*. Vidit quoque Freinshemius. Ibidem in fine: *Nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum deſtitit, quum appareret quantum in eo præſidii eſſet, nec tamen impetrare ab animo poſſet, ut impenſam in rem maximi ad omnia momenti faceret*. Corrige, inquit Sigonius: *nec tamen impetrare ab homine poſſet*. Loquitur enim de Genthio rege, à quo ſocietatem impetrare non poſſet Perſeus. At ego intercedo & corrigere eum veto. Ab illo impetrari debebat, cujus erat ſumtum facere: ait enim: *nec impetrare poſſet, ut impenſam in rem maximi ad omnia momenti faceret*. Hic non erat Genthius, cui dudum ſuperius dixit pecuniam præcipue defuiſſe. Loquitur ergo de Perſeo. eum *ab animo* ſuo puſillo & contracto, hoc eſt, à ſeipſo propter ingentem avaritiam impetrare non potuiſſe, ut daret in ſumtum belli Genthio. Cœlius

lius ad Ciceronem: *& cum homo avarus, ut ea ſolveret, ſibi imperare non poſſet.* Hoc eſt, Liviana phraſi, *ab animo impetrare* non poſſet. Sic dicimur *parcere animo*, cum frenum laxamus, *vincere animum*, cum reſiſtimus adfectibus alia dictantibus, quam honeſtas aut tempus imperat.

AD

LIB. XLIV.

CAP. 2. *Convocatis itinerum ducibus, quum exponerent*] Legimus: *& unius diei progreſſus iter, convocatos itinerum duces quum exponere in conſilio juſſiſſet, qua quiſque ducturus eſſet, ſummotis iis, qua potiſſimum peteret, retulit ad conſilium.* Plurimis locis apud Livium confuſæ ſunt hæ voces, *conſilium* & *concilium*, nonnunquam forte, alicubi judicio editorum: itaque libet de illorum differentia, quod potiſſimum ad noſtrum pertinet, uberius addere. Primo *conſilium* publicum eſt ſenatus: unde Pacuvius lib. 23. inducitur dicens: *aut quod unum liberæ civitatis conſilium eſt, ſenatus habendus eſt.* In eo peccatum lib. 23, 21. *ſolitudinem curiæ paucitatemque convenientium ad publicum conſilium reſpexerunt.* Et lib. 24, 22. *quod ſicut regnante Hierone manſerat publicum conſilium.* Sic optimæ membranæ. Male vulgo: *concilium.* Deinde *conſilium* militare imperatorum Romanorum erant legati, tribuni militum, quoſque quoties aliquid deliberandum incidebat, advocabant in conſilium. In eo peccatum ſæpiſſime. Sic ſcribendum lib. 8, 6. *Agitatum etiam in conſilio eſt* nem-

nempe conſulum T. Manlii P. Decii. Lib. 9, 15. *Dimiſſa concione conſilium habitum.* à Publilio Papirioque conſulibus. Lib. 22, 3. *cæteris omnibus in conſilio* (apud C. Flaminium) *ſalutaria magis quam ſpecioſa ſuadentibus.* Lib. 25, 31. *Marcellus conſilio advocato & adhibitis etiam Syracuſanis.* Et ſequenti: *Ibi conſilium advocatum.* à Scipionibus videlicet. Lib. 27, 46. *Poſtero die conſilium habitum.* à Livio & Claudio Coss. Et, *is tum in concilio aderat.* Moxque, *Conſilio dimiſſo.* Lib. 28, 26. *Conſilio dimiſſo.* quod P. Scipio convocaverat. Eodemque c. 29. *citantis nomina damnatorum in conſilio.* Lib. 30, 5. *His præparatis convocatoque conſilio.* Eodem libro c. 31. *eſt, quod referam ad conſilium.* Et cap. 36. *In conſilio, quamquam juſta in omnes* &c. lib. 32, 6. *poſtero die conſilium habuit.* P. Villius. Eodemque libro c. 9. *conſilium habuit, utrum recto itinere* T. Quinctius. Lib. 37, 13. *conſilium habitum* (ab Livio præfecto claſſi) *utrum extemplo.* Iterumque cap. 15. *Æmilius* (ſucceſſor ejus) *conſilium advocavit.* Cap. 35. *Advocato frequenti conſilio legati verba ſunt audita.* apud L. Scipionem. Lib. 42, 60. *& in conſilio apud conſulem.* Hoc lib. 44, 35. *dimiſſoque conſilio Perræbos mercatores.* Conſul Æmilius Paullus. Ibidemque: *quod in conſilio agitatum erat.* Cap. 34. *cum iis quod advocaverit in conſilium.* Cap. 37. *ad conſilium vocavit.* Lib. 45, 7. *& conſilio advocato literas prætoris quum recitaſſet.* Itemque: *adverſus advocatos in conſilium conſidere juſſit.* Iterumque: *conſilio dimiſſo.* Cap. 26. *pronuntiavit de ſententia conſilii.* Nam & decem legati more majorum miſſi erant conſilium imperatorum provincias conſtituentium. Idem error in Cæſare admiſſus lib. 3. de bello Gallico: *concilio celeriter convocato,*

cato, ſententias exquirere cœpit. Eodemque libro: *hac re ad concilium delata.* Loquitur de Galba & Craſſo legatis vel præfectis Cæſaris. Igitur ſcribe, *conſilio*, & *conſilium*. Etiam prætorum *conſilium* erant judices adſeſſoreſque: ideo *in conſilio eſſe in conſilium ire*, *mitti* dicebantur. In eo erratum lib. 29, 20. *Cum eo conſilio prætorem cognoſcere.* Præterea regum *conſilium* ſunt conſiliarii ipſorum, quos deliberationibus adhibent, ut & ducum regiorum, qui exercitibus præſunt, alii præfecti minores. In eo labes lib. 1, 34. *ut publicis pariter ac privatis conſiliis belli domique intereſſet.* Lib. 35, 17. *Rex dimiſſis iis conſilium de bello Romano habuit.* Cap. 18. *Annibal non adhibitus in conſilium.* Ibidemque: *Ex conſilio ita diſceſſum eſt.* Lib. 36, 43. *& conſilium extemplo habuit, faciendumne periculum navalis certaminis foret.* Polyxenidas præfectus claſſi Antiochi. Lib. 42, 50. *Perſeus conſilium habuit.* Cap. 57. *Sub idem deinde tempus conſilium & conſul & rex habuerunt.* Cap. 62. *Conſilium habenti regi de ſumma.* Lib. 43, 22. *Ibi conſilio advocato.* Lib. 44, 26. *Hæc relata regi quum eſſent*, advocato conſilio. Denique *conſilium* eſt etiam prudentia, aſtus vel prudens inventum. Sic oportuit accipi lib. 2, 24. *diu ſuſtentatum id malum partim conſiliis patrum, partim patientia plebis.* Lib. 35, 36. *Sed ut oportuit in conſilio fraude cœpto.* Lib. 39, 35. *& quum omnia ira, non conſilio gererentur.* Quibus omnibus locis male omnes libri vulgati, quos quidem diverſarum editionum ante oculos habeo, *concilium*, iterant. At viciſſim *conſilium* interdum ſignificat comitia ſeu conventum populi cujuſque. Ita reſtituendum lib. 24, 37. *ſi ad conſulem gravarentur mittere, ſibi ſaltem darent populi concilium.* Cæſar lib. 4. de Germanis Rhenum

num tranſgreſſis : *qui omnibus rebus ſubito perterriti & celeritate adventus noſtri & diſceſſu ſuorum , neque concilii habendi , neque arma capiendi ſpatio dato , perturbabantur.* Non enim illic paucorum conſilium , ſed vitio libertatis, ut ait Apollonius, ξυνὴ μὲν χρειὼ , ξυνοὶ δέ τε μῦθοι ἔασιν Πᾶσιν ὁμῶς. Eodem libro de Suevis Cæſare Rhenum tranſgreſſo : *Suevos, poſtquam per exploratores pontem fieri comperiſſent, more ſuo concilio habito, nuntios in omnes partes dimiſiſſe.* Significat & communem rempublicam fœderatorum populorum , ut cum lib. 42. *Bœotico concilio diſcuſſo* dicitur , & ibidem Legati Romani nuntiant *Bœotorum quoque ſe concilium arte diſtraxiſſe.* Sic reſtituendum lib. 39, 48. *& Meſſene deſciverat à concilio Achaico.* Eſt ubi ponitur pro congreſſu ſecreto, coitione ſeu cœtu conſpirantium clanculum , unde conjungit interdum noſter *concilia coitioneſve.* Id non animadverſum lib. 4 , 5. *Conſules quum per ſenatum intercedentibus tribunis nihil agi poſſet , concilia principum domi habebant.* Sed etiam conventus legatorum ab diverſis populis ſociis concilium appellatur. Et ſic poſuerat noſter lib. 33 , 12. *& illos prioribus omnibus conciliis colloquiiſque de conditionibus pacis ſemper diſſeruiſſe.* Non enim tam ſuam cauſſam in eo bello jactabant Romani quam libertatem Græciæ. Vnde & cap. ſequenti recte : *tertio die datus ei Romanorum & ſociorum frequens concilium.* Et ita accipiendum puto lib. 34, 30. *Concilio advocato, quum omnes colloquium dandum cenſuiſſent.* Aderant enim præter Eumenem regem principes Græciæ : ut apparet ex cap. 26. ubi advocat concilium de oppugnandis Argis : *Omnium principum Græciæ ſententia erat.*

Gg Ita-

Itaque non adſentior Modio iſtic legenti, *conſilio:* etſi jubeat videre Parerga Briſſonii, quæ nobis in promtu non ſunt. Ambiguum poteſt videri lib. 34, 33. *Ita & tyranno ad conſultandum tempus datum eſt, & Quintius, ſociorum etiam principibus adhibitis, habuit concilium.* Sic nunc vulgati: at Andreanæ: *conſilium:* idque puto verius. Non enim proprie ſociorum conventus fuit, ſed præfectorum Romanorum apud imperatorem, cui aliquot ſociorum ſunt adhibiti. Sic lib. 42, 57. conſilio apud Licinium Craſſum habito interfuerunt Eumenes cum fratre: neque tamen eo id concilium fuit.

Cap. 5. *Qua rupes abſciſſæ erant*] Liber vetus habuit, ut eſt in Aldina: *abſciſæ.* Verbum hoc quoque permultis locis amiſerunt vulgatæ. Lib. 4, 19. *caputque abſciſum victor ſpiculo gerens.* Ita duo Pall. primæque editiones. Lib. 8, 25. *quod interſeptis munimentis hoſtium pars parti abſciſa erat.* Sic membranæ Thuaneæ. Lib. 24, 15. *primum capite ægre inter turbam tumultumque abſcidendo tempus terebat.* Et eodem cap. 30. *unum ſpe undique abſciſa conſilium eſſe rati.* Sic utrobique optimus Put. & alii meliores. Lib. 31, 34. *detruncata corpora brachiis abſciſis.* Lib. 35, 32. *& quamquam prope abſciſa res erat.* Sic Mss. & Andreanæ. Lib. 41, 11. *Ea res barbaros miraculo terruit abſciſæ aquæ.* Sic Aldina ex prima editione, quæ unici libri ſcripturam fideliter retulit. Vt & hoc libro, c. 6. *rupes utrimque ita abſciſæ ſunt.* Martialis 3. epigr. 66. *Abſcidit vultus enſis uterque ſacros.* Non eſt ſcribendum: *Abſcidit, heu vultus:* ut quantitatis ratio habeatur, neque *Abcidit*, quod utrumque Douzæ videbatur: eſt enim ex *abs* & *cædo.* Auctor Thebaidos, (rectius *Phœniſſas* appellat antiquiſſimus codex Mediceus,

ceus, ex quo, Deo dante, omnes illas tragœdias propediem integriores dabimus) ille ergo: *ac vita bona Projecit atque abſcidit.* Vbi ab eodem timore fecerunt: *abcidit.* Sed & contigit aliquid humanitus doctiſſimis viris, qui à *ſcidi*, *ſciſum*. pro *ſciſſum*, fieri nos docuerunt, & *abſcidere* apud Plautum pro *abſcindere* in præſenti legi; & rationem dant, à *σχίζω σχιδεῖν*, *ſcindo* & *ſcido* dici. Quod ut ſpecioſum, ita minus verum cum illa teſtantur, quæ diximus: tum differentia inter *reciſum* & *reſciſſum*: neque enim *reſciſum*, puto, quod iſta analogia æque poterat fieri, uſpiam invenient. Sic *proſciſſum*, at *perciſum* ac *præciſum* dicimus. Ibidem: *digreſſi in campos inter Heracetum ac Libethrum poſuerunt caſtra.* Scribe: *Heracleum & Libethrum.* Quod nomen urbis in hac hiſtoria fere ſemper corruptum eſt. Supra cap. 2. *litore nunc Heracleum nunc Thilam percurrebat*, non *Heracleam*. Vbi vereor ne & Livius reliquerit: *intercurrebat*: propter ea, quæ diximus ad lib. 2, 29. Infra cap. 8. *Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit.* Polybius de hoc ipſo in fragmento apud Suidam: *Σημαία τάξις πολεμική, δι' ἧς τὸ Ηράκλειον ἧλω.* Vbi monuit de eodem Livii loco Valeſius. Cap. 9. *capto jam Heracleo.* Cap. 10. *cum claſſe ab Heracleo Theſſalonicam profectus.* Cap. 35. *Q. Fabium Maximum filium ſuum cum quinque delectis millibus Heracleum mittit.* Plutarchus in eadem re: *κατεστρατοπέδευσε παρὰ τὸ Ηράκλειον.*

Cap. 6. *Duobus ex amicis Pellam, alterum Aſclepiodotum, ubi pecunia depoſita erat*] Neque *Pella* viri eſt nomen, neque *Aſclepiodotus* loci. Verba autem illa, *ubi pecunia depoſita erat*, omnino ſunt aliena. Poſſis exiſtimare poſt *τὸ trepi-*

dans interjectum aliquid fuiſſe, quo narraret Livius, quod breviter innuit infra cap. 10. *Perſeus tandem à pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle imperiis ſuis obtemperatum non eſſe, quum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Theſſalonicæ navalia juſſerat incendi*: ejuſque narrationis particulam eſſe illa: *ubi pecunia depoſita erat*. Sed credo potius gloſſema illud eſſe hominis imperiti, qui invenerat illud adſcriptum voci *Pellam*, poſtquam in hanc transformatum verum nomen exſtitit. Etſi enim hoc loco narrandum illud fuiſſet, tamen intelligi ex poſtea narratis more ſuo Livium id maluiſſe certum habeo. Eſt autem omnino ſcribendum: *& ſubinde per alia atque alia pavida conſilia & imperia trepidans, duos ex amicis, Hippiam, alterum Aſclepiodotum ex præſidiis revocat, omneſque aditus aperit bello.* Quam conjecturam ſuggerunt illa inferius cap. 7. *increpare præfectos præſidiorum, ante omnes Aſclepiodotum atque Hippiam: ab his dicere clauſtra Macedoniæ tradita Romanis eſſe. cujus culpa reus nemo juſtius quam ipſe fuiſſet.* Et ſuperius cap. 2. *In jugum Cambuniorum montium (Voluſtana ipſi vocant) decem millia levis armaturæ juvenum cum duce Aſclepiodoto mittit: ad caſtellum quod ſuper Aſcuridem paludem erat (Lapathus vocatur locus) Hippias tenere ſaltum cum duodecim millium Macedonum præſidio juſſus.* Nec mirere: *duos ex amicis, Hippiam, alterum Aſclepiodotum*: quaſi non videremus τὸ *alterum* eſſe repetendum. Scimus hoc poſſe alicui in mentem venire, ſed nos id neceſſarium eſſe non judicamus. Solet auctor diſtributiones per voces, *alter, pars, alii, plerique, partim, ſimul*, quæ vulgo repeti ſolent, ita concipere, ut ſemel eas tantum ponat. de quibus largiter ad lib. 3, & 35, & 36. Sic

&

& lib. 42. *Quum & hoc & alio omni genere telorum pars vulnerata militum eſſet, nec facile jam arma feſſi ſuſtinerunt.* Quod eſt perinde ac ſi diceret: *pars feſſi non facile arma ſuſtinerent.* Valerius Maximus lib. 2, 5. *Quæ cum viros ſuos clandeſtinis inſidiis veneno perimerent, unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali judicio damnata, centum & ſeptuaginta numerum expleverunt.* Tacitus lib. 2. hiſtor. *Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hoſtiliam petere juſſæ.* Inferius: *unum in primo aditu ad Gonnum erat: alterum Condylon caſtello inexpugnabili.* Aldina: *alterum ad Condylon.* Et propius finem: *partem planitiæ aut Iovis templum aut oppidum tenet.* non *planitiei.* Cæſar lib. 1. de bello civili: *Erat inter oppidum Ilerdam & proximum collem, ubi caſtra Petrejus atque Afranius habebant planitia, circiter paſſuum trecentorum.*

Cap. 9. *Vix unius horæ tempus utrumque circulum complebat*] Aldina: *utrumque curriculum.* Quod male profecto mutaverunt. Non bene dici de deſultore *curriculum* crediderunt, quod vocem acciperent, ut apud Tacitum, *curriculo quadrigarum inſiſtere.* Quaſi non & curſum ſignificaret ſæpe apud Plautum. Sed & ſcribendum exiſtimo: *& ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo.* Non, inquit, ita multiplicabantur quadrigarum & deſultorum miſſus, ut nunc: ſemel quadrigæ mittebantur, dein exhibebantur deſultores: & utrumque horum curriculum vix horæ ſpatium complebat. Vt tamen producerent muneris tempus, varia alia conquirebant genera ſpectaculorum, in quibus erat illa teſtudo. Mox: *ex parte elegantioris exercitii quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum uſum.* Expunge vocem *artis*, quæ non eſt Livii & ſenſum obturbat. Inferius: *quod*

& in fronte extremi & ex lateribus ſoli non haberent ſuper capita elata ſcuta, ne nudarent corpora, ſed pratecta pugnantium more. Scribe haud dubie, *pratenta.*

Cap. 10. *Projiciendo pecuniæ partem, quod, fuerat nactus*] Freinshemius: *quod ſugerat, nactus:* vel, *pecuniæ quod fuerat nactus*, expungendo τὸ *partem.* Sed appoſitio eſt breviter concepta pro illo: *projiciendo pecuniæ partem, nempe omne id quod ejus fuerat nactus.* Ita infra: *ſociorum navalium partem morbo audiſſe abſumtam, partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos ſuas abiſſe.* Lib. 45. *Deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam: unam fore ac primam partem quod agri inter Strymonem & Neſſum amnes ſit.* Cæſar lib. 6. de Gall. *pars in continentes paludes profugit, qui proximi oceanum fuerant.* Statim lego: *ſed in errorem emendabilem viſus lapſus eſſe, quod per urinatores omne ferme exſtractum eſt.* Non in rem.

Cap. 12. *Pytho & Philippus Proco, qui occupaſſet aggredi*] Abeat in malam rem iſte *Proco.* Scribe autem cum Freinshemio: *Pytho & Philippus pro eo, qui occupaſſet aggredi, opus factum eſſe rei.*

Cap. 14. *Se quoque in gratia reconciliatæ pacis poſſe uti*] Et hoc ſine controverſia corruptum. Forte ſcribendum: *petere, ſi poſſint inducere in animum, ut finiant iram, ſe quoque in gratia reconciliatæ pacis eos uti.* hoc eſt, ſe quoque illos adhibere tanquam medium, ſe quoque admitti ab illis inter pacificatores, & partem gratiæ in reconciliata pace ferre.

Cap. 18. *Ea ſola quæ ad id bellum pertinerent, animo cogitabat*] Lege, ut ex veteri libro ſervavit Aldina: *animo agitabat.*

Cap.

Cap. 19. *Ne quid profectionem ſuam retineret*] Ab ultima Gruteri inolevit: nam omnes priores: *profectionem ſuam teneret*. Et ſic mavult Livius pro morari, detinere. Lib. 10. *Poſtumium adverſa valetudo Romæ tenuit.* Lib. 25. *Romæ conſules prætoreſque uſque ante diem quintum Kal. Majas Latinæ tenuerunt.* Et centies alibi. Ibidem ſcribe cum Aldina: *obſidione ipſam Alexandriam terrebat.* non *tenebat.*

Cap. 20. *Pieriam, quo proceſſit, regem tenere*] Latinus ſermo: *quo proceſſiſſet.*

Cap. 22. *Ac prope certa ſpe ominatos eſſe homines finem eſſe Macedonico bello*] Dele poſterius *eſſe*.

Cap. 23. *Miſſi ſunt: & auctore Pantauco, qui Rhodum*] Diſtingue: *Cum eodem ad pecuniam accipiendam miſſi ſunt & auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent: Parmenio & Morcus deſtinantur.*

Cap. 24. *Iterum cum Antiocho regiis ducibus*] Scribe: *cum Antimacho.* Vt ſupra: *Fama fuit per Cydam Cretenſem & Antimachum, qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem & Perſea conditiones amicitiæ.* Sed & *Eropon* ille falſo nomine. Scribe: *Cryphon quoque qui tum miſſus eſt, duabus ad eundem Eumenem jam ante legationibus functus erat.* Polybium do auctorem in excerptis legationibus: Κρυφῶντα μὲν ἐξέπεμψε πρεσβευτὴν πρὸς Εὐμένη καὶ πρότερον ἤδη ἀπεσταλμένον. Idem reſtitue inferius cap. 27. *Et ab Eumene Cryphon ignotis, quæ occulte acta erant, redit.* Et ſtatim ſequenti: *Perſeus poſt reditum ab Eumene Cryphontis ſpe dejectus.*

Cap. 25. *Ne bello intereſſet, mille & quingena talenta*] Appianus in excerptis: τάλαντα δ' ᾔτει τῆς μὲν διαλύσεως χίλια καὶ πεντακό-

σια, τῆς δὲ ἡσυχίας χίλια. Videtur in Livio deeſſe aliquid, quod hunc exprimeret ſenſum: *ne bello intereſſet, mille; pacis conciliandæ cauſſa mille & quingena talenta.*

Cap. 26. *Quum pecuniam tutam & pacem habere per Eumenem*] Quid opus argumentis? Locus ipſe clamat ſe peſſime habere. Vide an ſic queat inſtaurari: *quum pecunia tantula pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda eſſet, ac recepta* (ſcilicet, pace) *protrahere inimicum mercede onuſtum, & hoſtes merito ei Romanos poſſet facere.* Verbum *protrahere* ſic habes lib. 27. *novum in occulto gliſcens per indicium protractum eſt facinus.* Lib. 33. *quem indicem Piſiſtratus timens, eo ipſo timore ad indicium protraxit.* Lib. 45. *Suberat & ille metus, ne damnatus auctorem ſe nefandi facinoris protraheret.* Epitoma 127. *nefaria contra Cæſarem molitum indicio ſuo protraxit.* Valerius Maximus: *unius ancillæ indicio protractæ.* Ibidem: *ecquid aurum, quod in ſingulos pedites equiteſque dividendum eſſet, ſecum adduxiſſet?* Repone: *advexiſſet.* Vt in commentario de Seſtertiis & Cæſarem juvabamus. Infra: *reliquam pecuniam parvis itineribus veherent.* lib. 23. *ea* pecunia *per L. Apuſtium legatum Tarentum eſt devecta.* Lib. 32. *argentum in ſtipendium impoſitum primum Romam advexerunt.* Lib. 35. *tantum advehi auri, ut ipſos emere Romanos poſſit.*

Cap. 27. *Apparebat in omnibus, mercedem multitudinis timere*] Dele præpoſitionem. *Omnibus* intellige in conſilium advocatis.

Cap. 28. *Eudamumque præfectum earum inviolatas*] Haud dubie ad propius digniuſque reſpexit Livius, immo accepit quaſi poſuiſſet ante: *Rhodios in navibus Eudamumque.* Scribe ergo: *inviolatos atque etiam benigne appellatos dimiſerunt.*

runt.

runt. Ab eadem ignorantia inferius: *circumvectus mittit:* nam ſic Aldina, & nihilo melius recentiores, *circumvectos*. Verum eſt enim: *Circumvecti propere ac ſummotis terrore hoſtium navibus, onerarias datis, qui proſequerentur, decem lembis in Macedoniam mittunt.* Nempe Antenor & Callippus præfecti claſſis Macedonicæ. At quia interjectum eſt: *Caſſandreæ deductæ naves Tenedum cum trajeciſſent:* putarunt de illis alterum dici non poſſe. Inferius: *Septingenti ferme Gallorum occiſi.* Et hoc à Gruteriana ultima: nam priores cum Aldina, *Octingenti*, aut *DCCC.*

Cap. 29. *Quibus poterat Popillius aut Eumenis naves*] Lege: *quibus poterant, Popillius aut Eumenis naves ſuccurrebant, ſed interdiu; nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant.*

Cap. 30. *Ad eá quæ habebat auxilia aſſumtis Parthinorum*] Verbum *adſumtis* non fuit in libro veteri, eſtque ab Sigonio additum. Nos id non opus eſſe putamus, ſed quod deeſſe arbitratur ille, latere in vocabulo *juventutis*, adeoque ſcribendum: *& ad ea quæ habebat auxilia Parthinorum junctis duobus millibus peditum & equitibus ducentis (peditibus Epicadus, equitibus Agaſſis præerat) parabat ducere in Illyricum.* Verbum habes ita lib. 24. *naves junctæ aliæ binæ ad quinqueremes, demtis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur.*

Cap. 33. *Conſpici ab hoſte poſſit, ipſe nihil provideat*] Quis non videat legendum: *ſopitos ſtare, ut fulgentibus armis procul conſpici ab hoſte poſſint, ipſi nihil provideant.*

Cap. 34. *Milites, conſul, & imperator, rumoribus vulgi*] Forte ſcripſerat: *in quo exercitu militum conſul, & imperator rumoribus vulgi circum-*

agatur, (Sic Aldina, non *circumagitur.*) *ibi nihil ſalutare eſſe.* Conſulem vult rumoribus militum & imperatorem rumoribus vulgi non in omnem partem trahi & verti. Simplicius *militibus* opponeretur *imperator* & *conſul vulgo*: ſed elegantius illud, & fere ut in procemio Inſtitutionum: *non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam.*

Cap. 35. *Itaque quum alii præcipites ſine reſponſo * agendos caſtris*] Videtur deeſſe *cenſerent*, niſi illud verbum intelligi commode putes. Neque abſurdum ſit ſcribere: *Itaque quum alii præcipites ſine reſponſo agerent caſtris.* quod eſt, agendos cenſerent. Vt lib. 27. *Marcellus Romam veniret ad purganda ea, quæ inimici decernerent.* id eſt, decernenda cenſerent. Lib. 26. *P. Cornelius, cui Aſinæ cognomen erat, omnes duces exercituſque ex tota Italia ad urbis præſidium revocabat.* Tacitus 11. Annalium de Vitellio: *liberum ei mortis arbitrium permiſit.* Quæ nihil volunt aliud, quam, revocandos, permittendum cenſuit. Ibidem mendum Gruterianæ retentum in ultimis: *militibus etiam melius & certiore ictu*, pro *miſſilibus.*

Cap. 36. *Magis acceſſurum utrumque apparebat*] Cur non, *acceſſuram utramque?* nam intelligitur, *laſſitudo* & *ſitis.* Poſſis tamen ſubaudire, *malum.* Ibidem parum ſanum eſt: *ne hoſtem quidem ludificatos priores imperatores fugiendo certamen manibus emitteret.* Senſum ſic habebis: *ne hoſtem pridem ludificatum priores imperatores fugiendo certamen manibus emitteret.* Ni malis: *qui ſit ludificatus.*

Cap. 37. *Sacrificio rite perpetrato concilium advocavit,*] Inveniebat editum Sigonius: *ad concilium vocavit:* ideo, cum deſint, inquit, quos vocaverit, malim, *concilium advocavit.* Huic

curvæ.

curvæ conjecturæ ex eo tempore vetus lectio decedere juſſa eſt. Quod quidem paſſi non eſſemus, ſi ante contextum typis expreſſum videre nobis & conferre Aldinam licuiſſet. Nihil enim contatus reſtituiſſem, ut habuit unicus liber: *ſacrificio rite perpetrato, ad conſilium vocavit.* Quod inſuper habita religione Sigoniana, verum eſſe non dubitabis regreſſus ad ea, quæ diximus ad lib. 23, 32. & 26,48.

Cap. 38. *Denuntiavit mihi ſuum conſilium*] Perperam mutaverunt, quod ex veteri libro ſervavit Aldina: *denudavit mihi ſuum conſilium.* Sic noſter lib. 23. *& auxit rerum ſuarum ſuique contemtum conſul nimis detegendo cladem nudandoque.* Lib. 39. *ſi omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor.* Lib. 40. *nec id cura ipſius, ſed ne pœna ejus conſilia adverſus Romanos nudaret.* Lib. 42. *Cernebam nobiliſſimas Aſiæ & Græciæ civitates indies magis denudantes judicia ſua.* Eodemque: *Fama equeſtris pugnæ vulgata per Græciam nudavit voluntates hominum.* Seneca de tranquill. animi: *nec unquam cura ſolvimur, ubi nos toties æſtimari putamur, quoties aſpici: nam & multa incidunt, quæ invitos denudent.* Ibidem: *& heſterno die implicatam intuentes aciem animadvertiſſe, certum habeo.* Immo *explicatam.* Lib. 7. *quum procul viſis Romanorum ſignis, ut extemplo prælium initurus, explicuiſſet aciem.* Lib. 40, 25. *ita ut ne efferendi quidem ſigna Romanis ſpatium, nec ad explicandam aciem locus eſſet.* Vbi malim: *nedum ad explicandam,* etſi non ignorem τὸ *ne* interdum eo ſenſu poni. lib. 44. *ſi loci ſatis ad explicandam aciem fuiſſet.*

Cap. 40. *Aut conſule aut rege optante pugnatum eſt. Rege quod*] Quatuor verba: *optante pugnatum eſt rege;* de conjectura inſeruit Sigonius.

Sed

Sed recte conſiderata ſententia, adhibitaque diſtinctione neceſſaria, & obſervato ſcribendi charactere Livii, apparebit, nullius vocis jacturam in veteri libro factam eſſe *præterquam τοῦ *rege*, quod cum repetendum eſſet, à librario omiſſum eſt. Ita namque ſcripſit Livius: *Ac ne illo ipſo quidem die aut conſule aut rege, (rege, quod nec feſſos, ut pridie, ex via, neque trepidantes in acie inſtruenda & vix dum compoſitos aggreſſurus erat; conſule, quod in novis caſtris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum à caſtris exierat) neutro imperatorum volente, Fortuna, quæ plus conſiliis humanis pollet, contraxit certamen.* Hæc integerrima oratio eſt, & adeo non defecta, ut etiam aliquid ſuperſit: etenim cohæret: *Ac ne illo ipſo quidem die aut conſule aut rege volente, Fortuna contraxit certamen:* cæterum propter interjecta, ut ſubveniret memoriæ lectoris vel auditoris, adjecit huic orationi diviſæ: *neutro imperatorum.* quod eſt nihil aliud *nec, inquam, rege nec conſule.* Sic lib. 1. cap. 49. *Octavio Mamilio Tuſculano (is longe princeps Latini nominis erat, ſi famæ credimus, ab Ulyſſe deaque Circe oriundus) ei Mamilio filiam nuptum dat.* Retineo autem *Octavio* cum vett. lib. non *Octavo*, quod nuper Sigonius & Carrio ſubſtituerunt, Latina nomina ad Romanum modulum exigentes eoque *Decimos* quoque, *Marcos* & *Marinos Deciis* & *Mariis* ſufficientes. Lib. 2, 12. *ſedendoque expugnaturum ſe urbem, ſpem Porſena habebat: quum C. Mutius adoleſcens nobilis, cui indignum videbatur populum Romanum ſervientem, quum ſub regibus eſſet, nullo bello nec ab hoſtibus ullis obſeſſum eſſe; liberum eundem populum ab iiſdem Etruſcis obſideri, quorum ſæpe exercitus fuderit; itaque magno audaci-*

que

que aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo ſua ſponte penetrare in hoſtium caſtra conſtituit. Hic illud, *itaque*, πλεονάζει· ſed utiliter additur orationi propter ὑπέρβατον, & valet idem ac ſi plenius dixiſſet: *is itaque, ut occœpi dicere, Mutius.* Quæ obſervatio eſt eo nobilior, quod Sigonius cauſſatus hanc periodum ἀνακόλουθον continere, quia nullum ſubdatur verbum, quod reſpondeat recto caſui *C. Mutius*, legit ex libris, ut ait, ſcriptis manu: *C. Mutio adoleſcenti nobili indignum videbatur.* Falſa eſt iſta ratio; ſubduntur enim multa, ut *ratus, conſtituit, metuens, iret, deprehenſus, retraheretur ut transfuga, adiit, inquit:* ſed in errorem induxit doctiſſimum virum illud *itaque*, quo putabat novam omnino periodum incipi, non illam, quæ interciſa & ſuſpenſa erat, continuari. Scripti autem illi, ſi qui fuerunt, hic quidem infames inteſtabileſque. Illuſtre exemplum eſt & lib. 5, 24. *Adverſus quæ quum optimates ita tenderent.* poſt interponuntur multa, quibus ſenſus ſermoneſque optimatium explicantur, antequam cœptæ periodi pars altera compareat: itaque neceſſe habuit *τὸ quum* repetere: *Hæc quum fœdis certaminibus agerentur:* ſequitur mox cujus reſpectu tanto ſuperius dixerat: *quum optimates.* Viſe locum lib. 25, 27. *Deleto terreſtri Punico exercitu Siculi, qui Hippocratis milites fuerant, in haud magna oppida, cæterum & ſitu & munimentis tuta (tria millia alterum ab Syracuſis, alterum quindecim abeſt) eo commeatus è civitatibus ſuis comportabant & auxilia arceſſebant.* Quem etiam vitiaverat hujus pleonaſmi ignoratio & ad hoc uſque fruſtra viri docti tetigerunt. Lib. 26. *Lævinus Zacynthum (parva inſula eſt propinqua Ætoliæ; urbem unam eodem, quo ipſa eſt, nomine habet)*

eam

eam præter arcem vi cœpit. Cæſar 3. de bello Gall. *multis præterea viris fortibus, Toloſa, Carcaſone & Narbone, quæ ſunt civitates Galliæ provinciæ finitimæ, ex his regionibus, nominatim evocatis.* Fulvius Vrſinus delet, *ex his regionibus*, tanquam σχολιαςικῶς adjecta. Quod nobis aliter videtur. Iterum Livius Lib. 38, 55. *Ad hunc prætorem, adeo amicum Corneliæ familiæ* (ſequuntur aliqua de notis exemplisque amicitiæ) *aut adeo inimicum* (interponitur rurſus aliquid, cur id poſſet videri) *cæterum ad hunc nimis æquum aut iniquum prætorem reus extemplo factus L. Scipio.* Vbi perperam nobis Andreas dedit: *Alii hunc prætorem*, & deinde: *alii adeo inimicum*: eadem plane imprudentia. Sic & rurſus Cæſar lib. eodem tertio. *Atque in ea re omnium noſtrorum intentis animis, alia ex parte oppidi Adcantuanus qui ſummam imperii tenebat, cum ſexcentis devotis, quos illi Soldurios appellant; (quorum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderint: ſi quid iis per vim accidat, aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcunt. neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret,) cum iis Adcantuanus eruptionem facere conatus* &c. Eodem capite centonem præpinguem &, ſi pecus eſſet, mactandum Livio Sigonius adſuit, quem mirum eſt non pari facilitate ſuam in curam editores adoptaſſe: *Thraces duo id jumentum ex medio alveo in ſuam ripam trahentes altero * eorum occiſo.* Hic ille, etſi quæ ſententia fuerit, haud difficile intellectu, quibus autem verbis expreſſa, neminem divinaturum fateatur, ita legere tamen, ut ſententia eluceſcat, ſe pronuntiat: *in ſuam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum*

conſe-

conſeruerunt. Iamque Romani altero eorum occiſo, receptoque eo jumento. Ego vero τὸ *trahentes* in *traherent* mutandum, & duo verba, *id jumentum*, delenda pro gloſſemate cenſeo: tantum abeſt, ut quidquam deeſſe, quod ſuppleri à nobis oporteat, exiſtimem. Conſidera enim: *hora circiter quarta jumentum è manibus curantium* (hominum à parte Romana) *elapſum in ulteriorem ripam effugit. Quod* (jumentum) *quum per aquam ferme genutenus altam tres milites* (etiam à parte Romana) *ſequerentur, Thraces duo ex medio alveo in ſuam ripam traherent; altero eorum* (Thracum) *occiſo, receptoque eo jumento, ad ſtationem ſuorum* (tres illi milites Romani) *ſe recipiebant.* Nihil profecto integrius. Ad illa, *Thraces traherent* intelliges ex præcedenti membro τὸ *Quod*, ſcilicet, jumentum: unde cum aliquis addidiſſet hanc interpretationem: *id jumentum:* in contextum narrationis perperam relata eſt.

Cap. 41. *Quod inter cetratos & phalanges erat*] Scribe: *phalangem.* Vt lib. 33. *Philippus cum cetratis & cornu dextro peditum, robore Macedonici exercitus, quam phalangem vocabant.* Et inferius eodem lib. 33. *cetratos & Macedonum phalangem.* Ibidem: *frontem adverſus clipeatos habebat, aglaſpides appellabantur.* Vereor ne *chalcaſpides* ſcripſerit Livius: eorum enim meminit Plutarchus in Æmilio: οἷς καθισταμένοις εἰς τάξιν αἱ τῶν χαλκασπίδων ἐπανατέλλουσαι φάλαγγες ἐκ τοῦ χάρακος ἐπέπλησαν αὐγῆς σιδήρου καὶ λαμπηδόνος χαλκοῦ τὸ πεδίον. Nam & *leucaſpides*, quos Livius dicit, deſcribuntur apud eundem λευκῶν καὶ περιλαμπόντων θυρεῶν. Inferius: *ſicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, extemplo, quum agi, non quemadmodum agantur,*

tur, ediſſeri oportet, ſine effectu evaneſcunt. Et hic pro veteri lectione adhuc Sigoniano contenti fuimus commento. In libro unico viſum eſt: *vim habent explendo eum agi.* Vnde non *extemplo*, ut Sigonius, ſed faciendum fuit: *vim habent; experiendo, quum agi, non quemadmodum agantur, ediſſeri oportet, ſine ullo effectu evaneſcunt.* Vt libro ſequenti: *Leges Macedoniæ dedit, quas ne uſus quidem longo tempore (qui unus eſt legum corrector) experiendo argueret.* Plautus Rudente: *Nimio hominum fortunæ minus miſeræ memorantur, Quam reapſe experiundo iis datur acerbum.*

Cap. 45. *Perſeus una tantum ſpe Biſaltarum auxilii tentati*] Scribe: *tentata.* Noſti phraſin ex iis, quæ dicta ſunt ad lib. 4, 10.

Cap. 46. *Velut inſula eminet aggeri operis ingentis*] Puto excidiſſe voculam ſcribendumque: *In ipſa palude, qua proxima urbi eſt, velut inſulæ, eminet arx, aggeri operis ingentis impoſita.* Ait in parte paludis urbi propinqua eminere arcem ingentis operis aggeri, velut inſulæ, immolitam. Ibidem: *Nuntio deinde accepto, Perſea ad Samothracam trajeciſſe.* Præpoſitio eſt recentiorum: nam Aldina: *Perſea Samothracam trajeciſſe.* Lib. 45. *Antenor, qui cum claſſe lemborum ad Phanas ſtabat, Caſſandriam inde trajecit.*

AD
LIB. XLV.

CAP. 1. *C. Licinio conſuli ad quadrigas mittendas aſcendenti*] Liber vetus habuit, ut eſt in Aldina: *exſcendenti*. Scribe igitur: *eſcendenti*. de quo ſuperius.

Cap. 2. *Præmiſſus tabellarius eſſet, veniſſent*] Vocem ultimam ad integrandam ſententiam adjecit Sigonius. Potuit levius: *quum legati ab L. Æmilio conſule, à quibus præmiſſus tabellarius, veniſſent*. Ibidem: *ingentique turba non virorum modo, ſed etiam fœminarum, conferta tota urbe deum immortalium templa.* Et hic intercidit vox una judicio Sigonii: vult enim, *templa adierunt*: quod & pluſculæ receperunt editiones. Atqui nihil deeſt, ſed τὸ *conferta* intelligit verbum ſubſtantivum. Ait poſt edictum conſulis de aperiendis fanis & templis pro ſe quemque iviſſe gratulatum & ingenti turba omnia templa conferta eſſe. Quam pulchre junguntur, *quiſque ire* & *adierunt?* Inferius: *Supplicatio pro concione populi indicta eſt ex ante diem quintum idus Octobres.* Scribe: *pro concione populo indicta eſt.* ut is caſus ſit verbi *indicere*, non nominis *concio*. Ita enim dicebant ſimpliciter *pro concione*. Lib. 7. *Dictator coronam auream addidit donum, mirifque pro concione eam pugnam laudibus tulit.* Tacitus lib. 1. annal. *Stabant pro concione legiones diſtrictis gladiis.*

Cap. 3. *Supplicationes decrevit, ut Latinæ edictæ à conſule ſunt*] Senſus eſt, inquit Sigonius, ſupplicationes edictæ ſunt in certos dies, perinde atque

que Latinæ indici ſolent: non enim hic de Latinis indicendis loquitur, quippe quæ in quatriduum hoc tempore indicerentur. Certe ſi hæc mens Livii eſt, ſcripturam mutari neceſſe eſt: neque enim, *ut edictum eſt*, poteſt ſignificare Latine, *ut edici ſolet*. Quamvis ergo tres illi dies ſubſequentes habeantur pro diebus ſupplicationis, non Latinarum, tamen *τὸ ut* ſumendum non pro perinde atque, ſed pro poſtquam: ut intelligatur poſtquam conſules Latinas in dies aptos edixerint, ſupplicationes quoque decretas in illos dies. Quamquam & ſuſpicari poſſis dies Latinarum denotari & unum numerum excidiſſe, quum foret hoc modo: *ſenatus in triduum ſupplicationes decrevit: & Latinæ edictæ à conſule ſunt in ante dies quintum & quartum & tertium & pridie idus Novembres*. Statim corruptum eſt nomen legati Rhodii: non enim *Agepolis* vocabatur, ſed *Ageſipolis*. Αγησίπολις, ut conſtat ex multis locis Polybii. Apud quem & hæc ipſa oratio eſt: ἐλθεῖν μὲν ἔφασαν διαλύσοντας τὸν πόλεμον· τὸν γὰρ δῆμον τῶν Ροδίων ἑλκομένου τοῦ πολέμου καὶ πλείω χρόνον θεωροῦντα διότι πᾶσι μὲν τοῖς Ελλησιν ἀλυσιτελὲς καὶ αὐτοῖς δὲ Ρωμαίοις, διὰ τὸ μέγεθος τῶν δαπανημάτων, ἐλθεῖν ἐπὶ ταύτην τὴν γνώμην· νῦν δὲ λελυμένου τοῦ πολέμου κατὰ τὴν τῶν Ροδίων βούλησιν συγχαίρειν αὐτοῖς.

Cap. 4. *Ad ſummam ſeſtertium decies in ærarium retulit*] Satis probatum, ſcribendum eſſe, *ſeſtertii decies*. Ibidem: *quod qui paullo ante non contentus regno Macedoniæ Dardanos Illyrioſque oppugnaſſet, Baſtarnarum ſciviſſet auxilia*. Vetus liber & inde Aldina: *quod perpaullo*: deinde: *civiſſet*. Scribe ergo: *quod qui perpaullo*. Alterum etſi poſſit tolerari, tamen ex more Livii potius:

Baſtar-

Baſtarnarum exciviſſet auxilia. Lib. 27. *Metapontinos civitatem univerſam excitam ſedibus ſuis.* Lib. 28, 24. *juventute Celtiberorum excita:* ut ibi reſtituimus exemplisque firmavimus. Lib. 44. *cæterorum quidem fremitus fuit, indignantium ſe fruſtra excitos ſedibus ſuis.*

Cap. 5. *Reliqui quid eſſet, niſi ut fortiter moriatur?*] Nihil certius, quam legendum, quod & vidit Sigonius: *reliqui quid eſſe.* Sic lib. 25, 16. *reliquum autem quid eſſe paucis à multitudine in valle ſilva ac montibus ſepta circumventis, præter mortem?* Cujuſmodi non parvam manum noſtro reddidimus. Valerius Maximus lib. 4, 1. *diſcedens adjecit, ita ſibi credi oportere, ſi & alii idem adſeveraſſent, quoniam unius teſtimonio aliquem cedere peſſimi eſſe exempli.* Sic optimus codex; non, *credere peſſimi eſſet.* Quorum alterum jam monuimus alibi, de altero neſcio quomodo tum monere obliti. In fine cum vetere libro & Aldina lege: *Euandrum ſibi ipſum mortem conſciſſe.* non *conſciviſſe.*

Cap. 6. *Oroandemque Cretenſem, cui nota Thraciæ*] Aut ſcribendum eſt *appellare*, ut ſit: *fugaque conſilium capere ſolum prope relictum coegerunt, Oroandemque Cretenſem, cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, appellare, ut ſe* &c. aut delendum τὸ *que*, & ita formandum: *relictum coegerunt. Oroandem Cretenſem; cui nota Thraciæ ora erat, q. m. in ea r. fecerat, appellat, ut ſe ſublatum in lembum ad Cotyn deveheret.* Et hoc poſterius magis probo.

Cap. 7. *Tunc quoque acceſſio Punici belli fuerat*] Verbum ſubſtantivum eſt interpretis indocti, eoque cancellandum. Pendent omnia ab τοῦ *erat*, quod præceſſit, hoc modo: *Patrum ætate Syphax rex captus, in caſtra Romana adductus erat;*

erat; præterquam quod nec ſua nec gentis fama comparandus, tunc quoque acceſſio Punici belli, ſicut Genthius Macedonici. Lib. 7. *Campani, haud parva ut arbitror, acceſſio bonis rebus veſtris, in amicitiam venimus veſtram.* Lib. 30. *Verminam etiam Syphacis filium, quæ parva bene geſtæ rei acceſſio erat, devictum.* Lib. 38. *niſi & ipſius fama ſepulti laceretur, & frater inſuper, acceſſio invidiæ, mactetur.* Florus lib. 3, 1. de Boccho: *ubi diffiſus rebus ſuis, alienæ cladis acceſſio fieri timet.* Et ſic ſcribendum inferius hoc libro cap. 26. *Quæ vos rabies, inquit, agitat, qui duorum hominum noxæ civitatem acceſſionem facitis?* Vbi omnes editi: *civitatis*: quæ mutatio ab imperitis librariis facta. Vt lib. 38. fecerant, quod habent antiquiores quædam editiones: *acceſſione invidiæ.* Sic & corruperunt Valerium Maximum lib. 9. cap. 1. *Iam Ptolomæus rex acceſſio vitiorum ſuorum vixit.* Ita enim omnes ſcripti alicujus numeri, non *acceſſione*, ut vulgo, quod ſi ſenſum habet, non valde tamen expeditiorem. At illud elegans: præcipuúm in Ptolomæo non fuit ipſe, ſed vitia, quorum ipſum acceſſionem vel partẽ diceres. Sic totum ſcire pars ſuæ partis enormis vocatur. Vt in Priapejis: *fer opem, Priape, parti, Cujus tu pater ipſe pars videris.* Ita ſcribendum, non *par*, in quo & Scaliger ſe fatigat, judicavi dudum, ſed præcepit monere Gonſalius, cui ſuum non intervertimus. Petronius: *ut ipſum hominem laciniam faſcini crederes.* Sed & hic nota de Syphace. *nec ſua nec gentis fama comparandus.* puta cum Perſeo. Sic lib. 1. Latinum regem auditis Æneæ & Trojanorum fatis *nobilitatem admiratum gentis virique.* Ovidius lib. 6. metam. de Tereo: *flagrat vitio gentiſque ſuoque.* Vnde capias licet, quod eſt apud Curtium lib. 5. in oratione Darii:

ut

ut nobilitate veſtra gentiſque dignos ſpiritus capiatis. Exprimitur idem in verbis Sophoniſbæ ad Maſauiſſam lib. 30: *Quid Carthaginienſi ab Romano, quid filiæ Aſdrubalis timendum ſit, vides.* Alterum enim publicum, alterum domus reſpectum & privatæ fortunæ habet. Eodem cap. 7. *Pullo amictus villo Perſeus ingreſſus eſt caſtra, nullo ſuorum alio comite, qui ſocius calamitatis miſerabiliorem eum faceret.* Hæc conjectura eſt Turnebi, prætere a ſuſpicati, *filo*, aut, *Pullo amiculo Perſeus*. Vetus liber habuit: *Pullo amictus illo Perſeus:* unde & neſcio quis fecit, *pallio*, Sigonius primo: *Pulla amictus abolla*, deinde pro gloſſemate nomen regis habens, *Pullo amictus ille ingreſſus.* Cæterum ſi omnibus aliis vincerent hæ ſuſpitiones, ſanum tamen nondum eſſe locum appareret ex eo, quod falſum eſt nullum ei fuiſſe comitem: fuit enim utique filius, ſimul deditus. Superius enim: *nec quiſquam præter Philippum, maximum natu è filiis, cum rege relictus. Tum ſe filiumq́ Octavio tradidit.* Quare ſententiam haud dubie deprehendit Lipſius, legendo: *Pullo amictus, ſimul filio Perſeus:* & ipſe non nimium adfirmare ſe de verbis fatetur. Hoc extra aleam judico, *τὸ illo* corruptum eſſe ex vocabulo, *filio.* Cæterum, quia in unico libro non ſemel verba fuere tranſpoſita, de quo & Sigonius queritur & collatio Aldinæ cum nunc vulgatis nos dubitare prohibet, auſim conjicere: *Pullo amictus Perſeus ingreſſus eſt caſtra, filio, nullo ſuorum alio, comite, qui ſocius calamitatis miſerabiliorem eum faceret.*

Cap. 9. *Qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur*] Itane dubium eſt aut longe arceſſendum: *qua terrarum ultimos fines Rubrum mare amplectitur?* Mihi quidem non, Eclecticis

non

non tam judicio quam jejunitate ubique hærentibus (non enim præceps ſemper & præfidens, ſed & diffidens quædam , utque ſe diſſimulet, immani cum faſtu diffidentiam dictans immiſſiſſimoque ſupercilio aliorum ſupercilium traducens inſcitia eſt) quid videatur, non curo. Lib. 38. *imperium populi Romani propagaverit in ultimos terrarum fines.* Lib. 36. *Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum oceano fines terminemus , qui orbem terrarum amplexu finit.* Cave ex hoc putes defendendum vulgatum, quaſi rubrum mare per appoſitionem *terrarum ultimus finis* dicatur, etſi poſſit alibi belle dici.

Cap. 10. *Sed penes paucos concitatores vulgi eſſe dixit*] Eſt imprudentium correctorum: nam vetus liber habuit , ut eſt in Aldina: *concitores*, quod jam non ſemel noſtro reſtituimus.

Cap. 11. *Vt quum velit , rurſus exercitum induceret*] Latinum eſt , *vellet* : neque enim in ullius alterius perſona hæc dicuntur; ipſe hiſtoricus narrat.

Cap. 13. *Et Popillius & ea legatio*] Neque difficile eſt videre ſcribendum: *Vt Popillius & ea legatio , qua miſſa ad Antiochum erat , Romam rediit , retulit controverſias inter reges ſublatas eſſe.* Dictum autem, *Popillius & ea legatio*, ut notavimus ſuperius: *Virginius & tribuni , Syphax & captivi :* nam Popillius erat caput legationis. Inferius: *quot pedites equiteſque , quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater ſuus in Macedoniam miſit.* Dictanti Priſciano parendum ſcribendumque : *miſiſſet.*

Cap. 16. *Et ſtatum alium ejus regni compoſuiſſent*] Immo , *eorum regnorum :* nam de duobus, Macedonico & Illyrio loquitur. Ibidem mendum typographicum ex Gruteri ultima tranſlatum

tum

tum corrige: *Et Clariæ in publico agro M. Valerius:* nam Aldina & aliæ recte: *Et Calatiæ.*

Cap. 17. *Sortiti ſunt. M. Iunio Piſæ obvenerunt*] Poteſt tolerari. Frequentius tamen Livius ad hunc modum: *Sortitis M. Iunio Piſæ obvenerunt* &c. *Q. Ælio Gallia.*

Cap. 19. *Aggreſſus tempeſtivis temporibus*] Auſonius quidem in ludo ſeptem ſapientum: *Sed* καιρὸς *iſte tempeſtivum tempus eſt.* Tu tamen ſcribe: *aggreſſus tempeſtivis ſermonibus rem prope prolapſam, reſtituit.* Statius noſter lib. 2. Thebaid. *& oſcula mœſtis Tempeſtiva genis poſuit.* Ibidem nihil dubitantes ſcribimus: *Quid attinere vim adferri rei ſua ſponte mox ad eum adventuræ?* non *attineret.* Lib. 37. *Sin autem manendum ibi nihilominus ſit, quid attinere claudi portam?* Habes alia duo exempla notata ad lib. 1, 50. Inferius: *an exſulem illa ætate, illa corporis infirmitate, an ultimum mori juſſurum?* Livii fuit: *ad ultimum.* Eo ſenſu quo ſummus poëta: *mori me denique cogis.* Lib. 26. *oratum, ſi qua miſericordia tandem flecti poſſent, ne ſe ad ultimum perditum irent.* Lib. 42. *quum experienda omnia ad ultimum, nec prætermittendam ſpem ullam cenſuiſſet.* Lib. 44. *egregie ad ultimum in audacter commiſſo perſeveravit.* Lib. 40, 42. *quum plures jam tribus intro vocatæ dicto eſſe audientem pontifici duumvirum juberent, mulctamque remitti, ſi magiſtratu ſe abdicaſſet, ultimum de cœlo, quod comitia turbaret, intervenit.* Quum Glareano ſuſpectum illud *ultimum*, faciliuſque intellectu, ſi vel *fulmen* vel *monſtrum* vel *portentum* legeretur, viſum eſſet, is portenta loqui viſus Sigonio, qui *vitium* ſubſtituit. Nos veteris libri ſcripturam tenemus, ut *ultimum*, ſit idem quod *ad ultimum*, quemadmodum *ſummum* pro *ad ſummum.*

mum. Senſus eſt, eum finem fuiſſe comitiorum jam cœptorum, ut interveniente de cœlo, aliquo ſcilicet vitio (nam ea vox intelligitur) tollerentur & irrita eſſent.

Cap. 20. *Petiturum crediderant, curia exceſſit*] Et hic malè curioſi fuerunt recentiores. Nam ſcriptus, ſequente Aldo: *curiam exceſſit.* Vt *excedere ordinem*, *excedere urbem*, de quibus ſuperius. Sic Tacitus 11. annal. *ſecum quiſque de ſe conſultaret, peteretque exeundi ordinis jus.* Quidni dicatur *exeundus ordo*, quum Latinum ſit *exire ordinem?* ut eidem alibi, *exire lubricum juventa.* Virgilius 5. Æneid. *Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.* Statius 5. Thebaidos: *immodice venientem eludit & exit.*

Cap. 21. *Animadverſis vitiis legis ex ratione diſſuadentium*] Potius *oratione.*

Cap. 22. *Ad deos veſtros dona ferentes veniebamus*] Verbum *veniebamus* non fuit in ſcripto, neque eſt in Aldina. Sigonius: ſi quis rectè attendet, legendum intelliget: *dona ferentes veniebamus*: nam ſequitur *ἀπόδοτε* &c. Immo ſi quis rectè attendet, non opus eſſe hoc centone intelliget, ſed verbum ex *ἀποδόσει*, quæ ſequitur, ad membrum prius, & quidem bis, ſubaudiendum, eleganterque ſubaudiri: *quum Romam veniſſemus, ex publico hoſpitio in curiam gratulatum vobis, P. C. ex curia in Capitolium ad deos veſtros dona ferentes; nunc ex ſordido diverſorio vix mercede recepti, ac prope hoſtium more extra urbem manere juſſi, in hoc ſqualore venimus in curiam Romanam Rhodii.* Omnino ante & poſt poſitum medio loco intelligit verbum, nempe *venire ſoliti*, aut *veniebamus.* Quod etiam eo reticet, quod, ut eſt apud Comicum, miſerum eſt referre quod fuit. Neque ſtatim opus erat facere, *ut audivimus*, pro

eo,

eo, quod in veteri fuit, *ut audimus*: quaſi præſens non poſſet accipi, niſi de illo momento, quo perorabat: & non ſit ἰδιωτισμὸς vulgarium quoque linguarum, *audio*, pro audivi, cognovi. Cicero pro Roſcio Amer. *quorum alterum ſedere in accuſatorum ſubſelliis video, alterum tria hujuſce prædia poſſidere audio.* Petronius: *Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere.*

Cap. 23. *Seceſſiſſe aliquando à vobis plebem, nec in poteſtate veſtra rempublicam fuiſſe*] Sigonius malit; *nec in poteſtate veſtra populum Romanum fuiſſe.* nam ſi plebes, inquit, ſeceſſit, certe in poteſtate Patrum non fuit; quo minus autem reſpublica in eorum poteſtate eſſet, nullo impedimento fuit. Equidem ſcire velim, in quo rempublicam ponat, utrum in tectis & mœnibus vacuis, an in hominibus? Et licet uti verbis Othonis lib. 2. hiſtor. Taciti: *Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus & tectis & congeſtu lapidum ſtare creditis?* Noſter lib. 24. *quum in eorum, ad quos venerint manu res Syracuſana eſſet, tum reverterentur.* Lib. 39. *defectionis auctores, quorum in manu reſpublica erat.* Et alibi.

Cap. 24. *Voluntatis noſtræ tacite velut litem æſtimari*] Elegantiſſime: ſed ambigo, ſitne Latinius: *Voluntati noſtræ.* Cicero lib. 1. in Verrem: *his nominibus ſolis Cnæo Dolabellæ ſeſtertium ad tricies litem eſſe æſtimatam.* Et mox; *de litibus æſtimatis Cnæo Dolabellæ prætori.* Lib. 5. in Verrem: *qua in civitate C. Catoni, conſulari viro, conſulari homini ſeſtertium octodecim millibus lis æſtimata ſit.* Pro Cluentio: *Hic profertur id, quod judicium appellari non oportet, P. Septimio Scævulæ eo nomine litem æſtimatam.* Et ibidem: *quibus de pecuniis repetundis lites eſſent æſtimatæ.* Pro

Rabirio: *Sunt lites æſtimatæ A. Gabinio, nec prædes dati.* Sed tamen lib. 4. in Verr. *qui majorem ſumtum, quam quanti Catonis lis æſtimata eſt, in Timarchidis prandium ſæpe fecerunt.* Vbi P. Manutius mavult *Catoni.* Cornelius Nepos Timotheo: *Hoc judicio damnatur Timotheus, liſque ejus æſtimatur centum talentis.* Vellejus Paterculus lib. 2. de eodem Catone: *quum lis ejus octodecim millibus æſtimaretur.* Scaliger: *quum lis ei HS.* Certe non ignorabat Scaliger, octodecim vel tot millia contracte dici pro octodecim vel tot millibus ſeſtertium nummum, ſed diſplicebat illi phraſis: *lis ejus æſtimaretur.* Sed maxime videtur defendere Cicero lib. 5. in Verrem: *non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam domum, ſed ex tua calamitate cineri atque oſſibus filii ſui ſolatium vult aliquod reportare.* Ibidem male mutaverunt veteris codicis ſcripturam: *neque moribus neque legibus ullius civitatis, ita comparatum eſſe, ut ſi quis vellet inimicum perire, ut ſi nihil fecerit quo id fiat, capitis damnetur.* Deleverunt poſterius, *Vt*, nolente Livio, cujus in hac repetitione morem dudum exemplis probavimus. Immo & fuiſſe puto: *ut is ſi nihil fecerit.* In fine: *eſt tamen & noſtrum aliquod de nobis judicium, quod nunquam judicavimus nos veſtros hoſtes, nec quidquam hoſtile, etiamſi omnia patiemur, facimus.* Lege: *quo nunquam judicabimus.*

Cap. 25. *Quæque agerentur ſciret, certioreſque ſuos faceret*] Videtur legendum, inquit, Sigonius, *quæ, quæ agerentur, ſciret:* atque alterum, *quæ*, eſſe incuria prætermiſſum. Hæc quidem mera balbuties eſt. Scribe: *partem cum Aſtymede Romæ ſubſiſtere, qui quæ agerentur, ſcirent, certioreſque ſuos facerent.* Retulit ad legatos: nam pars lega-

legationis nihil aliud ſunt quam legati quidam. Id durius viſum librariis,& numerum mutarunt. Vide ad lib. 44, 10.

Cap. 26. *Simili pertinacia Cephalonis principis*] Meminit quidem alicubi *Cephalonis* Polybius,qui familiaris Arati ex ore morientis exceperat verba nota regiam amicitiam deteſtantia. Sed hunc Moloſſum Polybii & Diodori excerpta *Cephalum* appellant. Ille: Μετέῤῥιψαν πρὸς Περσέα τὸ τῶν Μολοσσῶν ἔθνος Ἀντίνους καὶ Θεόδοτος καὶ Κέφαλος. Vbi & ſocios eoſdem ejus nominari vides. Immo Livius ipſe ſic lib. 43. *quum à Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione à Romanis præſtarent.*

Cap. 27. *Ad ſpectaculum Euripi * ævoque ante inſulæ*] Tolle aſteriſcum & ſcribe: *Chalcidem ad ſpectaculum Euripi Eubœæque inſulæ ponte continenti junctæ deſcendit.* Plinius lib. 4, 2. *Eubœa & ipſa avulſa Bœotiæ, & à modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur.* Hinc Statius: *ſic Chalcida fluctus Expellunt reſlui.* Adde noſtrum lib. 28, 7.

Cap. 28. *Arx inter omnia in immanem altitudinem edita*] Poſſis tolerare. Cogita tamen an non ſcripſerit Livius: *arx intra mœnia in immanem.* Strabo lib. 8. Ἡ δὲ Μεσσηνίων πόλις ἔοικε Κορίνθῳ· ὑπέρκειται γὰρ τῆς πόλεως ἑκατέρας ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τείχει κοινῷ περιειλημμένον, ὥστ' ἀκροπόλει χρῆσθαι· τὸ μὲν καλούμενον Ἰθώμη, τὸ Ἀκροκόρινθος. Eodem: συμπεριείληπτο δὲ τῷ περιβόλῳ τούτῳ καὶ τὸ ὄρος αὐτὸ ὁ Ἀκροκόρινθος, ᾗ δυνατὸν ἦν τειχισμὸν δέξασθαι. Inferius: *quod Perſea tam procul à ſe vagari per provinciam paſſus eſt.* Lege: *paſſus eſſet.*

Cap. 29. *Additis Pæonis, qui prope Axium*]

Scribe: *Pæonibus*. Habes autem hic iterum Stobos *Pæonia*, non *Pelagonia*, ut voluit Glareanus, & contra mss. in contextum receptum eſt. Sic & lib. 39. *Pæonia ea regio eſt prope Erigonum fluvium, qui ex Illyrico per Pæoniam fluens in Axium amnem editur. Haud procul Stobis, veteri urbe.* Ibidem mendum eſt typographicum è Gruteriana profluens: *pecuniam confici*: nam Aldina & cæteræ: *pecuniam conferri*.

Cap. 30. *Ita videri lacerata, tanquam animalia*] Putes mendoſum aut aliqua parte defectum: non eſt: nam verbum *lacerata* ex ſequenti membro intelligi vult τὸ *Macedonia* eo exemplo, de quo ad lib. 30, 7. Sic lib. 42, 62. *Per eos dies conſilium habenti de ſumma, quam jam conſediſſet ferocia ab re bene geſta.* Hic enim ad τὸ *ſumma* ex proximo intelligis τὸ *re*: eſtque *ſumma res* nihil aliud quam ſumma rerum. Ne vocem illam excidiſſe putes. Ita & hoc libro in concione M. Servilii: *Quod ſi in curru, ſcandentes Capitolium, auratos purpuratoſque ex inferiore loco L. Paullus in turba togatorum unus privatus interroget: L. Anici, Cn. Octavi, utrum vos dignores triumpho eſſe, an me, cenſetis?* Ad illa, *ſcandentes, auratos purpuratoſque*, intelligis, *A. Anicium Cn. Octavium.*

Cap. 33. *Precatus Martem, Minervamque Luamque matrem*] Veriſſime ſic Turnebus: & firmat ſatis auctor lib. 8. *Armorum vis magna tum inter cæſa corpora hoſtium tum in caſtris inventa eſt: ea Luæ matri dare ſe conſul dixit.* Laudat & Lipſius ad xv. annalem Taciti. Eſt tamen, ut ſunt multa curva ingenia vero adſentiri neſcia, qui regerit *Lunam matrem*, & nobis Lunam bellorum præſidem facit. Vnde tanta myſteria? quia apud Livium eſt lib. 4. *nocte itinera fieri jubet,* &

& pernox erat luna. Quod perinde eſt ac ſi, quia Tacitus: *& parando interim bello ſecundum tutumque ipſum mare:* colligam, Neptunum aut Amphitriten, aut Protea, habitos bellorum præſides. Ejuſdem farinæ ſunt cætera: quia Sulpitius Gallus exercitui in Macedonia defecturam prædixit, idque quia naturali ordine & ſtatis temporibus fiat, in prodigium trahi vetuit: quia ſeditioſus apud Tacitum miles defectionem ſideris, rationis ignarus, omen præſentium accipiebat: quia Virgilius ait Trojam captam luna ſilente: ſatis indigna, nedum ut paginas impleant, ut refutari mereantur.

Cap. 34. *Inter opulentos reges Antiochum Ptolomæumque*] Cur reſecuerunt particulam, quæ auctior ex veteri libro Aldina: *inter tam opulentos reges.*

Cap. 36. *Et privatis lege dicendi locus eſſet adſuadendum, ut in re*] Recte Sigonius hic, ſed tamen relinquit mendum, nec totum perſanat. Scribendum eſt: *& privatis de lege dicendi locus eſſet, nec adſuadendum, ut in re minime dubia, quiſquam procederet.* Dabatur *locus dicendi de lege*, quum ea propoſita & promulgata per magiſtratus ferentes privatis copia fiebat prodeundi in medium, populumque vel accipiendæ ejus vel antiquandæ rationes edocendi. Inferius: *obnoxios imperatores tradi licentiæ atque avaritiæ militari: in uno nimis ſe per ambitionem peccare. Quid ſi domini milites imperatoribus imponantur?* Egregius locus, ſed adhuc corruptus. Scribe: *ultro nimis ſæpe per ambitionem peccari: quid ſi domini milites imperatoribus imponantur?* Vel ſi mavis, retine *peccare*, ut intelligas imperatores. Senſus eſt ultro ſuaque ſponte & præter neceſſitatem peccare imperatores ſatis frequenter diſciplinam am-

bitionis cauſſa remittendo: quid, ſi metu cogantur, futurum? *Ambitio* nihil eſt aliud quam intempeſtiva captatio gratiæ ac favoris, plerumque tam efficax, ut ejus ergo jus & officium migremus. Sic lib. 3. *& ultro querente pauca petitore, quod jus ſibi pridie per ambitionem dictum non eſſet.* Lib. 5. *ſenatui nec factum placebat Fabiorum, & jus poſtulare barbari videbantur. ſed ne id, quod placebat, decerneret in tantæ nobilitatis viris, ambitio obſtabat.* Lib. 29. *nec tam Q. Pleminii ſcelus, quam Scipionis in eo aut ambitio aut negligentia iras hominum irritavit.* Salluſtius de Mario ſcribente milites capite cenſos pleroſque: *id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem conſulis memorabant.* Sic & *ambitioſe facere* dicimur, quæ facimus præter decorum fere demerendi alicujus cauſſa; quum ſtudemus plus & ſupra quam oportet & in quibus nec oportet, ut gratiam ineamus. Cicero 5. famil. *præſertim cum in iſto genere multo etiam ambitioſius facere ſoleam, quam honos meus & dignitas poſtulat.* Salluſtius: *neque facto ullo neque dicto abſtinere, quod modo ambitioſum foret.* Ita frequenter accipitur & in libris juris, neque fugit Budæum & Cujacium. Sed. elegans Fornerius dum illis addere aliquid cupit, nimium dicit. l. 5. C. de commer. & merc. volunt Auguſti *ceſſante omni ambitione* manere quingentorum ſexaginta trium collegiatorũ numerum. hoc eſt, ne in favorem aut gratiam ullius augeatur, minuaturve, neve in locum defunctorum ex alio, quam illi fuerant, corpore ſubrogentur, ut ipſi ſe ibidem explicãt. l. 3. C. de exſecut. rei judicatæ: *res ſubhaſtatas ex compacto, ſive ambitione diverſæ partis emtorẽ invenire potuiſſe.* quod eſt, quia reus ita omniũ, qui eam rem agere debebant, aucupatus ſit & occupaverit gratiam, ut damno ejus

ejus lucrari noluerint. Fornerius ait *ambitionem* eſſe falſæ cauſæ allegationem & prætextum. Sane iis, quæ per ambitionem fiunt, callidi homines alia & falſa prætextunt: non tamen *ambitio* eſt prætextus. Id maxime putat evinci è collatione l. 1. & 3. C. Si tutor vel curator falſ. alleg. excuſ. Priore dicitur: *ſi non competentibus allegationibus liberati eſſe à munere juſſi ſunt:* poſteriore: *ſi ambitione potius quam juris ratione ſe excuſaverit.* Hæc vero non ſunt idem, ſed illud generaliter dictum, hoc unam ſpeciem continet. Sic & *ambitioſe remiſſum* l. 12. C. de tranſact. eſt, in quo poſthabito publicæ rei commodo aut jure privatam gratiam quæſitam appareat. Et *ambitioſa decreta*, quibus ut gratificareris nonnemini, à jure deceſſum ſit, l. 3, princ. ff. de minorib. l. 4, de decret. ab ord. fac. l. 2. C. de decret. decurionum. Quid aliud ſunt, inquit, quam gratioſa? Recte hoc: ſed cur ſubjicit: quam quæ cauſſa vacant & colore quæſito conflata ſunt. Nam hoc generale nimis, nec explicatur voce *ambitioſa.* Quid enim? ſi privato & proprio odio in quemquam decernatur? an non id quoque cauſſa vacat & colore quæſito conflatur? Nec tamen erit *ambitioſum:* quia non gratia ſic captatur, ſed intempeſtiva & incivilis vindicta exercetur. Perperam & Ovidii interpretatur lib. 3. de Ponto. *Pro noſtris ut ſis ambitioſa malis.* Vt mendax mei ſolandi ſublevandique cauſſa eſſe non vereare. Cur enim mendax? Immo ſimpliciter eſt, ut pro me ambias, roges, depreceris: ambitioſis, hoc eſt, illis, quæ gratiam mereri poſſint, precibus utare. Nam & *ambitioſas preces* dixit Tacitus lib. 2. hiſtoriarum.

Cap. 37. *Poſtero die quam triumphatum eſt*] Scribe: *eſſet.* Ibidem: *cui crimen nullum probrum*

dicere poterat, ejus obtrectare laudes voluit. Repetenda vox eſt: *cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat.* Nec longe: *quum ipſe imperator & exactor circumires.* Immo: *circumiret.* Salluſtius de Metello: *vigilias crebras ponere, & eas ipſe cum legatis circuire.*

Cap. 39. *Et principia exorſi ab diis ſunt & finem * eum ſtatuerunt*] Amove aſteriſcum: locus eſt ſanus integerque. *Finem* ſtatuerunt rerum gerendarum *eum*, nempe deos, mentionem & venerationem deorum. Ibidem Turnebus: *quas traducendas in triumphum dicavit.* Nec tamen video, cur *in triumpho* non poſſit retineri. Mox lege: *citra flumen relinquentur.* non *circa.* Tiberim intellige. Deinde *: At tu, centurio, miles, quid de imperatore Paullo ſenatus decrerit, potius, quam quid Servius Galba fabuletur, audi: & hoc dicentem me potius quam illum audi. Ille nihil praterquam loqui, & id ipſum maledice ac maligne, didicit.* Sic alibi *decreſſe*, & apud Ciceronem, *decrero.* Ex Aldina eſt, *& id ipſum.*

Cap. 40. *Quæ haud dubie major aliquanto ſumma*] Lege: *qua haud dubie major.* Deinde *tantundem pediti daturum fuiſſe credunt.* non *tantum.*

Cap. 41. *Funere filii curru ex Capitolio*] Scribe cum Turnebo: *ab alterius funere filii in currum, ex Capitolio ad alterum prope jam exſpirantem veni.* Nam & vetus liber *currum.* Illud eſt ab Sigonio.

Cap. 42. *Naves regiæ captæ de Macedonibus inuſitatæ ante magnitudinis*] Videtur & hic fuiſſe, *inviſitatæ*, quo gaudet alibi Livius.

Cap. 44. *Munera ſibi ipſum emiſſe*] Quid eſt *emere munera?* aut quam dignum magnificentia

centia populi Romani, ut quæ dono daret regi, pro illis pretium acciperet? Scribe: *munera ſibi ipſum renuiſſe, filium juſſiſſe donum populi Romani accipere.*

AD

LIBRORVM PERDITORVM EPITOMAS.

LIB. 46. *Marcellus conſul Alpinos Gallos*] Barberin. membr. *Marcellus conſul Ciſalpinos Gallos.* Inferius: *clam, quia minime dimittebatur à Romanis, interemit.* Videtur excidiſſe vox: *elapſus, interemit.* Quod non dico, quaſi inſeri eam vocem contextui velim, ſed ut lacuna agnoſcatur, & eos, quibus ſcriptorum codicum copia eſt, hic reddam attentos. Hiſtoriam habes apud Polybium. Prope finem eſt in membranis: *ut quum ex Hiſpania & Macedonia immenſas opes ac ſpolia retuliſſet, vix ex auctione ejus redactum ſit, unde dos uxori ejus ſolveretur.*

Lib. 47. *Sacrorumque magiſtratuum jus potentius fuit*] Sic quidem Sigonius ex vetere libro, quum antea legeretur: *ſacrorum quoque magiſtratuum.* Non video, quid inter hanc aut illam lectionem interſit. Nemo enim pontificatum dixit *magiſtratum ſacrum.* Habes ſimilem contentionem lib. 37. 51. *Certamen,* inquit, *inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Poſtumium Albinum fuerat.* Deinde: *Religio ad poſtremum vicit: dicto audiens eſſe flamen pontifici, juſſus, & multa*

multta ex juſſu populi remiſſa. Aut ergo ex priore lectione faciendum: *ſacrorumque quam magiſtratuum jus potentius fuit:* aut potius ex ſcripta duabus literis deletis: *ſacrorumque magiſtratu jus potentius fuit.* Huc etiam magis inclino. Neque mihi objiciat quiſquam oppoſitionem non bellam eſſe inter jus ſacrorum & magiſtratum, ſed potius inter jus ſacrorum & jus magiſtratuum: nam & ſic amant vertere orationem veteres. Lib. 34. *quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarant, ut loca ſenatoria ſecernerent à populo.* Non ait, *à locis.* Quintilianus lib. 12. Inſtit. 7. *ut accuſatoriam vitam vivere & ad deferendos reos præmio duci proximum latrocinio eſt: ita peſtem inteſtinam propulſare cum propugnatoribus patriæ comparandum.* Hoc maluit quam *propugnatione.* Iuſtinus lib. 4, 3. de Himerenſibus in Rheginorum auxilium vocatis, perfideque & crudeliter ſe gerentibus: *auſi facinus nulli tyranno comparandum.* Vbi ergo non ſequimur duos ex amicis noſtris, viros doctiſſimos, quorum alter, *nulli tyrannorum patrandum*, alter, *nulli tyranni comparandum.* Iuvat & quod apud noſtrum eſt lib. 7. *Cujus populi ea cujuſque gentis claſſis fuerit, nihil certi eſt: maxime Siciliæ fuiſſe tyrannos crediderim.* Simplicius foret, *tyrannorum*: ſed illud auctori placuiſſe non ambigo.

Lib. 48. *Maximus Numidarum exercitus Archobarzane duce*] Ms. *ingens Numidarum exercitus Ariobarzane duce.* Mox: *Carthaginienſibus, qui exercitum, ſpecie contra Maſaniſſam regem, ſed revera contra Romanos accitum.* In eodem ſcripto erat: *Carthaginienſibus, cum Ariobarzanem contra Maſiniſſam regem contra Romanos.* Quæ partim defecta, partim ſinceriora vulgatis ſunt: ex utriſque hanc veriorem lectionem da-

mus:

mus: *Quum in finibus Carthaginienſium ingens Numidarum exercitus, Ariobarzane duce, Syphacis nepote, diceretur eſſe; M. Porcius Cato ſuaſit, ut Carthaginienſibus, cum Ariobarzanem, ſpecie contra Maſiniſſam regem, revera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur.* Particula *quod* haud dubie eſt interpretatio τοῦ *cum*, intruſa hic perinde ut lib. 39, 12. *Iam id ipſum conſul laudare, cum initiatam ſe non inficiaretur:* ubi vulgatis, *quod initiatum*, Moguntini codicis erratum, Aldus inſevit libris. Ibidem: *ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit.* Ms. *expedierit.* Parum intereſt. Libro ſequente: *à Scipione expliciti ſunt.* Inferius: *in reliquum funus ne plus quam æris denos conſumerent.* Ms. *ne plus deunce conſumerent.* Videtur nimis parum, quamvis & illud ſatis reciſum ſit: niſi velimus dicere, ita ſignificatum ab Æmilio, nullum omnino ſumtum velle ſe in funus fieri: quemadmodum quæ donabant ſic, ut vendita videri vellent, *ſeſtertio nummo* addicebant. Poſſet alias legi: *ne plus decuſſe conſumerent.* Rurſus ibidem: *nobiles fœminæ, quæ viros ſuos necaſſe inſimulabantur.* Ms. *quæ viros ſuos ſingulares necaſſe.* An *conſulares?* nam idem codex lib. 2. ubi vulgo & recte: *Sp. Caſſius conſularis:* habet, *Sp. Caſſius vir ſingularis.* Præter hæc: *L. Lucullus conſul, quum Claudius Marcellus, cui ſucceſſerat, pacaſſe omnes Celtiberiæ populos videretur, Vaccæos.* Sic de conjectura Sigonii receptum eſt, quum antea legeretur: *cui Claudius Marcellus ſucceſſerat:* conſtet autem Lucullum ſucceſſiſſe Claudio, quem tertium cum L. Valerio Flacco conſulem, ille A. Poſtumio Albino collega, duobus deinceps annis, ſecutus eſt. Quæ utilis obſervatio nondum tamen perſanat locum: quippe inmem-

membranaceo ſequentia longe aliter concipiuntur: *ſucceſſerat, cum laceſſere omnes Celtiberiæ populi viderentur.* Quæ mihi lectio multo magis arridet, etſi altera ſuſpicaci homini videri poſſit ſignificare nonnihil, quod Appianus tradit Vaccæos pacatos contra fidem datam & abſque S.C. Lucullum adortum. Tamen, ut dixi, verum puto: *L. Lucullus conſul, qui Claudio Marcello ſucceſſerat, cum laceſſere omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccæos, Cantabros, & alias incognitas adhuc nationes in Hiſpania ſubegit.* Statim: *Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Pauli filius, Africani nepos, ſed adoptivus.* Tolle illud *Africanus*, quod ſciolus quiſpiam loco dupliciter non ſuo ingeſſit: nam nec tum id ei erat cognomen, ſed ſolus ita dicebatur avus, poſt appellatus *Africanus major;* & ſi fuiſſet, dicendum erat *P. Cornelius Scipio Africanus*, ut nec dicimus *Q. Cæcilius Macedonius Metellus*, & ſimilia.

Lib. 49. *Obſidibus & armis omnibus inſtrumentiſque belli*] Membranæ: *& armis omnibuſque inſtrumentis publicis.* Forte, *bellicis.* Mox: *à Scipione Africano expliciti ſunt.* Iterum delendum τὸ *Africano.* Inferius reſtitue veterem lectionem, quam male mutavit Sigonius: *Luſitanos propter ſeſe caſtra habentes.* Quid enim evidentius, quam quod ille ex vetere libro protulit, *prope ſe* eſſe alterius interpretationem? Cicero: *duo filii propter patrem cubantes.* Noſter lib. 9. *caſtra propter aquam vallo circumdant.* Et quis non? Pariter mox: *ut in belli caſus, quod ille cum Romanis ageret.* Cui haud dubie gloſſema ſufficitur, *gereret.* Vide Obſervationes, & ad lib. 28, 46. Nec ſecus mox: *quum propè ultimum vitæ finem eſſet.* Ubi inſeruit: *prope ad ultimum.* Sic lib. 2, 48. *nec proxime formam latrocinii venerat;* refingit, *proxime*

me in formam. Et lib. 6, 42. *prope ſeceſſionem plebis res terribileſque alias minas civilium certaminium venit*: reddit, *prope ad ſeceſſionem.* Perperam omnia & ex malis libris. Tacitus lib. 3. hiſtor. *Id vero ægre tolerante milite, prope ſeditionem ventum.* Noſter lib. 26. *Ipſæ quoque Hiſpaniæ quo propius ſpem venerant.* Vide quæ ad lib. 8, 32.

Lib. 50. *Adminiſtrationem regni diviſit*] Barberinæ membr. *partes adminiſtrandi regni diviſit.* Appianus: Σκιπίων δὲ τοῖς μὲν νόθοις αὐτοῦ παισὶ προσέθηκεν ἑτέρας δωρεάς, τοῖς δὲ γνησίοις τοὺς μὲν θησαυροὺς καὶ φόρους καὶ τὸ ὄνομα τῆς βασιλείας κοινὸν ἀπέφηνε· τὰ δ᾽ ἄλλα διέκρινεν ἁρμόσειν πρὸς ὃ ἐβούλετο ἕκαστος, Μικίψῃ μὲν, ὃς πρεσβύτατος ὢν εἰρηνικώτατος ἦν ἐξαίρετον ἔχειν καὶ τὰ βασίλεια, τὰ ἐν αὐτῇ· Γελόσσῃ δὲ στρατιωτικῷ τε ὄντι, καὶ δευτέρῳ καθ᾽ ἡλικίαν, πολέμου τε καὶ εἰρήνης εἶναι κυρίῳ. Μαστανάβᾳ δὲ, ὃς νεώτατος ὢν ἤσκει δικαιοσύνην δικάζειν τοῖς ὑπηκόοις τὰ ἀμφίβολα.

Lib. 51. *Septuageſimo anno quam erat condita*] Mendum recentiorum editionum. Scribe: *ſeptingenteſimo.* Ibidem: *Scipio exemplo patris ſui Æmilii Paulli.* Lege cum membranis: *exemplo patris ſui naturalis Æmilii Paulli.* Noſter lib. 44. *P. Scipio is erat, Africanus & ipſe poſtea deleta Carthagine appellatus, naturalis conſulis Paulli,* (ſubaudi *filius* ex præcedentibus) *adoptione Africani nepos.*

Lib. 55. *Conſules duci juſſerunt*] Nimium hoc & nunquam factum. Putes firmari lib. 59. ubi refertur de C. Atinio Labeone: Metellum de ſaxo dejici juſſiſſe. De quo & Plinius lib. 7, 44. *ab C. Atinio Labeone ad Tarpejum raptus ut præcipitare-*

pitaretur. Tamen aliud eſt. Veteres editiones: *conſules in carcerem mitti juſſerunt*. Sigonius obſervat in veteri libro eſſe *duci ἀντὶ τοῦ mitti*: quod optimus Gruterus (nam ex ejus editione manavit hæc lectio) videtur accepiſſe, quaſi pro toto illo, *in carcerem mitti*, fuerit ſolum illic, *duci*. acceſſit elegantia phraſeos, quæ poteſt aliquem ſeducere. Vix enim puto in Pall. mss. ſic inveniſſe, unde alicubi ſe has epitomas auxiſſe, emendaſſe, ſuppleviſſe profitetur. Et utcumque habuerit aliquis codex, erroneum eſt. Scribendum autem: *conſules in carcerem duci juſſerunt*. Quæ phraſis uſitatiſſima Livio. Lib. 3. Virginius ad Appium bis: *in vincula te duci jubeo*. Lib. 4, 26. *ſiquidem cogi aliquid pro poteſtate ab tribuno conſules, & in vincula etiam duci poſſent*. Sic Pall. ſcripti, ſic veteres editiones: at Sigonianus *aliquando*: quod illi placet, nobis minime. Lib. 9, 34. *& niſi Æmiliæ legi parueris, in vincula duci jubebo*. Sic Pall. & Thuanææ membranæ. Vulgo: *te in vincula*: quod addiderunt, qui non viderent, ex membro præcedenti, cum ait, *Ego te, Appi*, pronomen ἀπὸ κοινοῦ repetendum eſſe. Lib. 25. *ac ni vades daret, prehendi à viatore atque in carcerem duci juſſerunt*. Parem narrationem habes in epitome lib. 48. de L. Licinio Lucullo A. Poſtumio Albino coss. ubi: *à tribunis plebis, qui pro amicis ſuis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti ſunt*. Cicero de l. agraria: *qui timeam, ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi tribunus plebis duci juſſiſſet*. Plutarchus in Mario.

Lib. 57. *Alii ſcutum parvum habiliter ferenti, ſcutum amplius*] Neque hic plures manus lectionem reddiderunt meliorem. Vetus editionum hæc fuit: *Alii nimirum parum habiliter ſcutum*

feren-

ferenti, eum ſcutum amplius juſto ferre juſſit. Sigonius de conjectura ſcribit: *Alii nimis habiliter parvum ſcutum tenenti.* Nonnullæ ex iis, quæ Gruteri nomen præferunt: *Alii ſcutum parum habiliter ferenti, eum.* Niſi tamen mendum operarum eſt, cum ultima *parvum* habeat. Poſtremæ pronomen *eum* omittendo orationem jam ante difficilem apertius fecerunt σολοικίζειν. Scribe proxime veteres apices: *Alio nimium parvum ſcutum habiliter ferente*; (id eſt, cum quidam alius ferret, vel cum alium ferentem vidiſſet) *eum ſcutum amplius juſto ferre juſſit.* Mox malim duabus tranſpoſitis vocibus: *neque ſe id reprehendere, quando melius gladio quam ſcuto uteretur.* Significat addidiſſe Scipionem: non improbare ſe alterum illud parvum ſcutum, neque veriturum eo uti militem, ſed tum quando didiciſſet agilius ſtringere gladium quam obvertere ſcutum: quando plus præſidii in gladio quam in ſcuto habiturus eſſet. Vulgata ſenſu caret, utcunque Sigonius *quando* interpretetur quandoquidem.

Lib. 59. *Filium quem ex illa habebat, in Cypro occidit*] Repone ex membranis: *filium, quem ex illa habebat, Cypri occidit.* Sic Cæſar lib. 3. de bello Civili: *Cæſar paucos dies in Aſia moratus quum audiſſet Pompejum Cypri viſum.* Noſter lib. 45. *pars Cyprum navigant.* Et ſic lib. 28, 5. *Peparethum præſidium urbi mittit.* Ne putes præpoſitionem addendam eſſe.

Lib. 64. *Qui regnum ejus populo Romano inviſi appetebat*] Ms. *affectabat.*

Lib. 67. *a Bolo rege, feroce juvene*] Valde probabiliter Freinshemius: *a Bojorige.*

Lib. 69. *Ibique legendo & audiendis magnis viris vacabat.*] Membranæ: *& audiendis magnis*

viris

viris avocabatur. Verbum proprium de illis, qui aut à ſenſu rerum adverſarum aut gravantibus alioqui negotiis animum avertunt, eique levando operam dant. Reſtituendum Senecæ lib. 2. de ira c. 21. *Mollienda itaque ſovendaque talia ingenia, & in lætitiam avocanda ſunt.* Vulgo, *evocanda*: quod alio ſenſu frequens eſſe Annæo ſcio. Reſtituendum & in Catalectis, de laudibus hortuli: *Oblectat hortus, avocat, paſcit, tenet, Animoque mœſto demit angores graves.* Sic & membrana Petaviana. Pithœi & Scaligeri editiones: *advocat.* Sic & legendum videtur apud Juſtinum lib. 37, 4. *Hieme deinde imminente, non in convivio, ſed in campo, non in avocationibus, ſed in exercitationibus.* Nam ſcripti omnes boni: *advocationibus*, ut Bongarſius edidit. Plinius in Panegyrico: *Simul cogito, quum ſint iſta ludus & avocamentum hujus, quæ quantæque ſint illæ feriæ & intentæ, à quibus ſe in tale otium recipit, voluptates.* Ibidem Freinſhemius: *quibus rebus concitato ſenatu (in cujus cauſſam & C. Marius, homo mutabilis & varii conſilii ingeniique ſemper ſecundum fortunam tranſierat) cum eum tueri minime poſſet, oppreſſus armis cum Glaucia prætore & aliis ejuſdem furoris ſociis, telo quodam interfectus eſt.* Prius valde probo: modo in parentheſin recipias & illa, *cum eum tueri minime poſſet.* Alterum ut vicinius eſt veteri lectionis *bello quodam*, quam Sigonianum, *à Rabirio quodam*; ita nihil eo melius ſuccurrit.

Lib. 70. *C. Geminius prætor contra Thraces*] Ms. *C. Septius prætor adverſus Thracas.* Recte Sigonius: *C. Sentius.*

Lib. 71. *Eorum coitus, conjurationes orationeſque in conciliis*] Ms. *eorum coitus conjurationeſque & conciones in conciliis.*

Lib.

Lib. 76. *à L. Murana & Cæcilio Pinna legatis*] Quis ſit iſte Pinna Cæcilius, nuſpiam legi. An *Cæcilio Pio?* Is eſt Q. Cæcilius Metellus Pius Numidici filius, memoratus Vellejo lib. 2. & infra epitome libri 84.

Lib. 83. *Fuſis prælio aliquot copiis Mithridatis*] Membranæ: *fuſis prælio aliquot præfectis Mithridatis.* Noſter lib. 35. *perpulere eos, ut ſecum præfectos Epicydis Polycletum & Philiſtionem & Epicydem, cui Sidoni cognomen erat, aggrederentur.* Neque igitur dubitandum de lectione ſcriptorum lib. 28, 30. *Hanno præfectus Magonis miſſus à Gadibus.* Epitome lib. 94. *Dejotarus Gallogræciæ tetrarches, præfectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidit.* Ibidem: *Sulla multis præliis Thracas cecidit.* Membr. *Sulla compluribus præliis Thracas vicit.*

Lib. 88. *Exercitu ejus ad Cluſium, ad Faventiam*] Membranæ: *exercitu ejus fuſo ad Cluſium, ad Faventiam Fidentiamque cæſo.*

Lib. 89. *Ex quibus plurima primo rapuit*] Membranæ: *ex quibus plurima præmia rapuit.* Quid ſi *præmia* interpretere prædas. Tacitus 1. annal. *Pannonicas legiones ſeditio inceſſit, nullus novis cauſis, niſi quod mutatus princeps licentiam turbarum & ex bello civili ſpem præmiorum oſtendebat.* Idem 1. hiſtor. 50. *ferox præda gloriaque exercitus, ut cui ſine labore ac periculo ditiſſimi belli victoria eveniſſet, expeditionem & aciem, præmia quàm ſtipendia malebat.* Vbi viri doctiſſimi *prælia*, alii ſenſu quidem deprehenſo *prædam* maluere. Nam *præmia* ſunt prædæ, quas ipſi ſuo arbitrio plenis manibus raperent, cum ſtipendia acciperent alieno & maligne. Nec aliter Petronius: *Egreditur ſuperbus cum præmio Aſcyltos.* Hinc *præmiari* eſt prædari Suetonio in Tito: *Su-*

ſpecta.

ſpecta & rapacitas, quod conſtabat in cognitionibus patriis nundinari præmiarique ſolitum. Et *præmiatores nocturnos* explicat prædones Nonius apud Lævium Ἀγρυπνοῦσιν.

Lib. 90. *M. Lepidus, quum acta Sullæ tentaret*] Mss. *M. Æmilius Lepidus.* Ibidem: *a Cn. Pompejo occiſus eſt. Q. Sertorius proſcriptus.* Ms. auctior: *occiſus eſt. Q. Sertorii viri bellicoſiſſimi geſta referuntur. Q. Sertorius proſcriptus, in ulteriore* &c.

Lib. 91. *Cum omni exercitu cecidit*] Ms. *cecidit atque fugavit.*

Lib. 95. *Et congregata ſervorum ergaſtulorumque multitudine*] Egregie codex idem Barberinus: *ſervitiorum.* Reſtituimns & Livio.

Lib. 102. *Fanum eorum Hieroſolymæ, inviolatum ante*] Ms. *Fanum eorum in Hieroſolyma inviolatum ante id tempus.* Eſtque verius. Sic apud Livium legati Romani Ptolemæum dicuntur *in Alexandria conveniſſe.* Cæſar: *naves in Hiſpali faciendas.*

Lib. 104. *Qui Arioviſto duce in Galliam deſcenderant*] Ms. *tranſſcenderant.* Ibidem: *Ac deinde contra Nervios unam harum civitatum cum maximo diſcrimine pugnavit.* Ms. *Ac deinde contra Nervios unius civitatis cum maximo.* Intellige homines. Mox: *donec ex ſexaginta millibus armatorum trecenti ſupereſſent, ex nonaginta quinque ſenatoribus tres tantummodo evaderent.* Variat numerus: nam in ms. eſt: *ex ſexaginta millibus armatorum ſeptem ſupereſſent, ex ſexcentis ſenatoribus tres.* At apud Cæſarem eſt lib. 2. *& in commemoranda civitatis calamitate ex ſexcentis ad tres ſenatores, ex hominum millibus ſexaginta vix ad quingentos, qui arma ferre poſſent, ſeſe redactos eſſe dixerunt.*

Lib.

Lib. 107. *Cn. Pompejus legatos à ſenatu conſul tertium*] Quid hic *legatus*? Scribe: *Cn. Pompejus Magnus.*

Lib. 118. *C. Caſari, qui primus reipublicæ arma ſumſerat*] Videtur ſcribendum: *qui privatus pro republica arma ſumſerat.* Vellejus: *Cum C. Caſar nonum decimum annum ingreſſus, mira auſus ac ſumma conſecutus, privato conſilio, majorem ſenatu pro republica animum habuit, primumque à Calatia, mox à Caſilino veteranos excivit paternos.* Tacitus: *paratum ab adoleſcente privato exercitum.*

Lib. 124. *Vt ſibi gladium adjiceret*] Immo *adigeret.*

FINIS.

ADDENDA.

PAG. 7. l. 13. *Lege Mænia lata.* Meminit ejuſdem rei Aurelius Victor de viris illuſtribus cap. 33. de Manio Curio Dentato: *Tribunus plebis Patres auctores fieri coëgit comitiis, quibus plebejus magiſtratus creabatur.* Vbi neſcio quid de curiatis comitiis Lycoſthenes ex Alexandro ab Alexandro fabulatur: quum certum ſit centuriata illa comitia fuiſſe, quæ conſulum fuerint. Atque id accidiſſe anno ab V.C. 455 ſuſpicari licet ex Livio lib. 10, quem mirum eſt eam rem tacuiſſe, quum ait cap. 11. *Eo anno (nec traditur cauſſa) interregnum initum, interreges fuere App. Claudius, dein P. Sulpitius. Is comitia conſularia habuit, creavit L. Cornelium Scipionem, Cn. Fulvium conſules.* His comitiis videtur inſita pertinacia Appius, poſtea Cæcus appellatus, reddere patriciis conſulatum tentaſſe: idque quum perficere reſiſtente Manio Curio duce plebe non poſſet, interregno abiit non peractis comitiis. Atque hoc ipſum eſt, quod idem Victor cap. ſequenti de Appio; *Ne conſulatus cum plebejis communicaretur, acerrime reſtitit.* Falluntur enim Lycoſthenes & Schottus, qui hoc referunt ad Appium Claudium Craſſum nepotem decemviri, qui anno V. C. 386. legi Liciniæ de conſulatu cum plebe communicando acerrime reſtitit: niſi eundem, qui tunc legem Liciniam diſſuaſit, anno prope nonageſimo poſt credi-

credibile eſt pacem cum Pyrrho diremiſſe. Commode autem tribunatus Curii conjicitur in hunc annum, quum octennio poſt conſul de Sammitibus, Sabinis & Lucanis triumpharit.

P. 3. lin. 5. *Scotino.* Gruterus tamen notat è tribus Pall. *Silvium*, de quo ſiluerant excerpta noſtra. Et ſerius editionem ultimam ejus cum Notis Politicis ſum nactus amici doctiſſimi viri beneficio, quum prius ejuſdem opera brevibus inde factis eclogis & per hoc parum intellectis uterer. Neque tamen illorum codicum auctoritate moveor ob conſtantiſſimum & perpetuum Livii morem.

P. 20. poſt lin. 3. Cap. 57. *Primis ſe intendentibus tenebris*] Virgilius, Georg. *& obtenta denſentur nocte tenebræ.* Curtius lib. 4. *cum ſubito ſpiſſæ nubes intendere ſe cœlo, & quidquid lucis internitebat, offuſa caligine exſtinctum eſt.* Ita lego: non *effuſa*. Tacitus 3. hiſtor. *tantum fœdarum volucrum ſupervolitavit, ut nube atra diem obtenderent.* Ideo amictus noctis, vela, peplum imaginantur Poëtæ. Euripides Ione: Μελάμπεπλος δ' νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς ὄχημ' ἔπαλλεν. Nonnus 2. Διονυσ. Ὑψιτενὴς ἅτε κῶνος ἐς ἀέρα σιγαλέη νὺξ Οὐρανὸν ἀστερόεντα διεχλαίνωσε χίτωνι. Et Muſæus: κυανόπεπλον ἐπιτρώσκουσιν ὀμίχλην. Itaque conſtanter libri veteres. Vir doctiſſimus ad Ammianum conjicit: *primis incedentibus tenebris.*

Pag. 30. l. 19. vulgatum. Auctor de bello Alexandrino: *nobis rem committe. nos prælium ſuſtinebimus, neque judicium tuum fallemus.* Et iterum: *ne ſuam atque omnium falleret opinionem, quorum judicio delectus ad pugnam proficiſceretur.*

P. 31. poſt lin. 18. Cap. 54. *Mirari primo*

quod

quod non deſcenderet tribunus] Pal. unus ex melioribus: *quid non*: alter, *qui non deſcenderet.* Et hæc vera lectio eſt. Sic lib. 26, 3. reſtituimus: *Qui autem ſolum ſe reſtantem prodeſſe reipublicæ, niſi ſi mors ſua remedio publicis cladibus futura eſſet, potuiſſe?* Lib. 30. *Qui enim reſtitiſſent agili & nautico inſtrumento apta & armata claſſi naves tormenta machinaſque portantes.*

P. 32. lin. 10. ex pravo libro, *ingenti.* Ibidem: *Quandoquidem non tam facile loquor, inquit, Quirites, quam quod locutus ſum præſto.* In Mſſ. eſt: *Quandoquidem non facile loquor*: particula defecta. Non fecerunt melius qui addiderunt. Lib. 25, 15. *quem facile elici ad certamen temere ineundum rebantur poſſe, non militum, quos perpaucos habebat, fiducia, quam juventutis Thurinæ.* Sic Putean. & optimi. Vulgo: *non tam militum.* Adde quæ ad lib. 26, 18, & 31. immo & ad lib. 5, 21. 25, 29. 28, 44. 30, 28. Inferius hoc &c.

P. 36. Poſt lin. 5. Cap. 11. *Sed virium ſpe & manu obtinendum*] Reſtitue, quod abolevit Rhenanus: *ſed virium ſpe, ſed manu obtinendum erat.* Sic reddidimus lib. 24, 14. *libertatis auctorem eis non ſe fore ſolum, ſed conſulem M. Marcellum, ſed univerſos Patres, quos conſultos ab ſe de libertate eorum ſibi permiſiſſe.* Ibidem: *Multum & conſules* &c.

P. 41. l. 23. Dele: Sed & ſtatim principio: & quæ ſequuntur uſque ad τὸ *ferrent.* nam nihil eſt mutandum.

P. 46. Poſt lin. 18. Cap. 41. *Non erit melius, inquit, niſi de quo*] Abruptum eſt comminationis genus, quo ſignificatur pejus illi fore, qui extra id, de quo conſulebantur, vocem miſiſſet. Quare non dubitem ergo falli Sigonium, non dubi-

dubitantem legendum contra ſcriptos: *Næ erit melius*: & hinc inſultantem Glareano. Eadem locutio eſt lib. 39, 54. *quique protinus eant trans Alpes & denuntient Gallicis populis, multitudinem ſuam domi contineant, Alpes prope inexſuperabilem finem in medio eſſe. Non utique iis melius fore, qui eas primi pervias fecissent.* Æque hoc abruptum: intelligitur autem: ſi qui contra hanc denuntiationem tranſierint, illis fore utique non melius iis qui eas primi pervias feciſſent. Sigonius mancam, ut ait, ſententiam explevit particula *quam*: quaſi non abſque ea τὸ *iis* ſit caſus rectus à comparativo.

P. 46. *l.* 19. Totam obſervationem ad cap. 42. dele, aut, ſi mavis, ita muta: Si τὰ *perſecutis hoſtibus*, auferendi caſu accipias, melius erit *certamini*. Vt infra: *ſi rem extemplo fortunæ commiſiſſet*. Et lib. 10. *in æquum adſcendunt, ac fortunæ ſe majore animo quam ſpe committunt*. Sed elegantius eſt, ut dandi caſu accipiantur ſine diſtinctione, & maneat verus lectio. Sic lib. 27. *haud dubia ſpe, ſi duobus exercitibus conſularibus junctis commiſiſſet ſeſe hoſtis, debellari poſſe*. Lib. 7. *ſegnitia Græcorum non committentium ſe in aciem*. Cicero pro Cluentio: *Poſt illam fugam & ſceleris & conſcientiæ teſtem nunquam ſe judiciis, nunquam legibus, nunquam inermem inimicis committere auſus eſt.*

Pag. 62. l. 5. *Crura*. Cæſar lib. 4. de Gall. *quæ ſunt apud eos nata* (jumenta) *prava atque deformia, hac quotidiana exercitatione ſummi ut ſint laboris efficiunt*. Tacitus lib. 4. hiſtor. de illo manu ægro, quem ſanaſſe fertur Veſpaſianus: *illi elapſos in pravum artus*.

Pap. 63. l. 17. *prava*. Sed & iterum Livius lib. 10. *plures abeunti Volumnio obſiſtere atque obte-*

obteſtari, ne pravo cum collega certamine rempublicam prodat.

P. eadem lin. 27. *inter ipſos.* Etſi probaverimus ſatis ſententiam noſtram, non poſſum tamen omittere argumentum inſigne unum convincendi Sigonianum, quod pœne fueram oblitus. Fecit nobis : *ante omnia privata conſulum diſcordia, quæ inter ipſos erat, & certamina in conſiliis omnibus terrebant.* Tu vero, lector ingenioſe, conſidera, an credere poſſis ab Livio unquam profectum : *conſulum diſcordia, quæ inter ipſos erat.* Mihi quidem hunc ſermonem Neronianas refrigerare poſſe thermas videtur, & fabrorum prandia betas æque fatuas non eſſe. Quod licet feſtinantem emunctæ naris Gruterum non fugit : ideo quatuor has voces, *quæ inter ipſos erat*, gloſſam ſapere loco ſuo indignam fatetur. Ocius igitur refice in libro tuo, ut Andreanæ, Moguntina, Aldina, immo omnes ante Sigonium habuerunt editiones : *Ante omnia pravitas conſulum, diſcordiaque inter ipſos, & certamina in conſiliis omnibus terrebant.*

Pag. 65. poſt lin. 14. Cap. 34. *quidam in annales retulere*] Haud ſcio à quo ſit: nam ſcripti omnes & edd. veteres: *quidam annales retulere.* Et hoc quoque non inſolens Livio, eoque mutandum non fuit. Lib. 21. *Pro C. Servilio & T. Annio Q. Acilium & C. Herennium habent quidam annales.* Lib. 22. *Omnium prope annales Fabium dictatorem adverſus Annibalem rem geſſiſſe tradunt.* lib. 23. *Huic pugnæ equeſtri rem mirabilem adjiciunt quidam annales.*

P. 72. lin. 24. vertit. Ne quis putet nos temere à Gruteri auctoritate hic diſceſſiſſe, aperiendus eſt duplex error viri cætera nobis æſtimatiſſimi. Revocari, inquit, lectionem antiquam à Sigonio

Modio-

Modioque ejectam, qui receperunt Aldinam. Nihil enim Sigonius, nihil Modius peccarunt: neuter hæc verba tetigit. Non autem Aldi modo, ſed omnium vetus lectio eſt : *ſua fortuna populique Romani :* quippe quam reperiamus in Mediolanenſi, Veneta, Tarviſina, ex Andreana Romana expreſſis, in Moguntina quoque editis ante Aldinam. Immo dubito an ulla unquam editio habuerit, *ſua fortuna populi Romani*, ante tertiam Gruteri, ejuſque ſecutulejas; certe nullam vidi, quæ haberet. Ait deinde particulam *que* nec reperiſſe ſuis in ſcriptis Sigonium. Equidem apud Sigonium eſt : Vet. lib. *populi Romani :* ſed noris, quam humanum ſit labi ac decipi,: quum integrum citaret locum Sigonius, annotatiunculam hanc dirigebat ad ultima verba, quæ ante eum ſic habebant: *quam minimo publico Romani populi liceret :* obſervabatque duarum vocularum ordinem eſſe mutatum. De vitio locutionis in lectione Gruteri alias.

P. 78. l. 19. Sic lib. 23. *Vix equidem auſim adfirmare, quod quidam auctores ſunt.* lib. 30. *augurem duos & ſexaginta annos fuiſſe, quod quidam auctores ſunt.*

P. 82. poſt lin. 6. *& ex agris per ipſos dies raptum omne Vejos erat*] Ne time reponere: *per eos ipſos dies.* Sic alibi, *ad ipſum*, pro *ad id ipſum* corrupte edebatur.

P. 91. l. 12. *abdicavit.* Ibidem: *cujus & ipſos poſtmodo & Patres, qui dederant, pœnituit.* Sigonius è ſuo, *poſtmodum.* Sed & illud amare Livium didicimus ex antiquiſſimo Put. codice, qui lib. 25, 38. 26, 29. 28, 19. præfert. Manſit quoque lib. 2. *publicum in præſentia dedecus, poſtmodo periculum.*

P. 89. lin. 3. *equo.* Ibidem: *ut circumagi ſigna obvertique aciem viderunt, ruunt in hoſtem.* Verbum *ruunt*, eſt Sigoniani, hoc eſt, ſtigmatis ſpleniiſque nimis interſtincti, codicis. Tu vero reſtitue lectionem antiquam: *inde ut circumagi ſigna obvertique aciem viderunt in hoſtem, & dux* &c. *inter prima ſigna ſe offerebat; increpare ſinguli ſe quiſque & alios.* Iam dabant terga, ſed caſtigatio Camilli pudorem incuſſit, ut ſtarent: mox ut ſigna quoque circumagi, inque hoſtem verti averſos jam primos ordines videre, ut videre etiam venerabilem tot meritis imperatorem inter primos diſcrimini ſe offerentem; ultro ſe invicem ſunt hortati & animos reſumſere. Quod Sigonius addidit, intelligi voluit Livius hic à prudenti lectore, dum ipſe properat ad alterius ducis equiti ſegnitiem excutientis curam: de qua poſtquam explicuit, tum conjunctim de utriſque: *nihil neque apud duces neque apud milites remittitur à ſummo certamine animi.* Vides illud *ruere* in hoſtem, quod ſupra putaverunt deſiderari.

P. 103. poſt lin. 6. Cap. 35. *Hoc ſilentium, milites, inquit, omiſſo*] Ms. *Hos ſilentium; miles, inquit.* Elegantius & verius. Sic lib. 3. *conſularem exercitum ipſumque conſulem increpans, carebis, inquit, prædæ parte, miles, ex eo hoſte, cui prope prædæ fuiſti.* Supra hoc libro: *oſtentanſque inſignem ſpoliis tribunum, hunc imitare, miles, ajebat, & circa jacentem ducem ſterne Gallorum catervas.* Sic lib. 30, 10. *harpagones vocat miles.* Sic libri optimi, ut diximus: nam & hic vulgo numerum mutarunt. Lib. 45.] *At tu centurio, miles, quid de imperatore Paullo ſenatus decrerit, potius audi.* Apud Silium lib. 3. Scipio ad exercitum: *Hoſtem, miles, habes, fractum ambuſtumque nivoſis Cautibus.*

P. 104.

P. 104. lin. 7. *excivit.* Salluſtius Iugurthino: *interdum ſomno excitus arreptis armis tumultum facere.* Noſter iterum lib. 24. *ipſe rex, ſicut ſomno excitus erat, prope ſeminudus fugiens.* Tacitus 3. hiſtor. *Vitellius ut è ſomno excitus.*

P. 107. l. 11. expreſſius. Veſpaſiano: *Tribunatu militum in Thracia meruit.* Vbi Torrentius iterum, *Tribunus.* Cur non & mutat eadem vita: *Conſulatu ſuo nono tentatus in Campania.*

Pag. 111. lin. 15. alibi. Interim, ne ſine exemplo locutionem putes, accipe eandem apud Corlium Nepotem Pelopida: *Poſt id factum nunquam is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus.*

P. 113. lin. 18. *ſubacti* &c. Ipſum eſt apud Plautum Trinummo a. 4. ſ. 3. *Quorum eorum unus ſurripuit currenti curſori ſolum.*

Pag. 117. l. 10. *animi viſos.* Ibidem: *tacere indolem illam Romanam.* Vix dubium eſt Grutero, quin Livius ſcripſerit *jacere.* Non putem: eſt enim illud idem quod ignorari, non videri, non noſci. Seneca conſolatione ad Marciam cap. 1. *At illorum carnificum cito ſcelera quoque, quibus ſolis memoriam meruerunt, tacebunt.* Sic Eraſmus, ſic quinque Gruteri, qui & hic perperam, *jacebunt:* Pincianus & Muretus, *tacebuntur.* Cicero lib. 2. de officiis: *quum autem reſpublica nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet literæ conticuerunt forenſes & ſenatoriæ.* id eſt, celebratæ & frequentatæ non ſunt. Noſter hoc libro inferius: *Abſit invidia vero & civilia bella ſileant.* Sic *mutum* & *ſurdum nomen* dicunt Poëtæ pro ignobili & obſcuro.

P. 123. l. 24. varient ſcripti. Ibidem: *fratrique præcipuum decus ulti Samnitium imperatoris dederunt.* Membranæ Thuan. carent copulativa:

optime, eſt enim adverſativa quæ intelligitur, τὸ *ſed* nimirum, non copulativa. Vide ἀντίϑεσιν. *Omnes, qui circa erant, in Aulium temere invectum per hoſtium turmas tela conjecerunt; fratri præcipuum decus ulti* &c. Omnes quidem petierunt, ſed frater defuncti tetigit ſcopum.

P. 127. l. 2. Huic emédationi ſatis certæ ne quis erroneam obſervationem And. Schotti & Sulpitios duorum prænominum obducat. *L. Servius Sulpitius Rufus, M. Servius Sulpitius*: res monſtri ſimilis eſt: bovem Cn. Domitii locutum putes. Fuerunt quibus duo prænomina fuiſſe diceretur tum, quum prius abolitum eſſet, ut pater Claudii Cæſaris Druſus, olim Decimus, mox Nero prænomine: nemo bina eodem tempore uſurpavit. L. Sulpitium Dictatorium, Servium non unum ex Livio noſco *Servium Sulpitium Quinti filium Lemonia Rufum* cum omnibus vocabulis ſuis Cicero illuſtriſſimo monumẽto conſecravit: *M. Servium* & *L. Servium* Sulpitios ignoro. Scilicet cum pro Muræna dicens Tullius undecumq; invidiam Servio ſuo conflaret, ut reum gratioſum faceret, tantam novitatem in gente & viro prætermiſiſſet. Viciſſim cum toties honeſtam mentionem tam clari viri faciendam haberet, & de mortuo tam honorificum S. C. dictaret, jejuna malignitate alterum prænomen neglexit. Induxerunt doctum virum corrupti Cornelii Nepotis in vita Attici, ubi *M. Servium*, & Livii lib. 25. extremos, ubi *P. Sulpitium Servilium Quinti filium Galbam* imperiti librarii & primi editores dederunt, codices. Sed hic receptum eſt dudum in vulgatos *P. Sulpitium Q. F. Galbam*, quale quid ratio dictabat, nec optimæ membranæ refutant: neque illic defuerunt, qui inſcito prænomine Servium pariter & Cornelium liberarent, inprimis

Lam.

Lambinus, cui adſentiendum erat. Nam quem nummum adducit *Luci Servii Rufi*, in eo ipſo ſibi non conſtat Schottus. Quippe in eodem Electo de gentibus & familiis Romanis *Servejam* gentem atque illis cognomen *Rufis* ponit: & in altero de cognominibus, idem cognomen *Rufum* non Sulpitii modo, ſed & Serviis, ut genti, adſignat. Hoc ſufficit ad Lucios Servios Sulpitios abolendos: cum ipſos nummos inſpicere nobis licuerit, forſan & aliquid amplius naſcetur.

Eadem pag. poſt lin. 2. Cap. 38. *Macer Licinius tertia etiam clade*] Duo Pall. *tertiæ etiam cladis, quæ ad Cremeram accepta eſt, abominandam eam curiam facit*. Quod forte non ſpernendum.

P. 130. l. 32. *emiſſus*. lib. 2. *ita inſtruxiſſet aciem, ut ſolo equitatu emiſſo exercitum hoſtium funderet*. lib. 29. *intervalla patentia ſatis late fecerunt, qua equitatum, ubi tempus eſſet, emitterent*. lib. 30. *tu quatuor legionum equites in hoſtem emitte*. lib. 33. *& equitum Latinorum omnes turmas in hoſtem emiſit*.

Pag. 133. l. 9. *inprimo*. Sic iterum Salluſtius ſuperius: *qui in primo locati fuerant, paulliſper territi perturbantur*.

P. 134. poſt l. 15. Cap. 19. *auxilium, quod accipiendum ultro fuerit*] Scribe: *acciendum*. Ut & reſtituimus lib. 36, 27. Et ſane Andreanæ & Moguntina plane *acciendum*. Illud Aldinæ vitium eſt.

Pag. 11. l. 25. *antiquitatis*. Symmachus: *Mihi autem tanta eſt perficiendæ conjunctionis hujus antiquitas, ut in gravi dono habiturus ſim, ſi illius votis cura veſtra profuerit*.

P. 140. l. 18. dicatur. Sic Cæſar lib. 2. de bello civili: *capti homines equiteſque producebantur*.

P. 146. l. 22. *contemptum*. Quæ ſequuntur ad finem uſque hujus annotationis, dele; non enim

ſunt nauci: hæc autem ſubſtitue. Neque aliter, ut quiſque melior, cæteri. Veritas eſt: *nullum momentum ad vincendum homini ab diis immortalibus acrius datum eſt.* Nam ſic quoque Put. non *à diis.* Eſt quidem ſermo haudquaquam inſolens, tamen in primis frequens noſtro lib. 29. *haud parvum momentum ad opem ferendam ſociis.* Lib. 33. *non magni momenti ad ſummam rempublicam populi Romani.* Lib. 35. *in quo plus ad omnia momenti quam in Magnetibus eſſet.* lib. 42. *Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur.* lib. 43. *ut impenſam in rem maximi ad omnia momenti faceret.*

P. 148. l. 33. *pratori.* Scribe tamen etiam, *Meſſana.* nam ex ea urbe literas dediſſe regem ſignificat.

Pag. 152. lin. 22. *ſunt.* Etiam repone cum Put. *nequiſſent.*

Pag. 157. poſt lin. 14. Cap. 63. *Idibus Martiis Arimini eſſet in caſtris*] Put. Men. cum Sigoniano: *adeſſet.* Quod autem ſcribitur Flaminium exercitui diem ad conveniendum edixiſſe Ariminum, idem habes hoc cap. inferius: *magis pro majeſtate videlicet imperii Arimini quam Romæ magiſtratum initurum*: & ſupra cap. 15. *Flaminius Arimini conſulatum iniit.* Quibus tamen omnibus locis vereor, ne *Arretii* reficiendum ſit. Polybius adfirmat diſtincte Etruriam Flaminio, Ariminum Servilio provinciam fuiſſe. Lib. 3. Γάϊος μὲν Φλαμίνιος ἀναλαβὼν τὰς αὑτοῦ δυνάμεις προῆγε διὰ τῆς Τυῤῥηνίας, καὶ κατεστρατοπέδευσε διὰ τῆς τῶν Ἀῤῥητίνων πόλεως. Γνάϊος δὲ Σερουίλιος τοὔμπαλιν ὡς ἐπ' Ἀριμίνου, ταύτῃ παρατηρήσων τὴν εἰσβολὴν τῶν ὑπεναντίων. Et iterum: Γνάϊος Σερουίλιος ὁ προκαθήμενος ὕπατος ἐπὶ

τῶν

τῶν καὶ Ἀειμίνων τόπων. Certum eſt Flaminium conſulem in Etruria excepiſſe Annibalem: at Ariminum Vmbriæ urbs eſt, non Etruriæ. Strabo lib. 5. ἀπὸ γὰρ δὴ Ῥαβέννης ἀρξάμενοι κατέχουσιν οὗτοι (οἱ Ὀμβρικοὶ) τὸ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς Σάρσιναν, Ἀείμινον, Σήναν καὶ Καμάρινον. Certum eſt eundem prope Thraſimenum lacum pugnam commiſiſſe, qui & ipſe prope Arretium: cum ex Gallia in Etruriam irrumperet Annibal. Strabo: καὶ ἡ περὶ Ἀῤῥήτιον ἤδη Θρασυμένη, καθ' ἣν ἐκ τῆς Κελτικῆς εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐμβολαὶ στρατοπέδοις. αἷσπερ καὶ Ἀννίβας ἐχρήσατο. Quid opus igitur proficiſci Ariminum, ut inde rediret Arretium? Conſentit Silius, qui ſua deſumſit ex Livio, perinde ut hic ex Polybio lib. 4. *Ergo agitur raptis præceps exercitus armis Lydorum in populos, ſedemque ab origine Priſci Sacratam Corithi.* Inferius lib. 5. *nunc occupet altos Arreti muros, Corithi nunc diruat arcem.* Cujus mentionem ſumſit à Virgilio lib. 7. Si Ariminum juſſit coire exercitum, ſi ipſe eo profectus ibique faſces ſumſit, utique inde reduxit eundem exercitum, quod nuſpiam legitur, nec ſatis temporis fuit. Denique exercitus Sempronii conſulis, cui dies ad conveniendum dictus erat, *in Etruriam per Appennini tramites eſt ductus*, ut habetur hoc libro extremo. Ergo ivit Arretium, non Ariminum: nam Arretium eſt cis Appenninum, Ariminum trans eundem: quo ſi pergeret ex hibernis in Gallia actis, non erat opus Appenninum traduci.

P. 161. l. 6. ſuppoſuerunt. Sic lib. 23. *latronum modo percurſant totis finibus.*

P. 163. l. 18. *aut necquidquam feſſi vada retro ægerrime repetebant.* Lib. 9. *aut eadem, qua te inſinuaveris, retro via repetenda.*

P. 169. l. 1. dele totam cum parte ſequentis, & ita concipe: Scribe: *Hæc per exploratores relata Fabio. Cum ſatis ſciret, per eaſdem anguſtias.* Sic integra ſervatur optimi codicis lectio diſtinctione explicata. Perinde eſt, quaſi dixiſſet: *Qui cum ſatis ſciret*: vel, *is cum ſciret.* Solere autem Livium compendifacere id pronomē cum aliunde tum ex principio operæ noſtræ meminiſti. Lib. 23. *Hæc (neque enim occulte agebantur) quum relata Annibali eſſent.*

Pag. 169. l. 7. probabitur. *Tò vagos* intelligit quaſi participium verbi ſubſtantivi, hoc ſenſu: ubi Numidas, qui paſſim vagi eſſent, per occaſionem etiam paucos occidit. Sic infra in Manlii oratione: *quum feſſis pugnando hoſtibus, tum victoria lætis, & ipſis pleriſque regreſſis in caſtra.*

P. 171. lin. 15. *homines.* Sic ſervi ad remum lib. 34. *ſervos ad remum, numero ex cenſu conſtituto, cum ſtipendio noſtro dabamus.*

P. 173. l. 25. *venerunt.* Quæ ſequuntur ad locum illum pertinentia dele, & eorum vicem repone: Sed ut verum fatear, incipio dubitare de omnibus illis locis, ubi occurrit hæc locutio: *Romani ſocii, Romani hoſtes*: quia & per ſe inſolens eſt & optimum codicem in alia omnia ire animadverto. Cum illo igitur & hic tene: *in agrum pacatum, ſocios Romanorum ad depopulandum, venerunt.* Quod eſt, ad depopulandos ſocios Romanorum. Vt lib. 23. Samnites ad Annibalem: *ita ſumus aliquoties hac æſtate devaſtati.* Nec non eodem libro cap. 18. *Socii Romanorum propugnacula adverſus vineas ſtatuere.* Iterumque cap. 23. *tum ex iis qui magiſtratus non cepiſſent, qui ſpolia ex hoſte fixa domi haberent, aut civicam Romanam accepiſſent.* Denique lib. 24, 30. *capti ad Thraſymenum inter Romanorum*

auxilia dimiſſique. Quare & conſtet auctoritas Borbetomagenſi ſcripto, unde produxit Rhenanus lib. 1, 26. *quacunque Romana lugebit hoſtem.*

Pap. 176. lin. 12. Crocſum. Auguſtus ad Liviam apud Suetonium: *ne quid faciat, quod conſpici & derideri poſſit.*

P. eadem lin. 29. *deinde interventu.* Sic lib. 10. *Ibi interventu Gellii cohortiumque Sabellarum paulliſper recruduit pugna.*

P. 183. lin. 12. populi. Noſter inferius in oratione Torquati: *noctem ad erumpendum liberam habuiſſent.* Cicero 3. in Verrem extremo: *quid aut quantum praterea eſt quod liberum poſſit habere ille arator ac dominus in poteſtate ſuorum fructuum?*

P. 184, 33. Put. Petavianus uterque, Pal. cum Aldina editione: duo reliqui Pall. & Andreanæ alludunt ſatis, exhibentes *profecturum.* Lipſius *conflicturum.* Vulgatum, *profligaturum,* in prima deprehendi Moguntina. Sed vera eſt optimorum codicum lectio: ominando victoriam, quo die hoſtem vidiſſet, non pugnaturum ſe, quod ambigui erat eventus, ſed bellum (ea vox repetenda ex præcedentibus) eſſe perfecturũ, ſeu debellaturum ait. Lib. 5. *Aut non ſuſcipi bellum oportuit; aut geri pro dignitate populi Romani & perfici quam primum oportet.* Lib. 21, 46. *Hic erit juvenis, penes quem perfecti hujuſce belli laus eſt.* Sic optimi libri: non *erat.* Et imitatus eſt Annæus Florus lib. 2, 6. poſt eandem rem narratam: *Hic erit Scipio, qui in exitium Africæ creſcit, nomen ex malis ejus habiturus.* Lib. 45. *Ad hoc fecimus conſulem, ut bellum per quadriennium ingenti etiam pudore noſtro tractum perficeret.*

P. 187. lin. ult. *velut.* Seneca epiſt. 12. de

quodam ſive Pacuvio ſive Pomponio ſive Paconio: *qui Syriam uſu ſuam fecit.*

P. 189. lin. 23. *inlati.* Vel ſic potius: ac tenere uno per præceps, quod fecerant Romanis inclinati & perculſi jam nimio præ pavore fugientes Galli Hiſpanique (hoc eſt, *præceps pavore fugientium*) toto nec divulſo agmine in mediam aciem illati: hoc, *uno tenore agmine illati.* Sic lib. 26. *& quum agmine jam in media urbis ac forum magno tumultu iretur.* Cæterum quod alicui moleſtum videatur junctos duos diverſi ſenſus ablativos, *tenore agmine*, id elegantia eſt, ut per occaſionem vindicatis aliquot ſcriptorum locis in Obſervationibus edendis oſtendimus.

P. 193. lin. 34. *intercluſiſſet.* Ibidem: *traditique in cuſtodiam omnes ſunt, ſed ſeorſum cives ſociique*] Put. *ſunt, ſecorum cives.* Dele adverſativam & ſcribe: *omnes ſunt, ſeorſum cives ſociique.*

P. 202. lin. 8. *bellum.* Noſter lib. 6. *cum tamen per dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt.* Lib. 34. *Ætolos polliceri aut conditionibus & voluntate ſua Nabin præſidium Argis deducturum* &c. Lib. 35. *quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere.* Cicero lib. 6. fam. epiſt. 2. *Si armis aut conditione poſitis, aut defatigatione abjectis, aut victoria detractis reſpiraverit.* Vellejus lib. 2. *diſcordiæque civium, antea conditionibus ſanari ſolitæ, ferro dijudicatæ.* Et de Maroboduo: *finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus ſui juris fecit.* Quæ ſi in mentem fuiſſent Grutero, non mutaſſet apud Ciceronem lib. 3. in Verrem c. ult. *Hinc una decumæ lege & conditione trahantur.* Hoc eſt, certis & legitimis pactis. Sic atetur fuiſſe in Pall. cum ſolorum Nannianorum aucto-

auctoritate edidiſſe ait, *lege & conſuetudine*. Quod vulgaris pulpæ eſt.

Ead. pag. l. 16. *alia*. Sic lib. 43. *Hæc miſſa: illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium eſſet, educendique ex Italia poteſtas fieret.*

Pag. 204. lin. ult. eſtis? Vide an aliquo modo illuſtret illud lib. 45. in oratione Servilii: *victor, in Capitolio triumphans ad eoſdem deos, quibus vota nuncupavit, merita dona traducit.*

Pag. 205. lin. 35. *obſtrepit*. Noſter lib. 42. *Quærenti tibi ſuperbius tacuiſſemus, quam vera reſpondimus.* Tacitus 14. annal. *A. Vitellius optimum quemque jurgio laceſſens, & reſpondenti reticens.*

P. 210. lin. 26. duraret. Ibidem: *Relaxato poſtero die per minorem trepidationem retinuerunt optimates, ut convectis* &c. Scribe: *tenuerunt optimates*. id eſt, obtinuerunt. Lib. 4. *In eo quoque plebs ſuperior fuit, quod tenuit, ne conſules in proximum annum crearentur.*

P. 211. l. 29. *omnium*. Ibidem: *tempus hoc ſedulo terens, ne deducendi ſui cauſſa populum de foro abduceret.* Scripſit Livius: *tempus ad hoc ſedulo terens.*

P. 214. lin. 14. adjecerunt. lib. 42. *quum ex frumentatoribus refugientes quidam in caſtra, nuntiaſſent conſuli circumſideri præſidium.*

P. 215. lin. 6. *eunt*. Sunt ergo de Livii ſententia non omnes anteſignani *velites*, quod inprimis indicat locus lib. 30. Vt & lib. 27. *In eas velites anteſignanique & qui primi agminis erant.* Eſt autem hæc mens reſtitutæ lectionis: Triplex ſtetit Romana acies, haſtatorum, ſcilicet, principum ac triariorum; atque hos intellige partim anteſignanos, partim ſub ſignis: extra hunc numerum

merum velites, quorum alios intermiſtos anteſignanis, alios poſt ſigna locatos fuiſſe ait: tum equitem in duo cornua diviſum. *Velites* autem hic intellige non illos κατ' ἐξοχὴν, quos lib. 26. demum in obſidione Capuæ inſtitutos narrat conſentiente Valerio Maximo lib. 2, 3. ſed in genere levis armaturæ militem.

Pag. 217. lin. 17. *maxime.* Porro ibidem: *item, uti municipes Cumani eſſent, pridie quam populus Campanus à populo Romano defeciſſet.* Quum dicimus *eſſe quid pridie diei illius* vel Kalendarum vel Nonarum vel Iduum, illum diem & non poſteriores deſignamus. Itaque pœne ineptum eſt dicere, *ut pridie illius diei cives eſſent:* quid enim poſt illum diem erant futuri? Sed voluit exprimere Livius, ex illo die in ſequentes omnes pro municipibus illos haberi: hoc non dicitur Latine, *illo die*, ſed *ex illo die.* Suſpicor igitur excidiſſe tres voculas & ſcripſiſſe auctorem: *item uti municipes eſſent ex ante diem pridie, quam populus Campanus à populo Romano defeciſſet.* Scripta fuit per ſingulas literas *ex a. d.* eo facilius perire potuit hæc temporis deſignatio.

Pag. 219. ult. *inerat.* Noſter lib. 42. *Inerat cura inſita mortalibus videndi congredientes nobilem regem & populi principis terrarum legatos.*

P. 225. poſt l. 5. Auge & muta partim hoc modo: Cap. 44. *deinde concurſu ad pugnam facto*] Put. Petav. melior, Men. *dein concurſu ad pugnanti facta.* Scribe: *dein concurſu ad pugnantes facto.* Antiqua ſcriptura fuit: *ad pugnantis.* Ibidem: *Pœnorum prima eruptione perculſi ceciderunt haud plus quam triginta, Romanorum nullus. Imber continens* &c. Put. *Romani liber continens.* Lege: *Romani quinquaginta. Imber continens.* Fuerat per notas, *Romani L.* Lib. 24. 17.

Plus

Plus tamen duo millia hoſtium eo die cæſa tradun-tur. Romani minùs quadringentu. Vt ibi reſtitui-mus. Mox lege ex iiſdem:&c.

P. 226. lin. 8. videtur. Neque ignoro apud Ciceronem 1. Verr. *magni & navi aratores agros latos & fertiles deſererent.* Aut Saculum Flac-cum: *lati fundi per continuationem ſervantur cen-turiis:* Iterumque: *cum pulſi ſunt populi, poteſta-tique locupletiorum fuiſſent lati fundi.* Eadem pag. lin. 28. *equum.* Sic Lucanus lib. 4. v. 762. de Curione: *medios aciem dejecit in agros.* Quod & nos in duobus ſcriptis invenimus, & ha-buerunt ſive Pulmanni ſive Berſmanni codices. Vulgo: *projecit.*

P. 232. poſt lin. 33. Cap. 6. *Itaque quod unum vinculum cum Romanis ſocietatis erat*] Scribe cum Put. multo elegantius: *Ita quod omne vinculum.* Ibidem: *cum Annibale* &c.

Pag. 235. lin. 10. erat. Ibidem: *duo prætores profecti.* Vox ultima eſt omnino gloſſema. En integrum. *In Siciliam eodem tempore duo præto-res. P. Cornelius ad exercitum. Otacilius qui ma-ritimæ oræ reique navali præeſſet; & cæteri in ſuas quiſque provincias profecti.*

Ead. pag. lin. 16. adnotatum. Non longe: *quibus merces navatæ in unum diem operæ liber-tas futura erat.* Scripti magno conſenſu, *liberta-tis.* Lege: *quibus merces navatæ in unum diem operæ libertatis futura eſſet.* Hoc eſt, quibus operæ in unum diem navatæ futura eſſet merces vel pro mercede libertatis.

P. 239. lin. 20. præcedens. Vide tamen an-non potius illibata ſervanda ſit optimorum li-brorum lectio: *paullum ſumeret ad conſultandum:* ut τὸ *ſpatii* vel *temporis* ſubaudiatur. Infra: *No-ctem unam ægre ad conſultandum ſumſi.*

P. 247.

P. 247. l. 15. pleonaſmo. Sic Suetonius, Auguſto c. 49. *juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit, commodius id viſum eſt, ut qui à loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, ſi quid res exigerent, poſſent.* Hoc eſt, eidem vel iidem qui à loco perferrent literas. Perperam docti viri ſollicitant.

Pag. 262. l. 13. *agebat.* Lib. 39. *omnem diſciplinam ſacrificandi præterquam more Romano, abolerent.* l. 19. non quaſſatas, l. 27. de action. emti: *veluti ſi fundo dolia acceſſura dixiſſet, non quaſſa, ſed integra dare debet.* Seneca ad Marciam: *Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas.*

P. 264. l. 9. *eſſe.* Cujus rei judicium eſt penes ſenatum, atque hactenus Patres pro tota patria. Illuſtrat admodum, quod Appius eorum nomine ait lib. 5. *At nos tanquam cum civibus agere volumus agique tanquam cum patria nobiſcum æquum cenſemus.*

P. 265. lin. 1. *reſervaſſemus.* Cicero lib. 5. in Verrem: *at eſt bonus imperator, & felix, & ad dubia reipublicæ tempora reſervandus.* Pro Fonteio: *nonne & hominem ipſum ad dubia reipublicæ tempora reſervandum putatis?* Verbum idem ereptum noſtro videtur lib. 10, 25. *ut omnia integra ac libera Q. Fabio reſervarentur.* Sic enim Thuan. & duo meliores Pall. Eodem *libro: collectis omnibus ſubſidiis, quæ ad id tempus reſervaverat.* Cic. 11. famil. 21. *diſturbavi rem, totamque vobis integram reſervavi.*

Pag. 267. poſt lin. 6. Sed & idem Gutherius *præfigendis* aut *refigendis* pro *perſignandis.* Tu veterem ama, & interpretare ex his auctoris lib. 1. *Pontificem deinde Numam Marcium M. F. ex Patribus legit, eique ſacra omnia, exſcripta exſignataque attribuit.*

Pag. 268. l. 25. Livius. Quæ ſequuntur cum quatuor lineis proximis dele, & eorum vicem hæc accipe: Hoc expreſſit, ſi quid video, Livius. Put. etiam: *in tres diviſas partes.* Scribe minima mutatione: *inde cum ſilentio in forum ducti, Annibali ſeſe conjunxerunt. Cum duobus millibus Gallorum Pœnus in tres diviſis partes per urbem dimittit Tarentinos, & itinera quam maxime frequentia occupare jubet.* Hæc ipſiſſima eſt Livii ſcriptura. Numerus cum ſignificatus eſſet notis, *duo millia* reddiderunt pro *duobus millibus:* & ex *cum* fecerunt *tum*, quibus non ſatis connexa videbatur oratio, de quibus ſæpe querimur. Sic lib. 4, 9. ubi vulgo, *tria millia paſſuum.* Pall. *tribus millibus:* at lib. 6, 32. iidem cum Thuan. *duo millia inde aberat:* cum edatur, *duobus millibus.* Nihil in libris antiquis hac mutatione frequentius. Τὰς εἰς τὴν &c.

P. 270. lin. 16. Cicero lib. 5. in Verrem: *in ipſo aditu atque ore portus, ut primum ex alto ſinus ad urbem ab litore inflectitur.* Noſter lib. 28. *ſpeciem intuenti primo gemini portus in ora duo verſi præbuerit.*

P. 273. poſt l. 7. tres ſequentes lineas dele, & repone: Quo magis conſidero, eo minus aliquid deeſſe videtur, quod prudens lector ex ſenſu non ſuppleat. Dicendo enim receptum eſſe Arinium, & ſeditionem ortam, quod alii fortunæ cedendum & Pœnis urbem dedendam cenſerent, ſatis indicat, alteram partem fuiſſe eorum, qui Atinium receperint, eoſque manendum in fide ſtatuiſſe. Ergo ſanum eſt: *Atinius tamen cum paucis receptus. Seditio inde paulliſper tenuit, quum inde alii cedendum fortunæ, & tradendam victoribus urbem cenſerent.* Poſteriore loco τὸ *inde* ſignificat nunc tandem, poſt talem caſum.

Ed.

Ead. p. l. ult. *pendes.* Noſter lib. 10. *nocte rediit, approbare collegam conſulta referens.* Salluſtius Iugurth. *colloquio, diem, locum, tempus ipſe deligeret; conſulta ſeſe omnia cum illo integra habere.*

Ead. pag. lin. 27. *extarem.* Livius lib. 41. *ipſum aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, juſſiſſe.* Cœpi cogitare an poſſit legi: *intentius extares ſeriæ ſervarentur.* Et vocem quidem habes lib. 24, 10. Sed videtur prohibere Plauti in Captivis: *Coquum percontabatur, poſſentne ſeria ferveſcere.*

Pag. 276. l. 4. *multique præliis laceſſebant Romanos.* Salluſtius Iugurth. *antea, jam infeſtus nobilitati, tum vero multus atque ferox inſtare:* Et rurſus: *in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus adeſſe.* Nazarius in Panegyr. *tu tamen, imperator, non tutior tempore quam Deo tectior, ſæviſſimo hoſti multus inſtares.*

Pag. 283. lin. 4. pateremus? Lib. 35. *à tergo fauces ſaltus occupatæ à parte hoſtium erant, Caudinæque cladis memoria non animis modo, ſed prope oculis obverſabatur.*

P. 285. lin. 5. eſſe. lib. 34, 50. *& L. Quinctio fratri legato & præfecto claſſis ſcribit, ut onerarias ex omni Græciæ ora eodem contraheret.* Quum tamen vox *naves* toto illo capite non exſtet. Vt & lib. 35, 37. *& Thoas ducentos equites, onerarias leves ad triginta habebat.* Lib. 37, *id erat horreum Romanis, eoque omnes ex Italia miſſæ onerariæ dirigebant curſum.*

Pag. 290. lin. 30. iterabat. Apud Ciceronem lib. 3 in Verrem: *Inculcatum eſt Metello & Vultejo, te aratores evertiſſe.* Plinius lib. 1, ep. 20. *curſim & breviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda.*

Ead. pag. lin. 36. aggeris. Niſi malis: *concurrunt ad portas.* nam ibi paullo ante diſperſi ad arma-

ma capienda rurſus jungebantur. Paullo poſt: *Ad hac tot jam nec opinata.* Haud dubie legendum: *tot tam nec opinata.* Vide ad lib. 26, 13. lib. 28, 28. lib. 29, 21. lib. 30, 30.

P. 296. lin. 30. fluctuat. Quæ ſequuntur, ſic ange & muta: Sic lib. 33. *& primo adeo acriter invaſerunt, ut anteſignanos impulerint.* Latinus Pacatus, *At ubi impulſa acies fronſque laxata, & fiducia in pedes verſa eſt.* Statim: *qua ad Vulturnum fert.* Gall. τὸ *ad* ignorant. Porro: *neque tam armati irrumpentibus reſiſtebant, quam quod porta baliſtis ſcorpionibuſque inſtructa, miſſilibus procul hoſtes arcebat.* Put. *reſiſtabant.* Forte, *reſtabant*, de quo verbo ſuperius. Expunge autem τὸ *quod*: non eſt enim Livii, & æque alieno loco inculcatum, ac fuerat lib. 28, 43. *Cujus ego rei non tam ipſe auſim tantum virum inſimulare, quam ea ſuſpicio, vitio orationis an rei, haud ſane purgata eſt.* Vbi vide notas.

P. 298. l. 3. mutare. Immo ſic & noſter lib. 36. in Lamiæ obſeſſæ hiſtoria: *haud dubius, quin ſi prius Heraclea capta foret, Romanis ſe potius quam ſibi dedituri eſſent, ſuamque gratiam conſul in obſidione liberanda facturus eſſet.* Servabis igitur optimi codicis lectionem.

Ead. pag. l. 11. Italici? *C. Muſtii* meminit Cicero lib. 1. in Verrem, occurritque idem nomen in Inſcriptionibus antiquis: inque iiſdem & nummis *Ruſtios* invenias.

Ead. pag. lin. 18. promtu? Niſi velis: *totam urbem inconciliat.* Verbum Plautinum Bacchidib. *quod poſſet mali Facere, & in me inconciliare omnes copias meas.* Moſtellaria, ſervus ad daniſtam: *is tibi & fœnus & ſortem dabit; Ne inconciliare quid nos porro poſtules.* Noſter lib. 42. *ut plurium clamore & curſu à portis dubitatio exemta eſt.*

Pag.

Pag. 299. l. 31. venit. Plautus Truculento. 2, 4. *tibi mea conſilia ſumma ſemper credidi*: & ſuperius: *Apud hunc mea hera conſilia ſumma loquitur libere.* Sic *ſummam rem cauſſamque* Cicero 1. in Verrem.

Pag. 300. lin. 14. *Conjicit.* Lib. 3. *inſidiatum eum & tempore capto adortum rempublicam.* Forſan & ita legendum lib. 35, 19. *melius eſſe ratus & percontari cauſſam repentinæ alienationis & purgare ſeſe tempore capto.* Vbi editur: *tempore apto.*

P. 302. lin. 30. *vias.* An potius: *Hujus ſaltus fauces Nero cum arte ſepſiſſet.* Superius eodem libro habes *arctas cuſtodias: aut mittere nuntios ad Annibalem per cuſtodias tam arctas.* Habent autem fere libri veteres, *artus, arte,* pro *arctus, arcte.*

Pag. 306. poſt lin. 21. *Macella.* Ibidem: *& civitates omnes, quæ defecerant, in deditionem redegit.* Scribo quamvis ſilentibus ſcriptis: *in ditionem.*

P. 308. l. 20. Poſt τὸ ſcriptis, erade quaſi ſeptem lineas. Iſta cum ſcriberem, (quod accidit interdum majore, quam ego ſum, ſupercilio hominibus, etſi dici de ſe nolint, eoque nugatorum cauſſam agant) nugas agebam: nam de Hiſpania res vacillaret & mendacio prope eſſet. Sic igitur refinge. Et id quidem bene, ſed una vox eliſa eſt ob ſimilis vicinitatem. Nam certo certius eſt legi debere: *Vbi quum Syracuſas Capuamque captas in fidem in Sicilia Italiaque rerum ſecundarum oſtentaſſet.* Ait Lævinum ut fidem faceret res ſecundas Romanis in Sicilia Italiaque eſſe, Syracuſas Capuamque captas oſtentaſſe. Verbo præterea non opus eſt huic conjecturæ, apud ſani judicii homines. Lib. 27, 42. *multa ſecunda in Itali a Siciliaque geſta quaſſatam rempublicam exce-*

piſſe. hoc eſt, multa ſecunda, quæ in Italia Siciliaque geſta ſunt. Vt fugias de his quoque ſuſpicari. Put. *Capuamque captum*. Quod ſi magis placebit, non contra contendam. Solet enim Livius interdum poſteriori jungere ſyntaxi, quod ſenſu reſpondet duobus.

Pag. 309. lin. 4. *ſaltergo*. lib. 23. *In hoc alterno pavore certamina aliquot contracta*.

Pag. 310. poſt lin. 32. Cap. 28. *quo in ſtatu Macedonia & Græcia*] Libri omnes alicujus numeri carent præpoſitione. Sic lib. 23. *ut ex iis præſentibus noſcere Patres poſſent, quo ſtatu reſpublica eſſet*. Lib. 30. *ſi per quinquennium reſpublica eodem ſtatu fuiſſet*.

P. 311. poſt l. 18. Cap. 30. *in gratiam publicam avertentes*] Minuas, cenſeo, capite vocem poſtremam ſcribaſque *vertentes*. Lib. 28. *quum omnium ſecundorum adverſorumque cauſſas in deos verterent*. Sed hoc tamen paullo alio ſenſu.

Pag. 312. l. 20. *tantum?* Omnino. Sic lib. 25. *quod ab ſociis ſe deſertum, hoſtium tantum auctas copias ſentiebat*. Lib. 43. *Enimvero ſenatus indignari, tantum conſulem auſum, ut ſuam provinciam relinqueret, in alienam tranſiret*.

P. 313. lin. 29. *ſuperius eſſe*. Vide an utroque loco diviſo verbo duplicato Livius voluerit. *ſuper iis eſſe*. Cornelius Nepos Alcib. *contra Athenienſibus exhauſtis præter arma & naves nihil erat ſuper*.

P. 317. lin. 11. *navium*. Inferius: *ſpem commeatus quo hoſtibus, ſi navali prælio poſſeſſionem maris ademiſſent, interclſuri*. Put. omneſque Gall. *interclſuros*. Quod aliquandiu me attentum habuit: tandem deprehendi verum eſſe, ſed *ſpe* legendum, non *ſpem*. Ecce integrum: *Tarentini, ut recuperata urbe ab Romanis poſt centeſimum*.

xmum prope annum, arcem etiam liberarent, ſpe commeatus quoque hoſtibus, ſi n. p. p m. ademiſſent, intercluſuros. τὸ *ſpe* intelligit quaſi participium verbi ſubſtantivi, pro ſpe ipſis facta, quum ſpes veniſſet, aut ſpem haberent, ſe eſſe intercluſuros hoſtibus commeatum. De intellectu τῦ *ſe* cum alibi, tum ad lib. 40, 42. diximus.

Ead. pag. poſt lin. 33. Cap. 40. *Syracuſanis nova pace inconditas componere res*] Annon ſimplicius: *Syracuſis?*

Pag. 319. lin. 17. Rhenanus. Mox: *qui ſimul & vos inſtruet & hoſtes nudabit.* Petav. τὸ *&* prius ignorat. Et puto eſſe additum ab aliquo, qui τῦ *ſimul* eam vim eſſe neſciebat. Sic lib. 27. *prædatum ſimul ſpeculatumque miſſo.* Hoc eſt, & prædatum & ſpeculatum. Lib. 28. *trepidationem ſimul militum ac nautarum nequicquam armaque & naves expedientium.* Et rurſus: *in provincia ſimul virtute tanta & felicitate perdomita.* Lib. 36. *M. Æmilius trepidus à L. Valerio ſimul provinciam exercitumque accipere juſſus.* Lib. 41. *Lycios ita ſub Rhodiorum ſimul imperio & tutela eſſe.* Quæ & adſunt nobis lib. 33, 12. aſteriſcos tollentibus. Ne Mireris autem ſolum nos hic citare Pet. in Fut. Reg. Men. hic lacuna erat.

Pag. 320. lin. 5. *cepit.* Amant hæc duo conjungere. Iterum noſter lib. 22. *utraque non tam clade infamis quam pavore ac fuga.* lib. 25. *Cannenſem vero quiſquam exercitum fuga aut pavoris inſimulare poteſt.* Lib. 26. *non omnes comites Cn. Fulvii fuiſſe pavoris ac fugæ.* Lib. 37. *pavorem & turpem fugam increpans.* Cicero lib. 8. ad Attic. ep. 14. *nullum fuiſſe tempus poſt has fugas & formidines.* Salluſtius Iugurth. *ceterum, quo fuga atque formido latius creſceret, diverſi agebant.*

P. 322. ante lin. 1. Cap. 47. *ſed quod euntes*

ad

ad ancipites] Vide an rectius ſit: *quod adeuntes ancipites utrimque ictus ſubjectos habebant Romanos.* Hoc eſt, non altitudine tantum mœnium Romani impediebantur, ſed etiam eo, quod ancipites utrimque ictus habebant illos ſubjectos & patentes, dum adirent mœnia.

P. 322. l. 10. *ſorores.* Siſenna lib. 4. hiſtor. *tum in muro virile ac muliebre ſecus populi multitudine omni collocata.* Salluſtius lib. 2. hiſtor. *At Metellus in ulteriorem Hiſpaniam regreſſus, magna gloria concurrentium undique virile ac muliebre ſecus, per vias & tecta omnium viſebatur.* Tacitus 4. annal. *Adfluxere avidi talium imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre ſecus omnis ætas.* Idem in quarto hiſtor. *Multitudinem obſeſſorum omnis ætatis virile ac muliebre ſecus, ſexcenta millia fuiſſe accepimus.* Rurſum Auſonius: *Nota Caledoniis nuribus muliebre ſecus ſtrix.* Ammianus Marcellin. lib. 29. *ad raptus & latrocinia gentes aptiſſimæ prædas hominum virile & muliebre ſecus agebant & pecorum.* Hæc repetii non vocis cauſſa: illam vero ſatis jactatam non ignoramus: ſed ut proprietatem uſumque hujus locutionis, *virile aut muliebre ſecus*, non forſan & illis nimis notum, qui primo adſpectu putidum putabunt tot exempla nos allegaſſe, conſideremus. Licet enim ex illis deprehendere nuſpiam poni iſta, niſi pro eo, quod dicimus vulgo, *virilis & muliebris ſexus*, non nominandi, ſed gignendi caſu. Quod arcanum hujus formulæ ſi pervidiſſet illuſtris Scaliger, non miſere diſcerpſiſſet locum Salluſtii hoc modo: *At Metellus in ulteriorem Hiſpaniam regreſſus. Magna gloria concurrentium. Undique virile ac mulibre ſecus p. v. & t. o. viſebatur.* Vix, ſi exigas ad veterum rationem, Latinum eſt. Ne-

que

que Ammiani locus bene diſtinguitur in accuratis doctorum virorum editionibus. Etiam Palmerius non modo in eo errat, quod *τὸ ſecus* & ſexum & ſeculum ait notare, ſed etiam quod Salluſtium dicere potuiſſe exiſtimat, *diverſas gentes miſcuiſſe connubiis ſecus*. Nemini antiquorum tale genus loquendi in mentem veniſſe certum habeo. Sed liceat abſque invidia fateri, non vidi recentiorum, qui inter notandum aliquid ea de de formula; hoc, quod volo, obſervarit. Significat Caſaubonus nonnihil olim ænigma mihi ponere viſus ad Suetonii in Auguſto cap. 44. *Athletarum vero ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeo ſubmovit*. Turnebus annotavit ex v. c. *muliebre ſexus omne*: quod etiam in uno Caſaubonus: ſed in duobus, quorum unum vocat optimum: *muliebre ſecus*: quæ vox, inquit, huic loco non convenit. Neque enim video ullam rationem, quare non conveniat, niſi quod animadvertit vir ſummus optimos ſcriptores non dicere ſimpliciter *virile ſecus*, ut *ſubmovit virile ſecus*, aut, *virile ſecus viſebatur*: ſed ita uti, ut ſemper alteri ſubſtantivo vel expreſſo vel intellecto adhæreat, ſic poſitum quaſi virilis ſexus in ſecundo caſu, aut *virili ſexu*, ut ex Pacuvio Feſtus, *partum virili ſexu*. Sic *decem millia capitum virile ſecus*, ſic *homines virile ſecus*, *concurrentes virile ſecus*, ubi intelligis homines, *multitudo populi virile & muliebre ſecus*, *omnis ætas virile ac muliebre ſecus*, *Iuno & Ceres muliebre ſecus*, nempe numina, *ſtrix muliebre ſecus*, nempe monſtrum. Atq; hanc elegantiam libens Suetonio redderem, ſi perſuadere poſſem, quod mihi perſuaſi, legendum eſſe: *Athletarum vero ſpectaculo muliebre ſecus omnes adeo ſubmovit*. Neque putes abire ab hoc uſu Plautum Rudente a. 1. ſ. 2. *Virile ſecus nunquam ullum*

ullum habui. Etenim & hic intelliges, quaſi ex-preſſum eſſet, virilis ſexus ullum natum, non viri-lem ſexum ullum. Arnobius tamen, *ponere ſecus virile, ſecus fœmineum ſobolem prodit,* & Ammia-nus, *virile & muliebre ſecus trucidare, virile & muliebre ſecus indefenſum:* hæc ſunt excuſanda ex ſeculi more, ſiquidem ita ſcripſerunt, non illa.

P. 326. lib. 14. *μαχαίρεις.* Idem viſum Lipſio annotatumque ex veteri codice fueram oblitus, ni aliud agentem admonuiſſet nuper diſ-ſenſio Caſtalionis, quam tamen nos, quanti Ca-tullus rumores ſenum ſeveriorum, æſtimamus.

Pag. 338, 26. *quaſtores.* Lib. 10. *Cæſa ad ſex millia hominum: duo millia & quingenti capti: in eis tribuni militum quatuor.* Cornelius Nepos Miltiade: *Domi autem creati decem prætores, qui exercitui præeſſent: in eis Miltiades.* Alcibia-de: *amatus eſt à multis more Græcorum: in eis à Socrate.* Et rurſus: *quarum expugnaverant com-plures: in his Byzantium.*

Pag. 340. l. 18. *proponit.* Cornelius Nepos Datame: *ſuo juſſu Mithrobarzanem profectum pro perfuga.* Statim ibidem dele locum Salluſtii, & quæ de illo: nihil enim mutari neceſſe eſt.

P. 341. lin. 34. *fiet?* Noſter lib. 33. *quidnam ſe futurum eſſet profectis in Italiam Romanis.* Ita-que videtur ſcribendum lib. 45, 39. *Quid deinde tam opima præda, tam opulentæ victoriæ ſpoliis fiet?* Cornelius Nepos Ageſilao: *quæreretur que ab eo, quid his fieri vellet.*

Pag. 344. l. 21. *delicuiſſe.* Idem Trinummo: *illico res foras labitur, liquitur.* Potuiſſet dicere: *labitur, decolat,* eodem prorſus ſenſu.

Pag. 347. l. 8. *Corripiendo.* Suetonius Veſpa-ſiano: *ruderibus purgandis manus primus admo-vit.* At locus purgabatur proprie, ruderibus ſeu

reli-

reliquiis prioris delubri in paludes avectis, ut in eadem re Tacitus.

Pag. 353. lin. 13. *ſtare.* Immo potius: *quotidie in aciem exire.* Nam τὸ M Put. habet mutatum in H, literam vero A in X, frequentiſſimo more, de quo alibi. Lib. 23. *nec ſine levibus præliis, nec ut in aciem exirent.* lib. 25. *ut injuſſu prætoris ſignis convulſis in aciem exirent.* Et ſæpius.

P. 353. l. 16. *in occulto.*] Quæ ſequuntur quinque lineis, expunge: cum illa ſcripſi, dormitavi, certe oculis male uſus ſum in excerptis meis. Repone: Put. *Petelliæ ∞ ∞ ∞ equitum peditum duo in occulto.* Regius. *Petelliæ equitum peditum duo in occulto.* Scribe igitur: *Petelliæ tria millia equitum, peditum duo in occulto locata.*

P. 354. l. 24. *nanctus.* Plautus Pœnulo: *quiqui tamen Et bene & benigne facitis.* Cicero 16. ad Att. 11. *veteranos quique Caſilini & Caletiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.*

P. eadem lin. 28. *Salapiani.* Sic à Maſſilia *Maſſilitanum* vinum apud Martialem, à Lilybæo *Lilybætani.*

P. 361. lin. 15. *ſors*, vel *provincia.* Lib. 28. *Prætores exinde ſortiti ſunt: Mox Cæcilius Metellus urbanam, Q. Mamilius peregrinam, C. Servilius Siciliam, T. Claudius Sardiniam.* Lib. 29. *Prætoribus M. Marcio urbana, L. Scribonio Liboni peregrina, & eidem Gallia.* Lib. 33. *Prætores deinde provincias ſortiti, C. Fabricius urbanam, C. Attinius Labeo peregrinam, Cn. Manlius Vulſo Siciliam.* Lib. 39. *Prætores provincias ſortiti ſunt, T. Manius urbanam, M. Licinius Lucullus inter cives & peregrinos, C. Aurelius Scaurus Sardiniam.*

P. 366. lin. 32. reſpuunt. Niſi malis: *parum itinera ſervant.*

Pag.

P. 368. lin. 9. meo. Stephanus: Αἶα πόλις Κόλχων κτίσμα Αἰήτου. Herodotus lib. 1. καταπλώσαντες γὰρ μακρῇ νηῒ ἐς Αἶάν τε τὴν Κολχίδα καὶ ἐπὶ Φᾶσιν ποταμόν. Sæpe & Apollonius. Neque intelligit aliam Valerius Flaccus lib. 6. v. 96. *Illinc juratos in ſe trahit Æa Baternas.* Nam hæc vera lectio eſt. Codex Carrionis peſſime: *ſecum trahit Exabaternas.* Merum portentum, ex quo tamen probat ille *ſecum*, contra œconomiam totius libri. Omnes qui illic recenſentur populi, cum Perſe ſtare finguntur: in quo & olim Baptiſta Pius eſt falſus, dum putat hinc numerari Æetæ auxilia. Lege totum, adde & narrationem prælii: videbis omnes, & qui ante & qui poſt nominantur, infeſtos Æetæ & Colchis induci. Circumlocutio eſt poëtica: Aſt eo ſpatio campi, ubi intermiſtus equiti pedes nihil illi velocitate concedens, ibi urbs Æa, quam prædæ deſtinarunt & hoſtilem habent, attrahit ducitque adverſum ſe bellaturos & in ſe juratos illinc, qui adverſus illam Perſi ſacramento dixerunt vel cum eo conjurarunt, Baternas. Quod nihil eſt aliud quam ſimpliciter: ibi ſtant infeſtis in Æam & Colchos animis Baſtarnæ. Vir doctiſſimus ad Appiani excerpta nequicquam: *ſecum trahit Exa Baternas*: & *Exas* nobis facit populum fœderatum & conterminum Baſtarnis.

P. 377. l. 5. *eſſet.* Rurſus: *ſtabile atque inexpugnabile fuit.* Non abeunt libri ſcripti: induco tamen animum fuiſſe ſcripturam Livii: *& oppidum alia parte clauſum mari, alia ab terra egregie munitum præſidioque valido firmatum, & præcipue fide præfectorum principumque, quæ fluxa & vana apud Orcum fuerat, ſtabili inexpugnabile fuit.*

P. eadem l. 33. *duxiſſet.* An potius: *Haud majo-*

majore certamine, quam Opuntem Attalus, de terra Philippus Thronium cepit. Nam Attalus à mari Opuntem invaſerat.

P. 379. l. 18. Addam obſervationem gratam futuram elegantiæ vere Romanæ ſtudioſis, quoque facilius errores hujuſmodi, qualem hic Rhenanus admiſit, vitent. Imperatorum eorumve quorum auſpiciis aut ductu res geritur, virtus & felicitas eſt; ſociorum, legatorum, militum virtus & fides: itaque illorum fortis & felix, horum fortis & fidelis opera. Hinc illa formula tam frequens: *bene & feliciter geſta republica.* Noſter lib. 41. *C. Claudius gloriaretur, ſua virtute ac felicitate neminem jam cis Alpes hoſtem populi Romani.* At ecce alteram formulam. Lib. 23. de L. Bantio: *ut nemo inde ſociorum rem Romanam fortius ac fidelius juverit.* Lib. 24. de Hiſpanis transfugis: *operaque eorum forti ac fideli perſæpe reſpublica uſa eſt.* Vt & iterum priore libro de aliis ejus generis: *eorum forti fidelique opera in eo bello uſi ſunt ſæpe Romani.* Lib. 31. ad legatos Ptolomæi: *regnique ejus opes ſcire ſubſidia firma ac fidelia ſua reipublicæ eſſe.* Lib. 37. de Maſaniſſa: *in Africa adverſus Syphacem & Carthaginienſes fideliter atque impigre vobiſcum ſtetit.* Lib. 40. de Thurro regulo Hiſpano: *Secutus eſt inde Romanos, fortique ac fideli opera multis locis rem Romanam adjuvit.* Lib. 45. iterum de Maſaniſſa: *populum Romanum ab eo bello Punico forti fidelique opera adjutum.* Et hujus libri hoc ipſo capite: *quam forti fidelique duorum præcipue legatorum opera uſi eſſent.* Quod fruſtra jubet adeſſe correctioni ſuæ Rhenanus. Agricola ad milites apud Tacitum: *ex quo virtute & auſpiciis imperii Romani, fide atque opera veſtra Britanniam viciſtis.* Vides contra morem & decorem Livia-

num

num τὸ *fideliter* hic intruſum, quod poſt optimum Beatum, ut multa alia, ſecuri editores tranſierunt.

P. 380. l. 28 Lib. 25. *Horum prodigiorum cauſſa diem unum ſupplicatio fuit.* Lib. 27. *Senatus ob res feliciter à P. Scipione geſtas, ſupplicationem in unum diem decrevit.* Iterumque: *& ſupplicatio diem unum fuit ex decreto pontificum.* Lib. 45. *ſupplicationem in unum diem populo edixerunt.*

P. 383. lin. 14. *turmatim.* In fine: *tamen nunquam per aliquot inſequentes dies ab excurſionibus equitum leviſque armaturæ ceſſatum eſt.* Rhenanus adjecit τὸ *per*, quod in nullo codice inventum. Vnus ex Pal. perinde ut illius liber: *nunquam prælio quod.* Quorum nulla eſt habenda ratio. Put. Regius, Men. optimus Pal. & *nunquam* & *per* ignorant. Scribe: *tamen aliquot inſequentes dies excurſionibus equitum leviſque armaturæ certatum eſt.*

Pag. 387. lin. 22. *ore ſequi.* Noſter lib. 24. *ut ex eo, utram ſpem ſequatur, conſilium capiat.*

P. 390. lin. 3. *pollet.* Livius lib. 33. *& primo adeo acriter invaſerunt, ut anteſignanos impulerint.*

Pag. ead. lin. 19. *meo.* Lib. 16. epiſt. 1. *ſed ego nihil amplius. is hinc ſeptimo Idus. ait enim &c.* Eodemque epiſt. 4. *Ita ut heri tibi narravi vel fortaſſis hodie (Quinctus enim altero die ſe ajebat) in Neſida octavo Idus. ibi Brutus.*

Pag. 392. lin. 25. *vetus.* Lib. 37. *Pauſiſtratus primo, ut in re necopinata, turbatus parumper, deinde vetus miles celeriter collecto animo.*

Pag. 393. poſt. lin. 7. Cap. 24. *inſita hominibus libidine alendi de induſtria rumores*] Put. reg. Mn. *inſita hominum libidine.* Quanquam alterum frequentius etiam noſtro, non hic tamen ve-

terum librorum ſpernenda auctoritas. Sic lib. 38, 10. *dum in fide Romanæ ſocietatis manſiſſent, inſita gentis tranquillitate quieſſe eos ajebat.* Ita lege: non *quam* vel *quum*.

Pag. 394. poſt lin. 15. Lib. 8. *Non venit in mentem pugna apud Regillum lacum?* Lib. 23. *Veniat in mentem ut trepidos quondam majores veſtros &c. defenderimus.* Lib. 26. in oratione Virrii: *Iam è memoria exceſſit, quo tempore & in qua fortuna à populo Romano defecerimus?*

Pag. 396. lin. 16. habeat. In fine: *Inclinavit eo ſententia, quod tutius cenſebant, univerſos ire.* Put. reg. Petr. Men. duo Pall. arcent τὸ eo. Veriſſime: nam & vitiat genus loquendi puriſſimum & ſcitum. Lib. 32, 13. *fluctuatus animo eſt, utrum protinus in regnum ſe reciperet, an reverti in Theſſaliam poſſet. Inclinavit ſententia, ſuum in Theſſaliam agmen demitteret.* Vbi forte etiam ſcribendum, *demittere.* Vicit pondere ea ſententia, eundem eſſe univerſis, quod videbatur tutius. Tacitus 1. hiſtor, *octo Batavorum cohortes, tum diſcordia temporum à legione digreſſæ, prout inclinaſſent, grande momentum, ſociæ aut adverſæ.*

Pag. 413. lin. 12. edebatur. Plautus Perſa: *redo parem,* quamquam ibi ſit, quæ certaret amando. Lucanus de gladiatoribus: *odere pares.* Noſter lib. 22. *par magis in adverſandum quam collega.*

P. 414. lin. 9. *patiemur.* Ibidem: *cum eo exercitu, quem L. Veturius aut Q. Cæcilius habuit: & ut L. Veturius & Q. Cæcilius ſortirentur inter ſe compararentve.* Et hic ſectione indigent vulgati libri. Olim legebatur: *quem L. Veturius aut Q. Cæcilius, ſortirentur inter ſe:* excluſis mediis. De quo Glareanum non fruſtra dubitaſſe & nos facile confitemur. Sigonius promittit operam ger-

manæ

manæ ſententiæ & ſinceræ ſimul lectionis reſtituendæ. Prodit ex ſcripto: *Cacilius habuit.* Optime, inquit: verum ad locum ſanandum non ſatis: repetenda ſcilicet duo nomina, quæ librario parum diligenti cauſſam dederint errandi: ita nihil perfectius poſſe fingi quam: *quem L. Veturius aut Q. Cacilius habuit: & ut L. Veturius & Q. Cacilius ſortirentur, inter ſeve compararent.* Idque ex illo germanum auctoris eſſe creditum eſt. Laudamus conatum: cæterum deſtituit effectus ejus fiduciam. Quod optimum cenſet *habuit*, id nos ſcimus eſſe librarii audacioris: nam auctor id verbum ex proximo voluit ſubaudiri: *quas C. Servilius ſuperiore anno habuiſſet*: & quidem eadem inclinatione. Deinde unica cynoſura noſtra Put. codex ſic exhibet: *Q. Cacilius ui & ſortirentur.* In quo unica repoſita litera veram habebis lectionem: *hi & ſortirentur.* En totam: *alteri conſuli Sicilia & triginta roſtrata naves, quas C. Servilius ſuperiore anno habuiſſet: permiſſumque ut in Africam, ſi id è republica eſſe cenſeret, trajiceret. alteri Brutii & bellum cum Annibale cum eo exercitu, quem L. Veturius & Q. Cacilius. hi & ſortirentur inter ſe compararentve.* De his poſtremis noſce, quæ diximus ad lib. 42, 4.

P. 415. poſt lin. 26. Lucanus: *at faciles præbere alimenta carinæ Nunc pice nunc liquida rapuere incendia cera.*

P. eadem lin. 31. Itali. Sed & verba *cerare* & *ceratura* ſunt apud Columellam lib. 12, 50. *tum conſiderant, numquid ceram novam dolia deſiderent. nam fere ſexta quaque olivitate cerari oportere antiqui dixerunt. Quod fieri poſſe non intelligo: nam quemadmodum nova vaſa ſi calefiant, liquidam ceram facile recipiunt, ſic vetera non crediderim propter olei ſuccum ceraturam pati. Quam ta-*

men & ipſam ceraturam noſtrorum temporum agricolæ repudiaverant.

Pag. 420. lin. ult. velim. Niſi forte legendum. *Ne ex regno quidem ipſi ſat tranquillæ nuntiabantur res.*

Pag. 425. lin. 2. *ſententiæ.* lib. 26. *de nulla re prius conſules retulerunt, omniumque in unum ſententiæ congruebant.*

Pag. 426. lin. 12. erant. Sic & libertorum *ſervilia imperia* vocat lib. 4. annal. *auctus Maurorum auxiliis, qui Ptolomæo Iuba filio juventa incurioſo, libertos regios & ſervilia imperia bello mutaverant.*

P. 427. lin. 28. conſcenderant. Lib. 41. *& concurſatio in obſcuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hoſtis intra vallum eſſet.*

Pag. 428. l. 17. malo. Sic loquutus Salluſtius Iugurth. c. 97. *Marium jam in hiberna proficiſcentem vix decima parte die reliqua invadunt.* Hæc ſcriptura in ſummæ fidei & reverendæ vetuſtatis libro inventa A. Gellio, ut notat lib. 9, 14. probatur omnino & nobis: ſed quod ille τὸ *die* patrio caſu accipiendum putat, & pleriſque viris doctis perſuaſit; id nihilo verius judico, quam quod apud Virgilium vult: *Munera lætitiamque dii.* Nam Salluſtius ita explicandus: *die vix quod ad decimam partem reliqua*: ut Livius, *die quod ad aliquot horas, ſuperante.*

Pag. 429. lin. 2. *teritur.* Cicero lib. 5. in Verrem: *qui eum non ſolum cognoſcerent, ſed etiam lacrimantes ac te implorantes defenderent.*

Pag. ead. lin. 17. Rhenanum. Cicero lib. 3. in Verr. 96. *qui rempublicam ſiſtere negat poſſe, ni judicia ad equeſtrem ordinem referantur.* Sic ipſe in antiquioribus editionibus legi, ſic & eas & ſcriptas habere fatetur Manutius, cum in contex-

tu retinet, annotatque ingenue malle ſe *ſtare* quam *ſiſtere* ex conſuetudine Latini ſermonis. At quam pudentes, qui ſine ullius immutationis mentione nobis dederunt *ſubſiſtere?* Ego vero illud arctiſſime teneo: nam *ſiſtere rempublicam poſſe* eſt idem quod Livio *ſiſti poſſe*. Plautus Captivis: *qui obſtiterit, ore ſiſtet*. Et qui dixerat in Milite: *capite ſiſtebas cadum*; idem in Curculione: *quin cadat, quin capite ſiſtat in via*. Tacitus 4. annal. *Vis tu quidem in tra iſtum locum ſiſtere*.

P. 434. lin. 12. Romani. Adde: politiores. nam vetuſtiſſimos *diu* pro *die* dixiſſe ex Nonio notum, & uſurpavit Salluſtius ſectator talium.

Pag. 436. lin. 10. *fin*. Sed & *proximos memoriæ temporum* defendit Livius lib. 25, 11. *Ceterum defectio Tarentinorum utrum priore anno an hoc facta ſit, in diverſum auctores trahunt. plures propioreſque ætate memoriæ rerum hoc anno tradunt factam*. Sic lege. non *factum*.

Pag. 437. l. 33. Lib. 28. *quibus non lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia veſtis*. Et rurſus: *corpora* &c.

P. 442. lib. 27. *fratris*. Non aliter Moguntina & Eucharii Cervicorni.

P. 443. lin. 2. & quæ aliquot ſequuntur, aufer Ovidii locum: neque enim eo opus, cum quod præcipuum erat in eo animadvertendum, præceperit, ut nunc video, Scaliger.

Ead. pag. l. 27. Nam & lib. 12, v. 79. *per vos Tyrrhena faventum Stagna deum, per ego & Trebiam cinereſque Sagunthi Obteſtor*: prima editio Romæ facta, ubi nunc vulgati codices: *Vos per Tyrrhena*.

P. 447. lin. 23. *cognoſſe*. Plautus Curcul *quibus ſui nihil eſt, niſi lingua una, Qui abjurant, ſi*

 quid

quid creditum eſt. Cicero in primo de officiis: *quæ contemplantes expendere oportebit, quid quiſque habeat ſui.*

Pag. 451. lin. 19. *bene.* Idem Bruto apud Ciceronem lib. 1. de divinat. *Perpropinqua hæc bene verruncent populo.*

P. 456. lin. 35. *campo.* Lib. 27. *ita pecorum modo incompoſitos toto paſſim campo ſe fudiſſe, ut ſterni obterique poſſint.* Lib. 40. *Sparſi enim toto paſſim campo ſe diffuderunt.*

P. 472. poſt lin. 24. Cicero lib. 1. in Verrem: *Quid judices? non crimina, non teſtes, non exiſtimationem populi Romani ſequentur? non: omnia in unius poteſtate ac moderatione vertentur.*

Pag. 473. lin. 3. Apud Ciceronem Philipp. 13. *eos, qui me præcipitem egerint.*

P. 479. lin. 12. *dixiſſet.* Salluſtius Iugurth. *Marius cum Ligure promiſſa ejus cognitum ex præſentibus miſit, quorum uti cujuſque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem renuntiavere.* Noſter, lib. 9, 36. *Tum ex iis qui aderant (Conſulis fratrem Fabium Cæſonem alii, C. Claudium quidam matre eadem, qua conſulem, genitum tradunt) ſpeculatum ſe iturum profeſſus.* Quem locum male tractarant. Lib. 44. *Pantauchum miſit ex fidiſſimis amicis ad ea perficienda.* Talia ſunt lib. 5. *Eodem anno M. Cæditius de plebe nuntiavit tribunis.* Lib. 6. *poſſeſſionemque honoris uſurpati modo è plebe per paucos annos, recuperaſſe in perpetuum Patres viderentur.* id eſt, ab hominibus è plebe.

P. 487. poſt l 6. Lib. 38. *Servos ſeu fugitivos, ſeu bello captos, ſeu qui liber captus aut transfuga erit, reddito Romanis ſociiſque. Elephantos tradito omnes, neque alios parato. Tradito & naves longas.*

P. 495. l. 35. *Romanos facere.* Lib. 45. in concione Servilii: *quum tam ſeditioſos & leves milites, tam*

nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad inſtigandam multitudinem inimicum in caſtris haberet, nullam in exercitu ſeditionem habuit. Eadem ſeveritas imperii, quam nunc oderunt, tunc eos continuit: itaq; antiqua diſciplina habiti, neq; fecerunt.

P. 504. l. 6. *referret.* Cicero lib. 5. in Verrem: *multas pecunias iſti erogatas in operum locationes falſas atque inanes eſſe perſcriptas.* Tacitus 16. annal. *Ipſum dehinc Silanum increpuit, tanquam diſponeret imperii curas, præficeretq; rationibus & libellis & epiſtolis libertos; inania ſimul & falſa.*

Pag. 506. lin. 10. Plinius utrumque etiam verbum conjungit lib. 6. epiſt. 16. *quo libentius ſuſcipio, depoſco etiam, quod injungis.*

P. 508. l. 35. *Pelops.* Habes idem nomen primi archontum, qui denis annis præfuerunt, Athenis apud Vellejum lib. 1.

P. 509. l. 30. relaturos. Lib. 2. *Relata re ad ſenatum adeo fuit gratum Patribus, ut & captivorum ſex millia Latinis remitterent, & de fœdere, quod prope in perpetuum negatum fuerat, rem ad novos magiſtratus rejicerent.*

P. 515. l. 28. *mutarunt.* Lib. 28. *ſaxis undiq; circa ex propinquis vallibus congeſtis augent vallum, munimento ſeſe, quando in armis parum præſidii foret, defenſuri.*

P. 520. l. 11. *futurum.* Ita cum fuiſſet olim in editis & inveniret Gruterus in ſuis Pall. non debuit probare Victorianum: *tantum non aratoribus Metellus obſides dedit.* Eſt enim non obſervata hac formula mutilatum.

P. 525. l. 3. *fuit.* Et eodem libro: *Medium erat in Anco ingenium & Numæ & Romuli memor.*

Pag ead. lin. 23. *inquiſſimus.* Cicero in Verrem lib. 5. *Ego mei jam rationem officii confido eſſe omnibus iniquiſſimis meis perſolutam.* Ad fra-

crem: *ne cui iniquo relinqueremus vituperandi materiam.*

P. 527. l. 32. videat. Sed & illud *ab contemtu* Livianum eſſe patet ex his lib. 6. *Quibus ab contemtu (quod prope omnem deletam à Gallis Romanam juventutem crederent) ad bellum profectis, tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat.*

P. 529. l. 7. *voverat.* Sic lib. 26, 3. *diemque comitiis ab C. Calpurnio pratore urbis petit.* De eodem cap. 10. *C. Calpurnium pratorem urbanum Capitolio atque arci praeſſe.* Habes lib. 27. cap. 22. P. Licinio Varo eveniſſe provinciam urbanam. De eodem legis deinde: *P. Licinio Varo pratori urbis negotium datum.* Neque eo minus capite ſequenti: *P. Licinius Varus prator urbis legem ferre ad populum juſſus.*

P. 533. l. 20. Aldina. Moguntini ediderant: *eam rem rati maturatam dilatamve non magni momenti ad ſummam rem Po. Romani eſſe.* Gelenius quaſi argueret eos oculis male uſos aut licenter interpolantes, ſine cauſſà ait hic quoque mutatam lectionem, cum ſit in manuſcripto: *eam rem eſſe rati, quæ maturata dilatave* &c. Nimis ipſe vellem librum videre: fateor enim meis auribus accidere multo ſuavius: *eam rem rati maturatam dilatamve non magni momenti ad ſummam rempublicam populi Romani eſſe.* Vereor ne Celeniana fuerit ab ſecunda manu, & illi priſcæ veſtigia ſint ſecuti.

P. 537. l. 2. *obſervabant.* Lib. 26. *cum monuiſſet præfectos navium, ut vigilias nocturnas intenti ſervarent.* Seneca de tranquill. animi c. 3. *vigiliaſque ſervat & armamentario praeſt.*

P. 540. l. 32. *aguntur.* Et lib. 3. de ira c. 2. *Sine more, ſine auſpiciis, populus ductu iræ ſuæ egreſſus fortuita raptaque pro armis geſſit; deinde magna clade temeritatem audacis iræ luit.* Sallustius Iu-

gurth.

gurth. *quibus illi freti non, uti equeſtri prælio ſolet, ſequi, dein cedere; ſed adverſis equis concurrere.* Et inferius: *Numidæ ab Iugurtha pro tempore parat inſtructique ſunt: dein prælium incipitur.*

P. 543. l. 7. ſuſtulit. Tale eſt apud Tacitum lib. 3. hiſtor. c. 10. *Rapiuntur arma, & ut proditionis ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento.* Qui locus injuria in omnibus melioribus editionibus infamem habet notam, quam me auctore in poſterum levent, licet. *Ira* eſt & ejus, qui iraſcitur, idque vulgare, & ejus rei, ob quam iraſcimur: hoc non vulgare, ſed tamen probum: nam ſic apud Livium, *ira vulnerum, ab ira interfectæ ſtationis.* Vtrumque igitur poſſeſſivũ caſum eo, cujus tot exempla dedimus, more ei voci prægnante brevitate adjungit Cornelius. *Vt proditionis ira militum*, eſt militum quaſi proditionis ira, quaſi ob proditionem concitata. Lipſius voluerat: *& ut proditionis auctorem ira.* Pichena: *& ut proditorem ira militum.*

P. 553. l. 27. *dicit.* Noſter lib. 45. *Iam primum cum legionibus diem dixit, non auſpicato templum intravit, vitio diem dictã eſſe augures, quum ad eos relatũ eſt, decreverunt.* Et mox: *quod vitio dies exercitui ad conveniendũ dicta erat, Romæ manſerant.*

P. 559. lin. 34. Quintio. Lib. 39. *Sempronius, cui ſors comitia habendi obtigerat.*

P. 565. l. 26. fuerit. Lib. 25. *Quo diutius trahebatur bellum, & variabant ſecundæ adverſæque res non fortunam magis quam animos hominum.*

P. 567. l. 21. maluit. Lib. 25, 40. *ſocios ad retinendos in fide animos eorum ferendoque in tempore cuique auxilium adiit.* Sic optimi codices, non *ferendumque*, ut vulgo. Adiit ſocios partim ut eorum animos retineret in fide, partim dum fert iis auxilium contra imminentes Romanos.

Pag.

P. 575. lin. 13. *arceſſendas*. Plautus Sticho: *quid gravare? cenſeo Eas: neſcio quid vero habeo in mundo.* Cicero 7. famil. 13. *Treviros vites cenſeo.*

Pag. ead. lin. 30. *momento*. Sed vulgatum tueri potes loco non ſemel citato lib. 33, 45.

P. 577. l. 29. Si omnino mavis *utræque manus*, potes defendere his locis lib. 42. *Sex nobis filii, duæ filiæ ſunt, utræque jam nuptæ.* etſi facile poſſis *utraque*. Et inferius de Elatia & Gonno: *Vtraque oppida in faucibus ſunt, qua Tempe adeuntur; magis Gonnus.* Habet frequenter Tacitus.

P. 589. l. 1. *cerneret*. Tacitus lib. 15. annal. 14. *Illum locum tempuſque conſilio deſtinatum, quid de Armenia cernerent. adjeciſſe deos dignum Arſacidarum, ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerent.* Qui locus mirifice ingenia vexavit eruditorum. Et ſententiam quidem non imperceptam habuit Zinzerlingus: ſed in verbis nihil eſt mutandum *Conſilium, quid de Armenia cernerent*, quidq; (nam hoc ἀπὸ κοινοῦ repetendum) *de legionibus ſtatuerent*, eſt conſilium habendum ſeu quod agitaretur de eo, quid decernerent de Armenia, & quid ſtatuerent de legionibus. Dediſſe deos, ait, ut liceat tandem adjicere rem dignam gloria Arſacidarum, illud quodque tempus eſſe locumque deſtinatum conſilio, quo deliberarent, quam legem ſalutis velint dicere clauſis captiſque legionibus.

Pag. 590. lin. 7. facere. Phædrus fab. 77. *Reſpondit: ne quis diſcat prodeſſe improbis.* Hoc eſt, ut quis diſcat non prodeſſe improbis.

P. 596. l. 32. *equo?* Lib. 27. de Maſſiva *ibi prolapſo equo effuſum in præceps.* Et de Philippo: *equus pilo trajectus quum prolapſum per caput regem effudiſſet.* Lib. 39. de Philopœmene: *prolapſo equo & ſuo ipſe caſu & onere equi ſuper eum ruentis haud multum abfuit, quin exanimaretur.*

Pag.

Pag. 598. l. 29. ſubinde. Immo & Cicero Catone majore: *ut urbium expugnationes, ut pedeſtres navaleſve pugnas*. Seneca 1. de clementia cap. 11. *tot civilibus bellis fruſtra petitum caput, tot navalibus, tot pedeſtribus præliis incolume.* Noſter lib. 23. *pedeſtres navaleſque copias.* Habet etiam lib. 28, 1. lib. 35. 37.

Pag. 607. lin. 18. Lib. 24. *Cum duobus Romanis relata Numida legatoſque in Hiſpaniam miſit ad accipiendam fidem ab imperatoribus Romanis.*

P. 611. l. 16. Lib. 26. *quia ſi evaſiſſent aliqua, velut feras beſtias per agros vagari & laniare.*

Pag. 617. lin. 32. *moles.* Lib. 27. *& qui aderant, itinere ac vigiliis feſſi, intolerantiſſima laboris corpora, vix arma humeris geſtabant.*

P. 618. l. 29. Ferratius. Et ſic reſtituendum Eumenio in oratione pro reſtaurandis ſcholis cap. 5. *& inter illas imperatorias diſpoſitiones longe majoribus ſummæ reipublicæ gubernandæ proviſionibus occupatas literarum quoque habuere dilectum.* Vbi perperam editur, *ſummis.* Minutius Felix: *nec pullos caveâ recluſos, quorum cibo vel faſtidio reſpublica ſumma regeretur.*

P. 627. lin. 18. *patre.* Sed & ſine caſu habes apud Plautum Sticho: *Stichus obſonatus eſt: cæterum ego curando id allegavi.*

P. 637. ante l. 1. Cap. 28. *Quo in numero me apud vos eſſe velitis, referte.*] In Moguntino fuit, *refert*, quod exturbavit Sigonius, mihi autem multo elegantius videtur. Senſu quo lib. 8. *Id referre tantum, utrum ſupplicia noxio paucorum an omnium innoxio præbeant ſanguine:* & lib. 25. *id referre, utrum præbentes corpora pecorum modo inulti trucidentur, an toti à patiendo exſpectandoque eventu in impetum atque iram verſo agentes audenteſque*, &c. Non opus eſt pluribus: id refert, in eo cardo

re-

rei verſatur, qualem me eſſe vobis velitis, utrum inimicum & hoſtem, an amicum & ſocium. Sed difficultatem facit defectus relativi, quod in duobus allatis exemplis reperitur, nempe, *id referre*. At eodem modo intelligitur apud Senecam lib. 3. de benefic. 7. *Quid ſit enim beneficium, non conſtat: deinde quantumcumque ſit, refert quam benigne illud interpretetur judex.* Lib. 2 de ira c. 19 *Refert, quantum quiſque humidi in ſe calidique contineat. cujus in illo elementi portio prævalebit, inde mores eunt.* Hujuſmodi ellipſin valde frequentem eſſe noſtro non ſemel monſtravimus. Sic *eſſe* pro *hoc eſſe*. Lib. 4. in verbis conſulum contra Canulejum: *Sed audeat Canulejus in ſenatu proloqui,* &c. *quid eſſe aliud quam minari ſe proditurũ patriam?* Cicero Philippica 1. *Non igitur provocatio iſta lege datur, ſed duæ maxime ſalutares leges quæſtioneſque tollũtur. Quid eſt aliud igitur, quã adhortari adoleſcentes, ut turbulenti velint eſſe.* Lib. 6. in concione Appii: *Timeo, inquit, ne ſi duos licebit creari patricios, neminem creetis plebejum. Quid eſt dicere aliud, quia indignos* &c. Alius poſuiſſet: *Quid hoc eſt dicere aliud.* Lib. 10, 13. *peccaſſe quidem ſeſe atque inſaniſſe fatebatur; ſed non tum demum, quum arma adverſus populum Romanum cepiſſet. exitum ſui furoris fuiſſe, non principium.* Hoc eſt, hoc exitum fuiſſe. vel, eum exitum fuiſſe. Eſt enim perinde conceptum, ut lib. 23. *ſi Annibali, vix per ſe ipſi tolerando Italiæ hoſti, Aſdrubal dux atque Hiſpanienſis exercitus eſ*[illegible] *junctus, illum Romani finem imperii fore.* Et lib. 45. *majores veſtri omnium magnarum rerum & principia exorſi ab diis ſunt & finem eum ſtatuerunt.* Hoc diſſimile, quod illic pronomen abeſt, hic adeſt. Sic *facere* pro id facere lib. 31, 18. *ſi bello laceſſieritis, mihi quoque animo eſt facere.* Ut reſtituimus ex mss. & in his addendis

dis locum ex lib.45.adjecimus. lib. 41. *notæ fortitudinis virum inferre ſignum juſſit. Ille ſi unum ſequerentur, quo celerius fieret, jacturum dixit.* Lib.6,4. *dies deinde præſtitutus, capitaliſque pœna, qui non remigraſſet Romam.* Sigonii maculoſus liber: *niſi remigraſſent.* Et illi placet. Haudquaquam nobis, qui ſcimus intelligere. Livium, *ei*, vel *in eum.* Vt lib. 10. *Præſtituta die, quarum rerum non exſtitit dominus, militi conceſſæ.* Nempe, illæ. Eodemque cap. 25. *hodierno & craſtino die qui nomina dederitis, mecum ducam.* Nam *qui dederitis* eſt dictum, ut, *Achæi ſuſtinebimus*, lib. 32, 21. ne Sigonii, *dederint*, malis. Lib. 24. *quibus prorogatum imperium erat, eaſdem quas priore anno regiones obtinuerunt.* lib. 29, 6. *percontantibus, ut mos eſt qui diu abſunt.* Sic mss. Addiderant in vulgatis, *iis qui diu abſunt.* Adde ad lib. 40, 16.

P. 643. l. 25. conglobatorum. Lib. 24. *Et erat confuſa concio, non populari modo, ſed militari quoque turbis, magna ex parte etiam perfugis, qui omnia novare cupiebant, permiſtis.*

P. 650. l. 16. dele hemiſtichion Ovidii: eſt enim memoriæ error, cum ibi ſit *trepidos*, non *miſeros.* Repone autem: quam miſeria? Cicero pro Cluentio: *Quod ſi qua calamitas hunc in hoc judicio adflixerit innocentem, næ iſte miſer* &c. Pro Muræna: *ſi hunc ſententiis veſtris adflixeritis, quo ſe miſer vertet.* Pro Sulla: *jam impedior egomet dolore animi, ne de hujus miſeria plura dicam.*

Pag. 654. lin. 22. auctor lib. 8. *Romani conſules priuſquam educerent in aciem, immolaverunt.*

P. 657. l. 2. Et Priſcianum: *A metallorum quoque nominibus ſolent naſci verba, ut ab auro, auro, auras; ab ære æro, æras; unde auratus & æratus.*

Ead. pag. l 9. locent. Gellius lib. 9. 11. *Statuam Corvino iſti divus Auguſtus in foro ſuo ſtatuendam curavit.*

Pag.

Pag. 660. l. 5. *res.* Lib. 6, 16. *omnia parentum beneficia ab illo ſe habere: illi devovere corporu vitæque ac ſanguinis quod ſuperſit.* Vbi ſolita modeſtia Sigonianus: *illi ſe devovere.*

Pag. 671. lin. 5. *induxerunt.* Immo & Cæſar lib. 3 Gall. *in Sontiatium fines exercitum introduxit.*

Pag. 682. l. 24. *quærens.* Idem de conſtantia ſapientis: *aliquando etiam obirati potentibus, detegemus hunc affectum intemperanti libertate.*

Pag. 662. l. 25. *res fuit.* Lib 3. *Et illa quidem nocte nil præterquam vigilatum eſt in urbe.* Suetonius Caligula: *Nihil autem amplius quam Adminio Cinobellini Britannorum regis filio in deditionem recepto: quaſi univerſa tradita inſula, magnificas Romam literas miſit.* Nerone: *ſe in conſpectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum.* Veſpaſiano: *neque illam quicquam aliud quam cachinnaſſe.*

Pag. 716. lin. 9. *mactetur.* Cicero in Piſonem: *Tum quidem tibi etiam acceſſio fuit ad necem Platoris Pleuratus ejus comes, quem necaſti verberibus.*

Pag. 710. l. 26. *conatus* &c. Cicero lib. 15. famil. epiſt. 10. *Quando id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, (mirificus enim generis ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus) quādo ergo ita accidit, ut omnium veſtrum ſtudio tuus conſulatus ſatisfacere poſſet.* Qui locus valde ſimilis eſt Liviano: nam ut illic pro, *aut conſule aut rege*, in repetitione eſt, *neutro imperatorum*: ita hic cum prius fuiſſet, *omnium Marcellorum & Marcellinorum*, ſequitur, *omnium veſtrum.*

FINIS.

ISMAELIS BULLIALDI

EPISTOLA

De Defectu ſolis, cujus meminit Livius lib. XXXVII.

AD

JOHANNEM FREDERICUM GRONOVIUM.

ISN

I

facturus
Livium
Gronov
donicum
confectu
V. C. ad
faciliore
quæ faſ
create p
norum
poſſim
neceſſit
ab V. C
totius
ri urbe
tinend
locis r
primu
tempo
bus in

ISMAEL BVLLIALDVS
IOH. FRED. GRONOVIO
S. D.

De vero tempore ejuſque circumſtantiis inquiſiturus, quo ſolis defectus à Livio adnotatus eſt lib. 37. ab urbe condita, L. Cornelio Scipione, C. Lælio Nepote Coſs. operæ pretium facturus videor, ſi conſulares Faſtos, prout apud Livium extant, hic tibi ſubjiciam, Doctiſſime Gronovi, ab initio ſecundi belli Punici ad Macedonicum ultimum per L. Æmilium Paullum confectum, ſinguliſque conſulatibus annos ab V. C. adſcribam: argumenti etenim mei texturam faciliorem reddidero, tibique lectu jucundiorem, quæ faſtidium alias, vel minimum implicita, creare poſſit. Vtque ſeriem illam conſulum annorumque numerum ex Livii mente digerere poſſim concinneque compingere, incumbit mihi neceſſitas imprimis inveſtigandi, quoties fuerit ab V. C. annus primus ſecundi belli Punici, quo totius orbis celeberrimæ opibus & virtute militari urbes, genteſque bellicoſiſſimæ de imperio retinendo armis inter ſe concurrerunt. Duobus ex locis rationem inire poſſumus annorum ab V. C. primum ex libro 30. ſub finem, ubi Livius tempora ac momenta pacis cum Carthaginienſibus initæ ac belli renovati expendit. *Annis* (inquit)

quit) *ante quadraginta pax cum Carthaginienſibus poſtremo facta erat, Q. Lutatio A. Manlio Coſſ. Bellum initum annis poſt tribus & viginti, T. Cornelio Scipione T. Sempronio Conſulibus; finitum eſt* XVII. *anno Cn. Cornelio P. Ælio Pato Coſſ.* Habemus itaque ſpatium temporis, quod interceſſit à bello Punico primo finito ad ſecundum pace iterum compoſitum, annos nimirum pacis viginti tres & belli ſeptendecim. Quot annos vero Punicum bellum primum protractum ſit, docet ipſe libro 9. Hiſtoriar. ab V. C. (cum Alexandri Magni in Aſiam expeditionem, ejuſque avunculi Alexandri Epirotæ res in Italia geſtas cum Romanis ducibus, belliſque à populo Romano ſuſceptis componit) cujus hæc ſunt verba: *Equidem cum per annos quatuor & viginti primo Punico bello claſſibus certatum cum Pœnis recordor; vix ætatem Alexandri ſuffecturam fuiſſe reor ad unum bellum.* Cum ergo junxerimus hos viginti quatuor annos annis ſuperioribus 40, colligemus annos 64, qui exacti ſunt ab inchoante bello Punico primo ad ſecundum finitum, quibus adjectis ad annos V. C. ad bellum Punicum primum elapſos quadringentos octoginta octo, conficitur ſumma annorum elapſorum ad pacem cum Pœnis iterum initam quingentorum quinquaginta duorum, & propterea annus, quo Cn. Cornelius & Ælius Pætus conſulatum geſſerunt, cepitque annus primus pacis, erit ab V. C. IↃ LIII.

Alius occurrit annorum λογισμὸς apud eundem auctorem ſtatim in limine lib. 31, unde colligitur annus, quo Coss. fuerunt C. Cornelius & Ælius Pætus, ab urbe condita quingenteſimus quinquageſimus ſecundus. Livii verba ſic ſe habent. *Tamen cum in mentem venit tres & ſexaginta annos (tot enim ſunt à primo bello Punico ad ſecun-*

ſecundum bellum finitum) æque mihi multa volumina occupaſſe, quam occuparint 488. anni à condita urbe ad App. Claudium conſulem, qui primus bellum Carthaginienſibus intulit. Annis itaque 488. elapſis, poſtquam exactos 63. junxerimus, annos colligemus ab V. C. ad primum annum pacis iterum cum Pœnis initæ 551. elapſos, & currentem 552, in quem juxta hunc poſteriorem calculum cadit conſulatus Cn. Cornelii & P. Ælii Pæti. Retento igitur priori annorum numero, attributoque anno urbis conditæ 553, conſulibus Cornelio & Pæto, neceſſe erit alligari annum primum ſecundi belli Punici anno ab V. C. 536, quo conſulatum geſſerunt P. Cornelius Scipio, T. Sempronius Longus, à quibus conſulum ſeriem deducemus.

A.V.C.	Nomina Conſulum.	
536	*P. Cornelius Scipio* *T. Sempronius Longus.*	
537	*Cn. Servilius* *C. Flaminius.*	Eclipſis ſolis Februarii XI in forma Iuliana in Inſula Sardinia viſa.
538	*C. Terentius Varro* *L. Æmilius Paullus.*	
539	*L. Poſthumius.* III. *T. Sẽpronius Gracchus.*	Poſthumio ſuffectus, M. Claudius Marcellus huic Q. Fabius Maximus III.
540	*Fabius Maximus* IV. *M. Claudius Marcellus* III.	
541	*Q. Fabius Max. F.* *Tib. Sempronius Gracchus* II.	
542	*Q. Fulvius Flaccus* III. *Appius Claudius Pulcher.*	

A.V.C.	Nomina Conſulum.	
543	*Cn. Fulvius Centumalus* *P. Sulpitius Galba.*	
544	*M. Claudius Marcellus* IV. *M. Valerius Lævinus.*	
545	*Q. Fabius Maximus* V. *Q. Fulvius Flaccus* III.	
546	*M. Claudius Marcellus* V. *T. Quinctius Criſpinus.*	
547	*C. Claudius* *M. Livius Salinator.*	
548	*L. Veturius Philo* *Q. Cæcilius.*	
549	*P. Cornelius Scipio Africanus* *P. Licinius Craſſus.*	
550	*M. Cornelius Cethegus* *P. Sempronius Tuditanus.*	
551	*Cn. Servilius Cæpio* *Cn. Servilius Geminus.*	Eclipſis ſolis Maii die 6. hor. poſt meridiem 3. Fruſinone viſa.
552	*M. Servilius Geminus* *Tiber Claudius Nero.*	Eclipſis ſolis Octob. 19 H 10 ' 24 Cumis obſervata ante meridiem.
553	*C. Cornelius Lentulus* *P. Ælius Pætus.*	
554	*P. Sulpitius Galba* *C. Aurelius Cotta.*	
555	*L. Cornelius Lentulus* *P. Villius Tappulus.*	
556	*S. Ælius Pætus* *T. Quinctius Flaminius.*	

A.V.C.	Nomina Conſulum.	
557	*Cn. Cornelius Cethegus* *Q. Minutius Rufus.*	
558	*L. Furius Purpureo* *M. Claudius Marcellus.*	
559	*L. Valerius Flaccus* *M. Portius Cato.*	
560	*P. Cornelius Scipio Africanus* II. *Tib. Sempronius Longus.*	
561	*L. Cornelius Merula* *Q. Minutius Thermus.*	
562	*L. Qinctius* *Cn. Domitius Ahenobardus.*	
563	*P. Scipio Cn. F. Naſica* *M. Acilius Glabrio.*	
564	*L. Cornelius Scipio* *C. Lælius Nepos.*	Eclipſis ſolis Martii 14. in ortu ſolis Romæ viſa.
565	*M. Fulvius Nobilior* *Cn. Manlius Volſo.*	Romæ intercalatum hoc anno.
566	*M. Valerius Meſſala* *C. Livius Salinator.*	Eclipſis ſolis Iulii 17. H. 11. 50. mane juxta Tabb. Rudolphinas totalis.
567	*M. Æmilius Lepidus* *C. Flaminius.*	
568	*Spurius Poſthumius Albinus* *Q. Martius Philippus.*	
569	*Appius Claudius Pulcher* *M. Sempronius Tuditanus.*	
570	*P. Claudius Pulcher* *L. Portius.*	

A.V.C.	Nomina Conſulum.	
571	*M. Claudius Marcellus* *Q. Fabius Labeo.*	
572	*Cn. Bæbius Tamphilus* *L. Paulus Æmilius.*	
573	*P. Cornelius Cethegus* *M. Bæbius Tamphilus.*	
574	*A. Poſthumius Albinus Luſcus* *C. Calpurnius Piſo.*	
575	*L. Manlius Acidinus* *Q. Fulvius Flaccus.*	
576	*M. Iunius Brutus* *A. Manlius Volſo.*	
577	*C. Claudius Pulcher* *Tib. Sempronius Gracchus.*	
578	*C. Cornelius Scipio Hiſpalus* *Q. Petillius Spurinus.*	
579	*M. Æmilius* *Deeſt alter.*	
580	*Spurius Poſthumius* *Q. Mutius.*	
581	*L. Poſthumius Albinus* *M. Popillius Lænas.*	
582	*C. Popillius Lænas* *P. Ælius Ligus.*	
583	*P. Licius Craſſus* *C. Caſſius Longinus.*	
584	*M. Hoſtilius* *Alter excidit è faſtis.*	Intercalatum hoc anno tertio die poſt Terminalia Kalendæ intercalares fuere.

A.V.C.

A.V.C.	Nomina Conſulum.	
585	*Q. Martius Philippus* *Q. Servilius Cæpio.*	
586	*L. Æmilius Paulus* *C. Licinius Craſſus.*	Ecliplis Lunæ totalis Junii 21. H. 8. 25. in Macedonia.
587	*Q. Ælius* *M. Iunius.*	Intercalatum hoc anno poſtridie Terminalia.
588	*M. Claudius Marcellus* *Sulpitius Galba.*	

Hæc conſulum ſeries integra apud Livium extat. In numerandis porro annis ſecuti ſumus veterum librorum veſtigia, numerantes annos 488 A.V.C. ad initium belli primi Punici. Ms. liber Bibliothecæ Thuanæ, etſi non bonæ notæ nec antiquus valde, præfert annos 478 integris ſyllabis expreſſa ſcriptura, non vero notis numeralibus: error equidem inde natus eſt, quod unius denarii nota omiſſa ſit ab obſcitantibus librariis. Propterea aſſentiri Sigonio non poſſum, annum ab urbe condita 532 computanti, quo Conſules fuerunt P. Cornelius Scipio, Tiberius Sempronius Longus, ac deinceps alliganti conſules Æmilium Paullum II & C. Licinium Craſſum anno A.V.C. 582 nec inſuper aliis qui aliam epocham urbis conditæ ſtatuunt quam annum 3 Olympiadis VI ad finem vergentem. Non errat Sigonius, quantum ad intervallum ſpectat: eſt annorum equidem 50, quod certiſſimè demonſtrant duæ Eclipſes, una Solis, altera Lunæ. Defectus ille ſolis contigit anno 537 jam jam ineunte ſtatim, ubi Magiſtratum inierunt Cn. Servilius & C. Flaminius conſules, vel paulo ante

quam inirent, idque vulgari per conſules annos computandi methodo: ſed juxta epocham à Palilibus deductam anno 536 exeunte contigit. Illum ſolis defectum deſcribit Livius lib. 22. verbis, rudem in Aſtronomicis Sardorum plebem atque etiam Pop. Rom. arguentibus, quæ talia ſunt: *In Sardinia inſula Solis orbem minui viſum.* Cadit illa ſolis Eclipſis in annum 217 currentem ante Æram Chriſti vulgarem Februarii die xi in forma Iuliana H. 4. 57′ poſt Meridiem in inſula Sardinia. Tunc temporis fuit verus locus Luminarium juxta Tabb. Rudolphinas in gradu 18. 52′ 33″ aquarii. Intervallum inter veram & viſam conjunctionem H. 1. 21′ addendum, ut viſa ſynodus cadat tempore medio in Sardinia H. 3. 18′ tunc fuit vera latitudo Lunæ Septentrionalis deſcendens 22′ 4″ Parallaxis Latitudinis lunæ in Auſtrum 30′ 24″ unde ablata latitudo lunæ vera Septentrionalis Deſcendens relinquit viſam latitudinem Merid. Deſcend. 18. 20″ Semidiameter Solis eſt 15′. 19″ Lunæ. 6′ 13″. aggregatum ſemidiametrorum 31′. 32″ & proinde pars deficiens 23′. 12″ atque digiti Ecliptici 9. 6′.

Altera Eclipſis Lunæ, quæ ſpatium prædictum definit, ea eſt, quæ accidit L. Æmilio Paulo & Licinio Craſſo conſulibus, quæ à præcedenti diſtat annis integris 49, menſibus 4 cum ſemiſſe fere, congruit enim anno ante Chriſti natalem vulgarem 168 currenti & celebrata eſt Iunii die 21. H. 7. 25′ Vraniburgi, at in Macedonia H. 8 25′. Locus ſolis verus tunc fuit in Geminorum gr. 25. 42′. 13″ Lunæ in Sagittarii gr. 25. 42′ 13″ Latitudo merid. Aſcend. gr. 0. 17′ 46″ Semidiameter Lunæ 15′ 49″ Vmbræ correcta 42. 13′ Aggregatum Semidiametror. 58′. 2″ pars deficiens

ficiens 40′. 16″ digiti ecliptici 15′. 17′ tempus dimidiæ durationis colligitur Hor. 2. Incidentiæ horæ. 1. 12′ moræ dimidiæ 48′ hinc datur in Macedonia initium H. 6. 25′ totalis obſcuratio H. 7. 37′ medium H. 8. 25′ emerſio H. 9. 13′ finis H. 10. 25′ Occidit Sol eo die H. 7. 29′: oriebatur itaque Luna cum adhuc illuminatus ſupereſſet digitus unus cum triente. Lunaris ille defectus contigit anno Nabonaſſari 580 Pachon 21. H. 8. 25′ Faſti itaque pleni ſunt, nec alicubi per intervallum illud dehiſcunt.

Vt igitur ad propoſitum veniamus, & attente expendamus, an eclipſis quæ facta narratur, quam quoque Tabb. Aſtronomicæ oſtendunt anno V. C. 564 ante Chriſtum 190 Martii 14 oriente ſole juxta tabulas Rudolphinas digitor. XI. contigerit die A. D. V. Idus Quintiles anni Romani prout à Livio refertur lib. 37 ſtatim in limine, cujus ejuſmodi ſunt verba: *Per eos dies, quibus eſt profectus ad bellum Conſul, ludis Apollinaribus, A. D. V. Idus Quintiles cœlo ſereno interdiu obſcurata lux eſt, cũ Luna ſub orbem Solis ſubiiſſet.* Primum adducemus ſententiam virorum Chronologiæ & temporum ſcientiæ peritiſſimorum Ioſephi Scaligeri & Dionyſii Petavii. Illi hujus eclipſeos momentum & diem in anno veteri Romano, quomodo à Livio narratur, adhibent, ut id conferant cum anni Iuliani menſe & die, quibus congruebat, indeque concludant luxationem & προέμπτωσιν veteris anni Romani. De eo Scaliger lib. 2. de emend. temp. c. ultimo, ubi de veteri anno Romanorum agit, ſic ſcribit. *A. V. C. 561. M. Acilio Glabrione, P. Cornelio Scipione Naſica Coſs. defecit ſol, A. D. V. Eid. Quintiles anno Periodi Iulianæ 4524 Martii 14 feria 6. Ex ante diem V Eid. Quintil. ad exitum*

anni ſunt dies 163. quia XIV. *Martii putati deſinunt in 24 Auguſti: ergo Ianuarius ſequens capit 25 Auguſti Iuliani.* In eandem ſententiam abit Dionyſius Petavius Lib. 9. de doct. temp. c. 47. his verbis: *Ac Ianuarius quidem Romanus per illud tempus in Septembrem fere cadebat, Martius in Novembrem, cujus Idibus circa bellum Punicum ſecundum, quo conſulatum illi geſſerunt, conſules inibant. Capite deinde* 77 Lib. 2. *Lucio Cornelio Scipione, C. Lælio conſulibus A.D. Quintum Idus Quintiles obſcuratus eſt Sol, Luna ſub orbem ejus ſubeunte. convenit defectus ille anno periodi Iulianæ 4524, cyclo ſolis* XVI *Lunæ* 11. *Martii 14 feria 2. vera conjunctio Romæ H. 7. 13′ apparens H. 6. 19′ Sol erat in piſcium g. 19. 43′.*

Secuti ſunt iſti viri magni textum Livii, ejuſque verba, & crediderunt annum antiquum Romanum à ſedibus priſtinis tam longe divulſum fuiſſe. Demiror Scaligerum hac in re Livio conſenſum præbuiſſe, & multo magis Petavium, qui Scaligerum merito carpſerat, quod hunc ſolis defectum alligaſſet anno V. C. 561 Glabrione & Naſica Coss. adeoque illum amplius exagitandi occaſionem inde nactus erat. Si alteruter iſtorum Hiſtoriam Livii revolviſſet, dum volumina egregia condebat, & omnes rerum geſtarum circumſtantias perpendiſſet, in illam ſententiam tam facile conceſſurum vix credo fuiſſe. Quod ſi verum eſt Ianuarium veteris anni Romani per illa tempora Septembri Iuliano congruiſſe, falſum eſt eo tempore anni pleraque accidiſſe, quo geſta, narrat Livius, qui ſecum manifeſto pugnat, dum illam eclipſim anni 564 refert ad A. D. Eid. Quintil. Hoc itaque nunc agam, ut demonſtrem ab initio belli Punici ſecundi ad multos uſque annos ſequentes, annum Romanum veterem ita congruiſſe

congruiſſe cum anni tempeſtatibus, ut menſes hiberni in æſtatis finem retrogrado curſu tranſlati non ſint; deinde vero, in Livii narratione tranſpoſitionem admiſſam eſſe. Non aliunde vero teſtimonia advocabimus manu conſertum venientes, quam ex ipſa T. Livii hiſtoria.

I. Statim in fronte lib. 22. ita ſcribit: *Jam ver appetebat, cum Annibal ex hibernis movit.* Subjungit, *per idem tempus Cn. Servilius Romæ Idibus Martiis magiſtratum iniit.* Itaque Idus Martiæ ſeu xv Martii anni veteris Romani, in hiemis finem incidebant anno V. C. 537 & certe poſt diem xi Februarii Iuliani: nunciatum enim fuit Romæ Solis orbem in Sardinia minui viſum, & dum hunc ſolis defectum, qui xi Februarii celebratus eſt, quia ignaræ plebi ac ſuperſtitioſæ prodigium fuit, procurat conſul Servilius poſt initum illico magiſtratum, Hannibal profectus eſt ex hibernis.

II. Lib. 24. cum narrat ea quæ geſta ſunt anno 540 A. V. C. Q. Fabio Maximo IV & M. Claudio Marcello III Coss. notat M. Valerium poſt Apolloniam obſidione liberatam, Philippumque Macedoniæ regem, qui eam vi aggreſſus erat, turpiter ab Apolloniatibus Romanoque milite fugatum, Orici cum Romana claſſe hibernaſſe, dein exitu anni conſularia comitia habita eſſe deinceps narrat: poſt deductam in ſtationem hibernam claſſem Ianuarius menſis cepit, & ab hieme retractus non eſt in finem æſtatis, ibique & alias notandum per totam illam ætatem diſtinguere Livium tempus, quo in hiberna deducebantur exercitus ab exitu anni.

III. Libro 50 ſub finem ante comitia, quibus creati ſunt Coss. Cn. Cornelius Lentulus &

P. Ælius Pætus, id eſt, anno. A.V.C. 552 decumbente, ſcribit: *Claudium Conſulem ab urbe tandem profectum, inter portus Coſſanum Loretanumque; atrox vis tempeſtatis adorta in metum ingentem adduxit. Populonios inde cum perveniſſet, ſtetiſſetque ibi, dum reliquum tempeſtatis exſæviret: Iluam inſulam & ab Ilua Corſicam, à Corſica in Sardiniam transjecit. ibi ſuperantem Inſanos montes, multo & ſævior & infeſtioribus locis tempeſtas adorta disjecit claſſem, multæ quaſſatæ, armamentiſque ſpoliatæ naves, quædam fractæ, ita vexata ac lacerata claſſis Carales tenuit; ubi dum ſubductæ reficiuntur naves hiems oppreſſit, circumactumque anni tempus.* Iam ergo cum hieme inchoante circumagitur anni tempus & December menſis ſaltem ſub finem autumni labitur. Notandum inſuper hunc conſulem Claudium ſegniter omnia in comparanda deducendaque claſſe feciſſe, & juxta ſeriem narrationis Livii veriſimile eſt prodigium creditum Cumanis, ſolis orbem minui viſum, qui defectus ſolis fuit, nunciatum fuiſſe Romæ, antequam conſul claſſem deduxiſſet. At vero factus eſt defectus ille ſolis die Octobris 19. H. 10. 24′ A. M. anno ante Chriſtum 202 currente, fuitque digiti unius fere. Sero itaque admodum & autumno jam adulto profectus eſt conſul, quamobrem Livius ſcripſit *Claudium conſulem profectum tandem* &c. neque illa quæ geſta narrantur poſt profectionem Claudii Cos. niſi uno aut altero menſe confici potuerunt ante comitiorum diem. Ex hiſce circumſtantiis demonſtratum habemus, Ianuarium anni Romani haud divulſum totum fuiſſe à Ianuario anni Iuliani.

IV. Lib. 31. Sub finem P. Sulpitio Galba & C. Aurelio Cotta Coss. A.V.C. 554 de claſſe Romana,

mana, cujus dux fuit L. Apuſtius legatus, verba faciens ita deſcribit tempus, per quod rediit à profectione illa: *Iam autumnale æquinoctium inſtabat, & eſt ſinus Euboicus, quem Cœla vocant, ſuſpectus nautis: itaque ante hiemales motus evadere cupientes, Piræeum unde profecti ad bellum erant repetunt. Apuſtius triginta navibus ibi relictis ſuper Maleam navigat Corcyram. Regem ſpatium initiorum Cereris, ut ſacris intereſſet, tenuit; ſecundum initia & ipſe in Aſiam ſe recepit.* &c. Annus itaque 554 A.V.C. nondum exierat inſtante æquinoctio Autumnali & verba, quæ ſubjicit Livius, illud ſatis indicant, annum ſcilicet non deſiiſſe in autumno: *Hæc,* inquit, *ea æſtate terra marique adverſus Philippum ſocioſque ejus à conſule & legato Romanis; adjuvantibus rege Attalo & Rhodiis geſta.* Atqui ſi annus ille exactus fuiſſet, potius ſcripſiſſet *(eo anno)* quam *(ea ætate;)* Hoc anno Neomenia Hecatombæonis incidit in 4 Iulii, ergo initia celebrata menſe Septembri cui congruit Boedromioni: Iulio enim reſpondet Hecatombæon, Auguſto Metagitnion, Septembri Boedromion, cujus menſis die xv μυςήεια ἐλευσίνια τὰ μεγάλα celebrata fuerunt, qui Septembris xv congruit.

v. Libro 32. C. Cornelio Q. Minutio Coſs. A.V.C. 557 uterque conſulum expeditionem adverſus Bojos & Iluates alioſque Inſubres ſuſceperunt, hiſque devictis agros vaſtant & diripiunt, *deinde litteræ Conſulum à Gallia de geſtis proſpere ſub idem tempus Romam allatæ. M. Sergius prætor urbanus in ſenatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitavit. ſupplicatio in quatriduum decreta.* Hiems jam eo tempore erat. Libro ſequenti 33 de iiſdem conſulibus verba facit, eorumque Romam reditu, petito ab iiſdem

hibernis & exercitu per hiemem ad comitia habenda novoſque Magiſtratus deſignandos Romam proficiſci. Quod ſi per hæc tempora anni Romani veteris ratio ita perturbata fuiſſet, ut menſes hiberni ipſeque Ianuarius verſus finem æſtatis anticipando perveniſſent, nequam in hiberna deductus foret exercitus, oportuiſſet conſules Romam profectos ſub dio copias reliquiſſe, quod per id tempus, in quo nunc ſermo noſter verſatur, factum non legimus.

Minime itaque Livio concedendum eſt, aut qui eum ſequuntur, Scaligero aut Petavio, eam eclipſin ſolis, quæ contigit anno V. C. 564 ad A. D. V. Idus Quintil. anni Romani veteris eſſe referendam. Secum pugnat Livius, quem exiſtimo tempora duarum Eclipſium confudiſſe, & ordinem perturbaſſe, perperamque ſcripſiſſe *per ludos Apollinares.* hunc defectum ſolis anni 564 contigiſſe, per quos ſequens Eclipſis anni 565 contigit. Si, quando Sol 19 partem piſcium tenet, ludi Apollinares tunc celebrati fuiſſent, ſub finem hiemis ii ſolemnes dies recurriſſent poſt. 22 annum, ex quo primum facti eſſent, poſtque annos 18 ex quo ſtato die fieri conſueverunt, & in perpetuum voti ſunt peſtis ſedandæ cauſa, eo tempore anni, quo peſtis vehementer ſævire conſuevit ob æſtum & ſqualorem aëris.

Titum Livium in errorem induxit proximitas Eclipſium duarum, quarum poſterior, ut mihi maxime probabile videtur, contigit per ludos Apollinares A. D. V. Eid. Quintil. anni veteris Romani ſeu XVII Iulii in forma Iuliana, & verius forte quam ſcripſit, ita ſcriptis mandaſſet Livius lib. 38. *Quod luce per ludos Apollinares A. D. V. Idus Quintiles inter horam tertiam ferme & quartam tenebræ obortæ fuerunt.*

Nunc

Nunc itaque attribuamus diem v Eid. Quintiles, ſeu diem menſis illius xi Iulii menſis xvii in forma Iuliana: ergo Kal. Quintiles eo anno V.C. 566 in Iulii Iuliani anni diem vii, à Kalend. Ianuariis ad Kal. Quintiles in anno Romano veteri mere lunari dierum 354 ſunt dies expanſi 177 ſeu labentes 178: itaque retro numeratis à Iulii die vii in forma Iuliana, qui eſt 188, qui annus fuit communis initio facto annorum V.C. à Ianuariis Kal. incidemus in diem xi Ianuarii Iuliani, quo cepit Ianuarius anni 566 V.C. tum erat annus ante Chriſti natalem vulgarem currens 188.

Anno præcedenti Romæ intercalatum fuerat, proinde ſi menſis intercalaris ſeu Merkedinus fuerit dierum 22, annus Lunaris Romanis tunc fuit dierum 376 & Ianuariæ Kalendæ anni Romani 565 coinciderunt cum 3 Kalendis Ianuarii anni ante Chriſtum 189, qui fuit biſſextilis: ſi vero intercalati ſint dies 23, tunc cœpit annus 565 decembris die 31 anno pereunte 190 ante Chriſtum, & adhuc retro numeratis diebus 354 habebimus anni 564 initium die xii Ianuarii anno ante Chriſtum 190. propterea dies xiv Martii anni Iuliani erit iii Martii ſeu 5. Non. Martii anni veteris Romani.

Quod ſi res ita tranſacta ſit, ut mihi veriſimile videtur, Eclipſis ſolis anni 564 contigit ante Idus Martias: nondum ergo conſules inierant: quare Livius in deſcribenda illa Eclipſi ſeriem rerum confudit, nec debuit dicere: *Per eos dies quibus Conſul ad bellum profectus eſt:* nondum enim proficiſci poterat, qui nondum inierat. Illa quoque ſeries rerum enarratarum mihi ſuſpecta eſt, cum ait conſulem L. Cornelium edixiſſe, ut omnes, quos in Græciam tranſmiſſurus erat, *Idibus Quin-*

Quintil. Brundiſium convenirent. Ab Idibus Martiis ad Idus Quintiles Romæ quadrimeſtre tempus conſumptum eſſet, in procurandis religionibus audiendiſque Ætolorum legatis. Vel Livius, vel is, à quo res geſtas illius temporis accepit, ſcribere debuit *Idibus Aprilibus*, ſi res ante & poſt ab eis enarratas cum anni temporibus, quibus eas accidiſſe ſcribunt, convenire volunt, ut jam ſatis oſtendimus. At ſi quis inſtet Eclipſim ſolis hujus anni 564 incidiſſe in dies, quibus Conſul ad bellum profectus eſt; ea objectio non impedit, quin ex ſuperioribus XII circumſtantiis pateat menſem Quinctilem fuiſſe per ea tempora æſtivum, & quamvis concedamus in v Idus Apriles incidiſſe, non evertitur id quod ædificavimus, dicendum ſolummodo erit Eclipſim anni 566 contigiſſe circa initium Sextilis menſis anni veteris Romani, & hac ratione illa enormis anticipatio à Livio, Scaligero, & Petavio, ſuppoſita falſa convincitur.

Verum eſt equidem ab eo tempore, anno videlicet 574, ad annum V.C. 586, quo fuerunt Coss. L. Æmilius Paullus, C. Licinius Craſſus, luxatum fuiſſe annum Romanum & tres omiſſas fuiſſe intercalationes: nam illo anno dies, qui fuit in anno Romano III Non. Septemb. id eſt tertius dies menſis, conveniebat cum Iunii die 21, quapropter Kal. Ianuarii anni 587 ſequentis conveniebant cum die 288 anni Iuliani, hoc eſt, Octobris die 15 anno ante Chriſtum currente 168. Annus ille 587 apud Romanos fuit intercalaris: ſequens igitur 588 cepit Octobri die 25 anno ante Chriſtum 167 & tunc temporis per hiemem iniviſſe conſules ſatis patet ex initio Lib. 44. *Principio veris quod hiemem eam, qua hæc geſta ſunt, inſecutum eſt, ab Roma profe-*

ſtus Q. Marcius Philippus. Narrantur autem geſta, poſtquam inierunt Q. Martius & Cn. Servilius, qui creati ſunt A. D. V. Kal Februar. non vero Septẽbres, ut perperam Sigonius & alii in textu reliquerunt: nam uti ſenatus cenſuerat, habita ſunt menſe Ianuario, ut legenti verba lib. 43 ante creatos prædictos conſules perſpicuum erit.

Hæc ſunt, Vir eruditiſſime, quæ tecum communicanda penes me habebam de his ſolaribus deliquiis. Ante annos quindecim, cum totum Livium legerem, adnotavi primum Scaligerum in multis hallucinatum eſſe: quæ poſtquam in libros Petavii incidi, maxima ex parte confutata animadverti. utinam acerbe minus! nam quid vivo adverſus mortuum contumeliæ proſunt? Omnia qui non videt, cæcus propterea dici non debet. Et ipſe Petavius omnia fortaſſe non vidit, ut jam probavimus exemplo luculentiſſimo. Certe niſi à Petavio confoſſos quoſdam errores Scaligeri notum habuiſſem, hanc diatribam longiorem feciſſem. nam & de cyclo Romani anni deq; intercalandi methodo pluribus egiſſem adverſus Scaligerum, quæ in chartis meis adnotaveram, cum Livii hiſtoriam evolverem: ſed hic actum agere nolo. Iudicium tuum his de rationibus noſtris expecto, adverſus quod amicitiæ noſtræ prærogativam valere nolo, liberum, ſincerumque cupio. Hanc chartam commiſi Clariſſimo ac Eruditiſſimo Viro Claudio Sarravio in Senatu Pariſienſi conſiliario, tardius quam promiſeram, fateor: ſed ad finem perducendus erat tædioſus quidam calculus, quem de Lunari motu inſtituetam, cuidam parti Aſtronomiæ, quam edere volo, perneceſſarium & utilem. Vale & me ſemper redama. Scribebam Lutetiæ Pariſiorum die VII Martii, Stylo novo, CIↃ IↃCXLIII. in ædibus Thuanis.

ERRA-

ERRATA.

Pag. 27. l. 29. *juſſus è nauticis eſcendere.* 32, 29. ferant hoc. 37, 17. At id prope. 45, 28. decemviris; vel, æquum eſſe, à nemine. 48, 8. *auctoribus, trepida re, ſenatum.* 54, 13 dele τὸ *nomen.* 57, 1. *alia (ſpe) undique abſciſa.* 69, 6. *in tribunis: quia ſumma.* 73, 28. mutes in *trahit.* 115, 18. *exequirent.* 116, 21. ſimpliciſſimum. 117, 10. *animi viſos.* 120, 36. *quaque porta.* 121, 7. *Punicum Romano prævertiſſet.* 16. proxime poſt. 158, 30. *Antiati.* 31. *Vejenti.* 160, 4. *trahenda re eſſe.* 163, 18. *aut necquidquam feſſi vada retro ægerrime.* 166, 14. *quæ peſſima ars,* omiſſa. 18. *Arpinis.* 31. ipſa in Italia. 167, 16. *dux ut acciperet.* 168, 22. *non his ſenſibus.* 187, 10. *conſulum.* 24. *eſt, ubi in.* 197, 19. deſerant. 204, 25. nolint, monuiſſe, etiam clementiam. 208, 83. *ſi ſit ex plebe.* 209, 16. videtur fuiſſe olim. 215, 25. diſtingue: *quadrupedum ſuetæque, poſtremo.* 226, 22. bis appellatur. 228, 28. *paraſet.* 231, 17. Ἀνδρανόδωρον. 18. adde: Nam ne putes ab Ἀνδρων, Ἀνδρωνος, quod ipſum nomen eſt, alterum originem capere, Adranus erat ἐπιχώριος δαίμων cognominis Adranitarum in Sicilia oppidi, teſte Æliano lib. 11. περὶ ζώων c. 20. Sic ergo verum eſt ab Ἀδρανὸς Ἀδρανόδωρος, ut ab aliorum deum nominibus Διόδωρος, Ἑρμόδωρος, Ἀθηνόδωρος, Ἀπολλόδωρος. Atque ita potius apud Polybium Liviumque reſtituendum: etſi literam *N* ſolitos interdum εὐφωνίας χάριν interjicere non ignorem. 233, 20. *Anienſi juniorum.* 22. *Præco Anienſem juniorum.* 235, 23. *ut quique.* 238, 32. dele τὸ *militi.* 242, 25. *ſtirpis.* 349, 22 adfligebat undæ. 33. *Herbeſſum.* 252, 24. libri

bii cap. 19. 255, ult. *hoſtes evaſit.* 256, 26 *exercituum.* 259, 32. infirmus. 34. infirmum. 276, 2. *multique præliis.* 296, 24. *pugna medios.* 300, 26. *non omiſerunt.* 319, 14. *vallum objectum.* 333, 20. advocant. 351, 19. *quomodo ipſe.* 366, 9. & dicat. 371, 23. *millibus militum equitibus.* 376, 12. *Polypantham.* 379, 31. *& in provincia.* 395, 21. *ſeptem qui ab.* 399, 4. *ſeditioſorum vocibus, ut.* 408, 19. *conſilium.* 410, 10. *Galliaque vectus.* 412, 13. exprimitur. 419, 33. ἐκχάσον. 421, 27. *Ne vivam.* 33. ſequendi. *Permittis*, multo Latinius. 436, ult. *inopiae* aut *inopia.* 441, 33. æneus vel ſaxeus. 471, 18. *exitum ſui.* deleto τοῦ *eum.* 473, 20. petere. Quod deinde: *ſido ex ſervis uno accito ſub cujus cuſtodia:* eſt naſuti. 475, 8. lectionem jubentibus Gall. omnibus. 476, 1. omiſſa eſt linea integra, errore tranſlata ad principium paginæ ſequentis. Scribe: *in ſe quoque ac ſuum ipſius caput exſecratum.* Firmat ipſe auctor lib. 10. 477, 35. *vere exiſtimet.* 491, 21. ſciſcendoque aliquid. 502, 10. *ante conſulis Romam adventum.* 505, 4. *Lucana.* 7. *Paullus* lege 8. §. 7. 509, 12. *qui ex pacto.* 510, 4. idemque ut opportune. 519, 14. Datamis. 527, 2. *Stratonicenſi.* 531, 15. *legiones * in ipſo.* 533, 2. *uno.* 4. *Faceret.* 540, 5. *Turdulorum.* 545, ult. dele, ex Andreanis. 546, 14. *quietum*, 15. *Enim jam.* 547, 6. Nota apud Plautum. 549, 12. Eadem dicit. 550, 30. *cauſſas militares cognoſcere, quo minus ad edictum.* 552, 22. dele, Andreana. 558, 3. *hoſtium urbem eſt ingreſſus.* 568, 36. *Sed ut oportuit in cōſilio.* 572, 12. *ex Statiellis.* 588, 12. & ad hunc 14. communiter, & ventus καθ' ἐξοχὴν. 604, 3 *Quin hinc.* 606, 16. ut & viro docto pro. 611, 23. *tumultu concito.* 616, 14. diſtingue: *decem earum, actuariam nullam qua.* 34. imprudentia,

618,

618, 21. *an quum ſatis.* 619, 1. *Parti ſuviſſet.* 6. quid eſſe. Pag. 622, *millia*] Scribe: *tetradrachmum Atticum centum octodecim millia.* Vt inferius. 625, 20. Sic Gelenius. 630, 21. etſi maneret. 633, 32. Saloninum. 655, 33. *dederint.* lib. 28, 45. 661, 17. non niſi admodum. 681, 12. *Si & Romam è ducibus alter.* 585, 21. *Megiſten.* 696, 23. *advocato conſilio.* 702, 24. eſſe rati, 733, 17. ὡς, Κίρτην ἐξαίρετον ἔχειν. 742, ult. dubitem ego. 751, 11. Κελτικῆς. 757, 22. diſtingue: *pretores, P. Cornelius ad exercitum, Otacilius qui maritima.* 768, 19. *quiqui Caſilini.* 25. *ſunt: M. Cæcilius Metellus.* 780, 95. illud quoque tempus. 782, 23. lib. 30, 13. *peccaſſe.* In dedicatione: rogantis & invitantis. In præfatione ad lectorem p. 12, 10. Quin etiam poſt. 20, 6. ſcio etiam nemini. 20. quod non aliquem inducat. Hæc graviora ſunt: minutiæ plures, in quibus ut proclivis eſt admodum error, ita prudenti lectori non difficilis emendatio.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZIONALE
Helèn. Aosta
Napoli
5h2687

136

Digitized by Google

image
not
available

Digitized by Google